
Raymundi
Mindereri
Threnodia Medica
seu
Planctus Medicinae
Lugentis







Bertrand

Trenodia medica,

seu

medicina Lugens.

A Raimundo mindevero

9bv. 1619.

Augustae Vindelicorum. vid. p. 597.

ILLVSTRIBVS AC GENEROSIS DOMINIS,

DOMINO ERNESTO, ET IOANNI ALBERTO, COMITIBVS DE OETINGEN, DOMINIS IN WALLERSTAIN, &c.

Dominis meis Clementissimis, humillima submissione colendis.

IAm olim mihi in votis fuerat, Illustres ac Generosi Domini Comites, Lugentis Medicinæ Threnas, eiusdemque

lachrymas multiplici planctu fusas, in sinum vestræ pietatis effundere, hæc enim iam dudum mihi

Cum ioue visa queri est, finemque orare malorum

Nobilissima namque ac inter artes omnes eminentissima ars Medica quam ipso Numini acceptam ferimus, posteriorum sæculorum impietate confusa, nec non eorundem nequitiâ, petulantiâ, proteruitateq;, adeò concussa, disiecta, vastataq; hucusque fuit, vt ei penè iam excidium omnimodum imminere videatur, adeò vt si fas esset sacra profanis in comparationē adhibere, dici de Medicina meritò possit, id quod inter

inter Lamentationes Ieremiæ cap. 1. legitur: *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena populo, facta eſt quaſi vidua, domina gentium,* etenim vt ſequitur: *Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius, non eſt qui conſolaretur eam in omnibus charis eius, omnes amici eius, ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici.* Proindeq; vt apparet. *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius, facti ſunt Principes eius velut arietes, non inuenientes paſcua: & abierunt abſque fortitudine ante faciem ſubſequentis.*

Lugubres igitur Medicinæ à Domino Deo hominibus in ſolamen datæ planctus ac crebra ſuſpiria ad Vos Illuſt ac Gener. DD Comites deferre volui, vt *Quæ habitauit inter gentes &*

non inuenit requiem veſtrâ beni-gnitate & clementiâ tutamen ac quietis quoddam aſylum nanciſceretur, quam gratiâ ve-ſtrâ deſtitutam non iri penitûs confido.

Adegit me autem ad hoc, i-mò impulit, ingens plurima-rum earumque prægnantium cauſarum cumulus, inter quas prima eſt, mea in Medicinæ de-corem debita & honorifica a-nimaduerſio, quando mihi e-iuſdem nitorem in quantum quidem poſſum conſeruare, eamque à fœdis næuis ſibi ab iniquis patratoribus inuſtis re-purgare mens ſemper fuit, vt quo ſtudio niterer, eâdẽ quo-que facultate niterem.

Secun-

Secunda verò haud minus vrgens cauſa, meæ quoque in vos ſubmiſſæ obſeruantię candor extitit, per quem liberè fateor, me poſt Deum omnia à vobis pijſque Parentibus veſtris (quorum animas in ſempiterna pace, felici beataque requie, Pater ille Omnipotens & miſericordiarũ Dominus pro clementię ſuę infinitudine donare dignetur,) accepiſſe, ita vt öttingano veſtro ſtemmati prout Antiquiſſimo, ſic Illuſtriſſimo, cuncta debeam: huius enim munificentiâ educatus, nutritus, ſuffultus ac beneficiorum cumulatâ multitudine quaſi preſſus hucuſque fui. Atqui verò öttingani vos Co-

mites parentes vestros, eorumque virtutes, ac mores ingenuos repræsentantes, quos ideò parentes appello, vos inquam me in studijs educastis, in Academijs hinc indè alimoniam mihi præstitistis, victum amictumque subministrastis, & humanioribus (vt vocant) studijs exemptum, & ad Medicam facultatem animum applicantem, vlteriorum gratiarum superadditione, itineris mei Medici cursum promouistis, qui me etiamnûm licet indignum gratiosè ac indesinenter fouetis.

Vt igitur meæ in vos obseruantiæ vicissim aliquod extaret testimonium, & grati animi

mi mei nonnulla commemoratio, obligationisq; erga vos meæ ingenua quædam confesſio, cum *ingrato homine nihil ſit ſcelestius*, laborem hunc meū qualemcunque vobis nuncupandum eſſe cenſui. Non quod eum veſtris in me meritis parem eſſe putem, ſed quod mei in vos obſequij monimentum aliquod extare cupiam, veſtræ in me munificentiæ beneficia teſtaturum, & in poſterûm memoriā translaturum. Scio equidem me gratijs veſtris perſoluendis longè eſſe imparem, etenim (vt ille ait) *dum ſoluere nitor quod debeo, adhuc debeo quod ſoluo*, ſuffecerit hic ſi ſufficere poteſt humilis piuſque meus erga

vos affectus, & voluntas, ea quidem beneficia refundere, vel aliqua ſaltem ex parte aſſequi ne dicam adæquare prompta, ſedenim infirma nimis & ad tale quid præſtandum haud ſufficiens, itaque dicendum hic

Si deſunt vires tamen eſt laudanda voluntas.

Tertia porro cauſa eſt Medicinæ meæ Lugentis miſeria ac calamitas, quam ad Vos Illuſt. ac Gen. D. D. Comites transfugere iuſſi, vt veſtro tutamine exulans protegeretur; lacerabunda porro reficeretur repareturque:

Heu fuge crudeles terras fuge littus auarum.

Veſtri enim ſtemmatis inſi-

gnia peruetuſta, pacis ac tutelæ plurimum pollicentur, galeatum ſcutum Cruce ſignatum exhibentia, cui canis inſidet excubans, qui prout ſcutum iacula miſſilia denſo quaſi imbre in Medicinam exulem emiſſa excipere, ſic canis lupos ab ouilibus Medicis latratu ſuo arcere poterit. Cauſas alias emiſſi huius ac vobis deuoti operis, ne blandri velle videar ſtudiosè prætereo, ac lubens coerceo cum hic Plato quieſcere iubeat.

Nec verò Illuſt. ac Generoſi Domini mirentur, aut mihi hac in parte ſuccenſeant, quod Threneticam Medicinam potiùs quam aliud aliquod donarium

rium iucundum, vel delectabi-
le pro tantis in me collatis be-
neficijs obtulerim, reputentq;
precor, summā Medicinæ pau-
periem ac miseriam, inducias
non ferentem, sed festinatum
ac promptum auxilium desi-
derantem, id efflagitasse. Atqui
verò inter mundi huius mo-
derni tumultus ac dissidia ni-
hil magis appositum adferre
me potuisse arbitror, quā Me-
dicinam non quidem profu-
gam, sed sede sua deiectam &
in exilium actam, vt hæc inter
cæterorum pugnas, vellicatio-
nesque, seditiones quoq; suas
& intestina prælia lamentan-
ter proferret, seseque vt insons
ab his mundi periculis, tuta

quæ-

quærens refugia tantiſper ſub-
duceret, donec ventorum hi
flatus ac ſuſurri nonnihil con-
quieſcerent. Itaque in ſæculo
hoc tumultuante, in quo Iupi-
ter ollas deſpumare velle vide-
tur Medicina lugens ſuas quo-
que preſſuras, calamitates, de-
prędationes, peruerſiones, ſpo-
liorum direptiones, gentium
interitus, maleficia, ac neſcio
quæ in ſe miſeram patrata pia-
cula lachrymosè exhibuit, cũ
tamen ipſa per ſe adhuc firma
& vera ſubſiſtat. Deindè verò
cum vt ſcriptura ait, *melius ſit
ire in domum luctus quam in domum
conuiuii*, conueniens apprimè
fuerat vt ea nunc commiſe-
ratione meritò digna poſteris
obueni-

obueniret, quo vel humana gens, de qua ſeſe ſemper benè meritam, & eſſe, & fuiſſe gloriari meritò poteſt, conſpectis eius Threnis, planctibus, ac lachrymis, in miſericordiã tandem flecteretur, & arti tam ſacræ, beneficæ, ſalutari, vtili, ac cõmuni bono ſeruienti, à Magijs & nugacitatibus alijs, imò & mendacibus calumnijs deſiſtens impoſterum parceret.

Vos autem Illuſt. ac Gen. D. D. Comites Medicinam hanc meam Threneticam plenam planctu & miſeria, eâ quâ dotati eſtis clementiâ ſuſcipite, fouete, ac protegite, vt ea ſub veſtra tutelâ, ab ærumnis ſeſe recolligens aliquatulum reſpiret

ret habitetque apud vos confidenter, ac ſub humeris veſtris requieſcat.

Et quia mordax vulgi voracitas, fœdo oris halitu qualem Sarcophagi expirant quibuſuis moleſta, ſpurcis recrementis fœda, ac ſcabie quadam abominabili leprificata totaque ſquallens, ſcabris ſuis dentibus hæc mea ſcripta ſine dubio eſt inuaſura, ideo vos Illuſt. ac Gener. D. D. Comites humillime precor, vt ab æui huius liuore eadem tueamini, mihi enim dubium non eſt, opellam hanc meam ſub veſtræ auctoritatis pręſidio, maximam ſuæ ſecuritatis partem adepturam, quin & ſibi veſtrarum Illuſtriū Generoſi-

nerositatum existimatione nemini non notæ, plurimũ splendoris, gratiæ, ac fauoris etiam apud exteros conciliaturam.

Devs Opt. Max. vos Heroum filios, ac Rhetiæ quasi quosdam Regulos patriæ nostræ in plurimos, ac longæuos annos felices seruet ac incolumes, quibus & ego me cum tenui hâc meâ opellâ vna cũ pusillis viribus meis qualibus ac quantuliscunque humiliter ac obnixè commendo, orans interim vt me eodem quo hucusque fauore dignati fuistis, imposterũ quoque prosequamini. Valete & Viuite Dat. in Festo Sanctissimæ Virginis & Martyris Catharinæ, quæ cum

Philo-

Philoſophis diſputans eoſdem ſuperauit, & Magos eorumq́ue deliria coram Imperatore Maximino detexit ac confudit, prout Medicina hæc lugẽs eoſdem, imò tales, ac conſimiles hoc libro eliminat & expellit. Scribebam hęc eo ipſo die eiuſdem S. Catharinæ, qui incidit in 25. Nouemb. Anni 1619.

Illuſt. ac Gener. Dominat. Veſtrar.

Humillimus cliens

RAYMVNDVS MINDERERVS
Medicinæ Doctor, Sereniſs. Bauar. Duc. Conſil. & Medicus, nec non Reip. Aug. Vindel. Phyſicus iuratus.

AVCTORIS AD CANDIDVM LECTOREM PRÆFATIO.

Vitam mortuorum in viuorum memoriâ positam esse prisci philosophi rectè docuerunt, proindè cùm à parentibus nostris, qui in humanis corporibus vitam Deorum imitari sunt soliti, vtpotè quibus viuere nil aliud erat, quã vel cogitare, vel obseruare, primorûm parentum labores, haudquaquam in vanum ducendos esse ratus sum, etenim

nim cùm præcedentium ſæculorum ni-ſu ac ſtudio poſteritatis operas adeò ex-cultas notaſſem, non potui nec volui eam beneficii partem in Medicam fa-cultatem, meritò locandam prætermit-tere, quæ huic ætati, formæ, ipſique arti decori eſſe queat.

Inſontis igitur imò etiam beneficæ ac de humana gente totâ tam benè me-ritæ artis innocentiam meo quidem pro modulo tractaturus, non alio argu-menti genere vtendum mihi perſuaſi, quàm ſi ea quæ crudus quondam ſto-machabar, nunc tandem neſcio qua oc-caſione in atram bilem verſa, ac inſo-lenti iuſuper nauſea faucibus meis ru-ctanter illiſa in gremium tantæ impie-tatis euomerem.

Adegit ad hoc ſcribendi me genus mentis in hanc honeſtatem verſæ fu-

ror, ſub quo pietatis Zelus eouſque excanduit, vt in tantorum ſcelerum turmas limato quaſi gladio irruendum eſſe ſtatuerim. Non enim tulit mea ſynceritas, tot ac tantas Medicinæ ignominias ac probra irrogari, quæ ab arte tam ſancta adeò aliena exiſterent, vt vel ipſi criminum confictores, dum in aſtum ſacræ ſcientiæ inferendum collimarent, ad ſplendorem tantæ facis caligaſſe ſint obſeruati, & ſuſurrante quodam veſparum motu, diſperſo volatu errantes, vel in tenebris grauitêr impegerint, vel ſerenæ huius lucis radiis viſus perplexitate confuſi, citato planè impetu, in flammas, quas ambiebant, viſi ſint irruiſſe, inducta contra iam dicti ſplendoris radios ea caligine, quam ipſi nugationum falſitatumque ac nullitatûm opera, arti tam beneficæ

in detrimentum, faſtidium imò etiam deſtructionem obtrudere, tantæque artis effulgeſcentiam ac nitorem ſuo quodam nidore vel tegere, vel in humanæ gentis noxam aliquale excidium fouere, malitioſo ſanè auſu ſunt aggreßi.

Hâc hominûm peſte factum, vt diuinæ Medicinæ habitudo ac candor cui humani cætus ſalubritas ac vita credebatur, cuique voluptatûm, gratiarum, quietis, ac ſalutis encomia, imò ſolidum robur, decus, firmæ vires, animi gaudia ac dolorum abſentia meritò ab æuis omnibus hucuſque adſcribebatur, in deſpicatiſsimum calumniarum ac diffidentiæ aut peruerſæ ſuſpicionis ergaſmum ſit deducta.

Cùm igitur non deceat virtutem ſine laude, nec malitiam ſine vituperio

ac reprehensione relinquere, Medicinæ inter cæteras artes fulgorem multorum vel ignorationis tenebris, vel deceptionis fucis perstrictum, in publicam lucem educere, eiusq́ue formam planè decoram, prout ipsa per se est, indocili & non nisi sensibus credenti populo honoranter commonstrare iustum esse duxi, cùm debitum hocce meũ, naturæ mihi lege scriptum illicò ac lubenter persoluere studeam, has ipsas operas in tantæ artis tutelam ac commendationem qualitercunque elaboratas nullatenus recusaturus. Vndè nemo in tantarum controuersiarum ambages & rixarum quisquilias memet demisisse miretur, si ea pro arte pugnauero quæ toties hominum salutes seruando, & reparando, in prosperæ sanitatis fastigiũ ac securæ opis consolationem sustulit.

Et quamuis suismet viribus contenta Medicina sibiipsi sufficiat, nullius vel patrocinii, vel externi auxilii, aut alienæ alicuius opis indiga, sed suismet suffulta præsidiis, quæ constans omnino & inconcussa permanet

Vtq; viret semper Laurus nec
fronde caducâ
Carpitur, ęternum sic habet
illa decus.

nihilominus tamen, cùm tantæ artis, tam venustam faciem, cuius decore pellectus orbis in eius amplexus protinus ruebat, tot flagitiorum maculis fædari, ac multiplici turpatione contaminari cernerem, infremui, ac conscientia ductus eam scelerum Camerinam mouendam cogitaui, quam plus magis rabiosam in hominum genus adeò crudeliter sæuire ac furiosè debacchari nota-

ueram, effecitque hoc pius in artem sacram affectus meus, quo mundi scelus in Medicinam patratum tot piaculis illisum, meo quidem pro modulo & affectu in quantum potenti vlcisci cogitaui.

Neque verò hæc est odiis quæsita quædam fabula aut publica proteruæ gentis criminatio, sed priuati peccati meritò carpendi iusta & æqua taxatio, contra quod humano quodam, sed modesto odio irasci oportuit, quando in piorum fœderum religionem non quæsitam ac inexorabilem superstitiosorum diligentiam, nec minus insolentẽ adulationis in Medicam facultatem introductæ fastum, tandem quoque ineptæ præuaricationis contra communis status iura euntem vsum execrari ac eiurare me decuit, cùm in iis artibus

exer-

exorbitare & excellere sibi placitum sit his artificibus, in quibus vel ipsi se ignorent vel ignorentur, ac in fastigium alicuius scenæ, cui ne tumulus præfixus est, formidantêr titubare sint obseruati, vt plurimum autem ij, qui propriis ædibus excußi alienas aras peruisunt non discendi studio, sed eo perturbandi affectu, vt non rarò eo à nobis demittendi sint honorario, quo sunt illîc exclusi delicto.

Ego verò iam dudum in id studium incubui, eoque operas meas direxi, vt ciues mei inter tranquillæ Reip. silentia tuti, & ab imposturis quibuscunque maximè verò Superstitionibus ac artibus Magicis securi viuerent, & si quando opus esset puris ac insontibus Medicinis à Domino Deo Ter Opt. Maxim. abundè creatis & largißima

manu porrectis magna non modò spe ac fiducia, sed etiam vtilitate fruerentur, remota nimirum ea cum impuritate tum impietate, per quam mundissimæ Medicinæ tersus ac nitidus habitus sua simplicitate antehac sæpè sæpius polluebatur.

Igitur nequitias quorundam Medicinæ iam dictæ faciem serenam turpantium aliqualem in aream coegi, ac scriptis mandaui, quæ quidem scripta paulatim in libellum accreuerunt, quẽ multorum vrgentibus votis expetitum, & sanè nondum recoctum aut satis elaboratum, sed vi extrusum in vulgus abire pati coactus sum, hac tamen præsupposita modestiæ lege, vt is neminem probum sit offensurus, nec vlli aduersum sese præbiturus, nisi qui in odium perspectæ veritatis & subsan-

nationem tantæ tamque diuinæ, artis malitiosè aut ſubdolè pugnauerit.

Eſt hæc mundi huius moderna impietas tot vitiorum flagitiis obſita ac impuni auſu in ſuam temeritatem adeò profuſa, vt inter cæteras artes ipſam Medicinam, Artem Deo ſacram aggredi ac peruadere tentauerit, in qua crudeli quadam furia, latrocinia, rapinas, vrbium excidia, villarum vaſtationes, agrorum depopulationes, cædes, homicidia, fœtuum abactiones ac abortuum procurationes, imò penitus magnas mortalium clades ſine pœnæ vel vllius mulctæ metu, triſtiſsima hominum internecione per tot luſtra exercuit. Nihil eſt hic remedii, niſi ſola ſibi quæſita licentia, quæ in hominum, quos inanis ſpes exufflauit, vel curioſitas à recto veteris medicationis tramite

mite deiecit, aut propria opinio in ha- tenebrarum ærumnas præcipitauit, a- in irrecuperabiles noxas hucusque de- flectere fecit insana sanè temulentia, dum sese stulta mortalitas his pseudo- medicastris, eorundemque vanis polli- citationibus ludicrè committeret, quæ mundum fraude eorum nondum dehi- scente, sed adhûc ex erratis ac malefa- ctis sibi famam ac laudem conciliante tot bonis viris priuari aut stolida non obseruat, aut cæca non videt, vel deni- que imprudens & inattenta non a- nimaduertit. Ideoque artis tam Diui- næ insontiam, immunitatem, & excel- lentiam cunctis synceram mentem ha- bentibus ac sano iudicio præditis, ea venustate, quâ hæc ipsa inter cæteras artes effulget, ob oculos positurus, tam fœdâ sanè me declamatione vti opor- tuit,

uit, quæ in talium deceptionum artifices, & fraudûm magistros quadraret.

Beneuolum proindè lectorem rogatum volo, vt si quid acerbius dictitauerim, id in artis tam sacræ ac necessariæ lectorisque ipsius salutem, opem, vitam, opes, & operas, quo hæc ipsa ab immanibus Agirtarum attentatis tuta redderetur, prolata esse, non speret solum sed cognoscat, quæ si ritè pensitentur non in corporis modo, verùm etiam animæ vtilitatem, IESV Christo Domino Deo nostro dante, prout ex Christiana charitate profecta sunt, protinus abitura confido.

Vnica porrò superest adhuc difficultas, meas sanè partes concernens, etenim hi, quos scriptum hoc meũ tanget, suas fraudes, dolos, nequitias, ac falsitates deceptionesque publicatas, detectas,

tectas, & ad declinandum cunctis mortalibus ob oculos positas, rancore quodam graui intus æstuantes, & liuore valdè fœdo perciti ægerrimè ferent, proindeque me scelerum ab ipsis patratorum accusabunt, quando me has subsannationes, & dolositatum subterfugia, aut nequitiarum exercitia, vel occultos deceptionum cuniculos haud tã exactè cognoscere potuisse dictitabunt, nisi ego ipse eiusmodi lenocinia, populi circumuentiones, & in vniuersum patrato in proximum ipsamque patriam piacula in libelli huius decursu fusè narrata exercuissem, ac taliter Medicinam fraudulenter traduxissem, qualis iam obscæna & obscura per me proditur, quam etiam in abusum, quem modo satis seuerè carpo, peruersam, hominum vitas ludicrè prostituendo cun-

ctis dolo malo obtruserim. Quid hîc quæso effugii? lata iam videtur sententia qualis fere muliere in adulterio deprehensæ obtigit, dicente Domino IESV, Qui inter vos mundus est, tollat primum lapidem & iaciat, *&c. Fateri hic culpam necesse est, vnde ego licet de patratis peccatis & commissis erroribus erubescam, de gratia tamen consequenda non despero, prout & spem emendationis animus syncerus mihi suggerit, qui deserta iniquitate munditiem pollicetur actuum, eamque meritoriam & bonorum operum sectatricem omnibus ac singulis, amore, fide, securitate & vtilitate proficuam.*

Cunctos igitur hac in parte culpabiles hortor & oro, vt delicta sua agnoscentes pœnitudinem malefacto-

rum

rum arripiant, ſeſeque mecum corrigant (ſiquidem in gratiam peccantium me hinc inde in Medicina faciunda hucuſque ſæpius hallucinatum fuiſſe promptè fateor) non enim alios iudicare poſſem, vel tantum mihi iuris aut auctoritatis adſcribere auderem, vt alios carperem, niſi meipſum prius iudicarem: temerarium eſſet iudicium ab eo prolatum, qui feſtucam proximi oculo inhærentem obſeruaret, cum ſibimet ingens trabs, omnem pupillam occluſiſſet. Itaque culpas noſtras agnoſcere nos expediet, quibus tamen hic leuius, alter grauius onuſtus obſeruabitur, conſcientiæ cuiuſque particularis ambitu ac latitudine res tàm bene, quàm male geſtas comprehendente circumſcriptas.

Condonabunt etiam poſteriora hæc

ſæcula

ſæcula noſtris erratis, quibus mutabilia ac tam variabilia ſubiecta impingendi perſæpè anſam ſubminiſtrant, cùm ars noſtra Medica circa homines verſetur, ſingulis horis animo ſimul & corpore alterabiles; quorum inconſtantem conditionem Apuleius libr. de Deo Socratis ſic obiter depingit inquiens, Homines ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis mẽbris, leuibus & anxijs mentibus, brutis & obnoxijs corporibus, diſſimillimis moribus, ſimilibus erroribus, peruicaci audacia, pertinaci ſpe, caſſo labore, fortuna caduca, ſingulatim mortales cuncti, tamen vniuerſo genere perpetui, viciſſim ſufficienda prole mutabi-

les, volucri tempore, tarda ſapientiâ, citâ morte, ac querula vita ſubſiſtere, *horum ſanè variam mutabilitatem, mutabilis quoque non raro ſubſequitur Medicinarum euentus, qui tamen Medico vt ſanitatis directori meritò præuidendus præcognoſcendusque obtingere debet, erunt enim ac obſeruabuntur alias agri depopulati, deſertæ ciuitates, relicti villarum inquilini, deſerti magnates, Mecœnates omiſsi, neglecti pauperes in duram, dubiam ac ſeueram ſpem adacti aduenæ, ac populi totius cœtus opis indigus, errantem in periculis ſalutem hianter expectans.*

Iniquitatem igitur omnem deſerentes conſideremus, quæ in opuſculi huius procinctu de piaculis in Medicinam patratis in publicam ſcenam producentur,

centur, his quidem ſcilicet operatoribus eum in finem in faciem obtruſa, vt proprios errores agnoſcant, cæteris porrò artis ope vtentibus, vt hos dolificationum anfractus ac circulos circumplexos, quibus grauiter intricati antehac tenebantur, declinare ſtudeant, quos ſuo pro commodo deuitare facilè poſſint, ne in nos, vel Medicinam à Deo Ter Opt. Max. datam contorqueri poßit illud Eſaiæ 1. Quoniam facta eſt meretrix ciuitas fidêlis plena iudicij: Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. *Et ne Dominus iraſcatur, interitum artis ob operariorum vitia minitans, cuius comminatio applicationis modo huc ex eodem Eſaia cap. 5. adduci poteſt, vbi per Prophetam Deus ſic loquitur.* Quid eſt quod debui vl-

tra facere vineæ meæ & non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas? Et nunc oſtendam, quid faciam vineæ meæ, auferam ſepem eius, & erit in direptionem. Diruam maceriem eius & erit in conculcationem & ponam eam deſertam. *Nos autem excuſsis fraudibus inſontem Medicinam tanquam ſanctum ac ſalubre Dei donum, tam honeſtum, tam vtile, tamque neceſſarium, calamitatum humanarum poſt Deum fidum aſylum colamus, eique fidem noſtram credamus, quæ auxiliante gratiâ cœlitus demiſſa, ſanitates, obſequia, laudes, charitatis officia, ſuauitatem vitæ, conſolationem, temperiem, voluptatem, dierum iucunditatem, temporum*

quan-

quandam ſerenitatem, victus dele-ctationem, virium robur, animi au-xilium, ingenij fulcrum, mentis robur, ac firmitudinem, intellectus facilita-tem, ac omnis humani boni co-piam eſt præſti-tura.

Conſolatio Poëtica

Ad Lugentem Medicinam,

NOBILIS, ET MAGNIFICI DOMINI RAYMVNDI MINDERERI MEDICINÆ DOCTORIS, SERENISS. BAVARIÆ DVCIS

Conſiliarij, & Medici, nec non Reipub. Auguſt. Vindel. Phyſici, ibidemque Officinarum Pharmaceuticarnm Viſitatoris Iurati, &c. cuius opera, Deo fauente, ſemel ac iterum, Poëta non fuit relatus in libitinæ cenſum.

Ama meas nuper laſſato incenderat aures
Rumore, ægrotam Medicinam viuere, morbos
Difficiles catulire, ſed, & mala pharmaca, diſcis,
In quæ ructarit Mors ebria, qualia forſan
Decoxit ſacris Hecates anus infida furnis,

ſeſqui-

Sesquisenexq́; Charon, Stygiis regnator in Ollis,
Sturnatim, horribilem, veluti adsedisse senatũ.
Exsculptos oculos Phœbo, surdescere portas
Aurium, & amplo Lethargo dormire sepultam
Chironiam sobolem, gemui: saxescere corda
Iurassem Medicis, Reginæ sera, dolenti:
Rumpo moras, visam moneo, consolor, & audax
Consilio vatis, instillo hæc auribus ægræ.
Quid, Medicina, tuos in tantùm perdis ocellos:
Quæ gemmant grandes oculorum in limine guttæ?
Buxeus attonitam faciem quis pallor inaurat?
Quidúe tibi questus sufflaminat interfectos,
Aut propè iam natos rursùm concarcerat antro
Pulmoneo, vt solùm suspiria crebra vapores?
Quænam membra vorat macies ieiuna? maritat
Ossibus in toto frustra se corpore pellis?
Visa animum, & macras vires animasse, dolores
Dissimulasse, thoro suffulta resedit; &, Actũ est,
Centuplicat, nisi sit super, alter in Orbe Machaon,
Actum est de nobis, medicis de mercibus, actum est,
Hoc Recipe *aspicias conscriptũ pro cute nostrâ.*
Si vis sanari, de morbo, nescio, quali,
Accipias herbam qualem, sed nescio, vel quã,
Ponas nescio quò, sanabere nescio quando!
Bæotûm crasso iurabis in aere natum.

Quin me dementat cantamiue Thessala, & vrget
Raptitias sperare Deas, fore stamine parcas,
His Zoroastæis ita segmentata susurris,
Hem mala tontiri, mala toxica loxica liri,
Ædepol Ædulpes, mala raphanus, aphanus, Vlpes:
Sanare hisné queas confracti crura Melampi?
Inde etiam Hydrinis saturatas excrementis,
Tormenti genus, obbas contemplare; Cerastis
Lucripeta has rapuit gazas, floresq; Prometheo
Cadmaam hanc siluam ferro demessuit omnem
Persephone, attonitum Rhadamanthum, & Thesea iuxta
Iuxta Centaurosq; truces, triplicemq; Chymaram,
Scyllasq;, sphyngesq; inter, clamore frementes:
Atropos hancq; lacu stygio, baubante Molosso
Cerbereo, lauit, rabidâ adspumante Megarâ.
Quid moror has Erebi pestes omnes, Heccatomben!
Quas vel prætimeat Medæa Venefica, vel qua
Despiciens lampas Phœbæa resorbeat ignes
Dixerat, haud miror subiungo, depluere imbre
Ex oculis, orbamq; tuam te flere salutem:
Sanior haud vnquam Morborum adolescere ætas,
Has inter lamas, quàm si manita, doleres,
Gratior haud vnquam fumaret victima letho,
Quan

Quàm si, quæ seruas Mortales, cruda perires,
Nunc verò extirpa curarum è pectore Vepres,
Tristitiæ fornax non tantas excoquat vndas,
Et Mæandratam rugis, excorrige frontem,
Ne dubita, aspiciet te mitis Hygæa, memento
Meq; vide, scis Ipha, malis, quibus æger agebar
Sæpiùs, ac triplici taxo quassatus, & vmbris
Proximus, vt propior non, proximus esse potessem,
Attamen eripuit Doctor me Minderer vrnæ
Numine Propitio. Vir quantus tantus, vt Orbe,
Compleat erectis toties de morte trophæis,
Quaq; dies Infans, iuuenis, Vir, quaq; senex est,
Primorum, Canitur, Medicorum, carmine, princeps,
Tibia nec raucit, Momus licet ilia rumpat.
Affirmant libri, patrius quos suspicit Ister,
Quos Tagus Hesperius veneratur, Tybris adorat,
Deniq; quos Orbi Neptunus vexit Eoo.
Acclamant Arces, Vrbes & Mænia, & Aulæ
Cæsaris, atq; Ducum, Magnûmq; Palatia Regûm,
Quiq; genus referunt retrò ad Saturnia Regna,
Aut qui fumosas possunt ostendere Ceras;
Ipsa etiam nudis vestita domuncula culmis,
Ac tandem ducens pecudes ad prata Menalcas;
Morborum Furias, Orci ructantes in auras

Monstra, metu repetiſſe Stygem, metuiſſe repertam,
Qua data porta, moras citò præcipitaſſe fugatas,
Hoc Medico veniente; colum instauraſſe, coactam
Sæpè iterùm Lachesin, Libitinã fleſſe, ſepulchra
Fruſtra effoſſa; arcus lunatos, Mortis, in ictus
Caſſos, truncatas etiam iacuiſſe ſagittas.
Mactè, igitur, Medicina, animo, hoc Doctore valebis.
Aſpice, quã libro hoc medicatas fulminet ollas;
Quanta vi denſas ſubitò deruncinet vmbras,
Inter & hoſtiles campos ſpatietur & arma,
Alcides veluti Pigmæos inter inermes.
Quàm forti figmenta manu diſpulueret, Orcum
Quàmq; ſuperſtitio repetat pernicibus alis?
Haud aliter, quàm ſi prægnanti ex Corticis aluo
Spumet apes quercus, paſtor cum fortè moleſtas
Applicuit fumo flammas, & caſtra peruſſit
Cerea, diffugiunt illæ ſtrepitantibus alis,
Eripiuntq; diem, farto glomeramine, terris.
Inſuper, ante fores Cuſtos iam ſtabit Apollo,
Æſclapiuſq; ſenex: Ille vt vultu Omnituente
Fraude ſupertexta mendaces diſſuat artes;
Iſte, vt nodoſo, petulantia monſtra, fauore,
Si rurſùm Medica cupiant ſtabulare ſub arte,
Grande ſupercilium quatientia, ſponte ſalutet.
Cerne Canem Comitem, generoſo pectore dudum

Spiran-

Spirantem iustas latratu & morsibus iras,
Qui nec gemmatis vnquam placabitur offis,
Quò minus in fictos clementior irruat astus.
Hæc Tu Crede, potes Cliuum sperare Salutis,
Et solùm hanc tanto mercedem redde labori,
Scilicet, vt qui te Lugentem *luxerat, isto,*
Fac alio in libro Gaudentem, *gaudeat Auctor.*

M. Ioannes Drexel, Parochus
in Gindeckhingen, ac
Westendorffensis Capituli Decanus.

Προ-

Προσφώνησις

Ad Medicinam Lugentem.

Siccine demisso vultu Medicina lugebis?
Siccine vis ruptis exululare comis?
Quæ sic cura tuam mentem diuexat & angit?
Quæ tanti quæso causa doloris adest?
Histrio, Rasor, Anus, Monachus, Iudæus, & Augur,
Et malè quòd tractet te Sycophanta luges?
Eia age, curarum liberes te pondere, non est
Quod timeas, iam qui te tueatur habes.
Gloria Scriptori magna ex volumine paruo,
Maior at ex libro hoc gloria parta tibi est.

Ferdinandus Sagittarius, Oenipontanus Philosophiæ & Medicinæ Doct. ac Serenifs. Maximiliani Bauariæ Ducis Consiliarius & Medicus.

Ad Medicinam Lugentem.

QVid luges? Raymundus adest tibi; tunc Medicina
Luge, vbi Patronum liqueris ipsa tuum.

Iulius Schiller August.
Vind. V.I.D. & Patriæ Aduocatus.

IN RAYMVNDI MINDERERI MED. DOCT. CELEBERRIMI THRENODIAM Medicam Carmen.

EST, Raymunde, tibi diuina scientia munda
Artis, & ingenij flumen ab ore fluit.
Spurcities mundi quas artes assuit Arti
Oëdipus has munda dissuis arte nouus.
Raymundi ingeniū, os, pectus, sunt omnia mūda,
A mundo meritò nomen & omen habes.

Vrbanus Schlegel
Med. Doctor.

Aliud.

ALIVD.

IN EIVSDEM RAYMVNDI MINDERERI THRENODIAM MEDICAM.

MOesta diu luxit miserâ Medicina ruinâ
Atq; oculo sortem fleuit vtroq; grauem.
Demissus cœlo dum luxit Phœbus ab alto,
Imminuens luctus Minderer arte tuos.
Quàm benè sis, luctum dum tollis, Minderer idē
Mundi artem minuens marte vel arte doces.

Aliud.

Deridet Mundi risum bonus arte Remundus,
Sic ars, quod vulgus, luditur arte, probat.

Aliud.

Vt non suffecit ploranti lumen vtrumq;:
Ridenti sic non splen satis vnus erit.

Aliud.

Heraclitus eras, at nunc Democritus, ecquis
Bifrontem factum te neget esse Deum?

Amoris & obseruantiæ ergò collegæ suo honorando accinuit.

Vrbanus Schlegel,
Med. Doct.

Aliud

ALIVD.

In Medicinam Lugentem.

HEu luge Medicina mœsta luge!
Luge inquam Medicina mœsta luge!
Vultus ex ve iam serenìores,
Vultus indue iam seueriores,
Heu luge Medicina mœsta luge
Heu non es Medicina quod fuisti,
Iacet fama, tui iacent honores
Iacet Pergameus, senexq́ Cous
Et tuus Medicina Phœbus ipse.
Quiuis Hippocrates cupit videri,
Quiuis pharmaca congregare, quiuis
Miscere & medicaminum liquores.
Nati sunt veluti in tuam ruinam,
Ex te turpis anus petit triumphum.
Nec non cercula delicatiora,
Ineptissima turba ludionum,
Cinislo, parascitus ac arator.
RAYMVNDVS *columen decusq́ Phœbi,*
Tua delicia, tuiq́ amores,
Tuus Minderer optimus patronus
Audiuit lachrymas molestiasq́
Singultus, gemitus, tuos dolores
Misertus: calamo tenebriones
Tollit & iubet exulare victos.

Ergo

Ergo iam pariare collubescit,
Vices, iam Medicina læta ride,
Vultus exue iam seueriores
Vultus indue iam sereniores
Viuit fama, tuusq́; honor resurgit
Viuit pergameus, senexq́; Cous,
Viue ergo Medicina, viue, viue,
Sic Raymunde perennis, vsq; & vsq;
Viues, nunc Medicina viue viue,
Ride, ride, iterumq́; tertiumq́;.

Ioannes Georgius Haan
Medicinæ Candi-
datus.

THRE-

THRENODIA MEDICA.

Seu

MEDICINA LVGENS.

DIVERSIS SESE MVTVO subſequentibus Capitibus, perpeſſas calamitates, & etiamnûm durantes perſecutiones, ac miſerias, lamentabilitèr plangens.

CAPVT PRIMVM.

Medicina luget, ſe à Deo oriundam Cacodæmonum malitiâ varimodè impeti, ac multiplici fraude conuelli.

Admirabilis medicina ortus.

ADMIRABILEM planeq; ſtupendam Medicinæ vim ac efficaciam, nec non eiuſdem cum amplitudinem, tum verò & magnificentiam ſollicitâ attentione perpendens an-

tiquitas, cùm paulò diligentiùs in eius consideratione versaretur, attonita tandem suspiciens, tantæ tamque insignis scientiæ ac artis scaturigines, ac primos quasi fontes, & à quonam hæc vel parente genita, vel inuentore reperta, vel magistro tradita, aut vndenàm oriunda existeret, studiosâ magis quàm curiosâ indagine perquisiuit. Cùm autem eam non modò vegetabilium cognitioni addictam deprehenderet, sed etiam animalium quorumcunq;, mineralium, metallorum, lapidum, marcasitarum, & quæ ex imis terræ penetralibus ipsoq; ferè mundi centro eruuntur, aut in profundi maris abysso continentur, naturas ac vsum tenere, quin etiam cælorum motus ac siderum certas conditiones coitionesq;, ac posituras tam varimodas obseruare, insuper quoq; abditarum causarum effectus & operationes peruestigare, adeoq; singularum rerū quæ toto hoc mundi amplexu fouentur, ortus & occasus, generationes, corruptiones, vires, energias ac facultates exactè cognoscere, rationumq; rationes reddere cerneret, eius inuentionem non vlli quidem homini, vtpotè his peruestigationibus tam abstrusis, tamque difficilibus longè inferiori, sed ipsis numinibus omni intelligentiâ plenis non sine sua ratione adscripsit, tantam rerum copiam ac propemodùm infinitudinem vnius ingenij viribus

Veteres Medicinæ inuentionem Diis adscribere sunt soliti.

bus comprehendi posse impossibile esse existimans.

Atqui verò Medicinam vnà cum Adamo enatam, in Ægypto antè & post diluuium floruisse dubium non est, cui Mercurius ille Trismegistus (qui Noachi auditor ac Chusi pædagogus, eiusq; liberorum Isidis Osiridisq; præfectus extitisse putatur) plurimum splendoris attulisse fuit creditus. Ea tamen ex Ægypto posteà temporum calamitate disiecta, ad Græcos profugit, vbi benignos fautores ac patronos tandem nacta (tanquam si ibidem enata ac educata fuisset) vires, ætatem, & pristinum robur rursus acquisiuit. Vndè prisca Græcorum ætas vetustissimum illum Chironem Centaurum prima Medicinæ fundamenta jecisse fuit arbitrata, quem proindè ab immortalibus parentibus progenitum finxit, quod perennis experientiæ ductu chirurgiam concinnasset. Hunc Græci ob eam quam in tractandis vulneribus exercebat manuum leuitatem, dexteritatem, facilitatem, nec non subsequentis curationis fælicitatem Chironem nominauêre; Centaurum verò ideò appellare sunt soliti, quòd sicut Centaurus priore corporis sui parte hominis effigiem, posteriore verò equi figuram repræsentat, sic eius medicatio non ad homines modò, verùm etiam ad bestias salutari auxilio sese extenderit;

Mercurius Trismegistus.

Chiron, Centaurus.

memorantq́; veterum monumenta eum primum extitiſſe, qui Medicinam apud Græcos inſtituerit. Vndè Sabellicus.

Repperit Hæmoniæ Chiron vetus incola terræ.
Herbarum medicas vires, & nomina primus.

Chironis parentes.

Fuit autem hic ex Saturno & Philyrâ (quæ amica experientia interpretatur) prout ex Ouid. lib. 6. Metamorph. & ex Apollonio lib. Ἀργοναυτικῶν colligitur, genitus; quem Herculeo tandem telo quod Lernæo veneno infectum erat, vulneratum, poſtquam à Ioue ac Dijs vt morti ſuccumbere poſſet impetrauerat, (aliâs enim eô quod ex immortali patre natus foret, mori non potuiſſet) occubuiſſe legimus, prout Hyginius lib. de Stellis teſtatur, quemq́; poſt obitum in cælum transferre ac inter ſidera reponere poſteritas non dubitauit. Eius exitium & mortis hiſtoriam Ouid. 5. Faſt. lugubri ſic carmine planxit, quod huc annectere haud indecorum fore duximus.

Chiron inter ſidera relatus.

Nocte minus quartâ promet ſua ſidera Chirō
Semiuir, & flaui corpore miſtus equi.
Peliō Hæmoniæ mons eſt obuerſus in Auſtros,
Sum-

Summa virent pinu, cætera quercus
habet.
Phillyrides tenuit, saxo stant antra vetusto,
Quæ iustũ memorant incoluisse senem.
Ille manus olim missuras Hectora letho
Creditur in lyricis detinuisse modis.
Venerat Alcides exhaustâ parte laborum,
Iussaq; restabant vltima penè viro.
Stare simul casu Troiæ duo fata videres:
Hinc puer Æacidis, hinc Ioue natus
erat.
Excipit hospitio iuuenem Philyreius heros,
Et causam aduẽtus hic rogat, ille docet.
Respicit intereà clauam, spoliumq; leonis,
Virq; ait, his armis, armaq; digna viro.
Nec se, quin horrens auderent tangere setis
Vellus, Achilleæ continuêre manus.
Dumq; senex tractat squallẽtia tela venenis,
Excidit, & læuo fixa sagitta pede est.
Ingemuit Chiron, traxitq; è corpore ferrum,
Et gemit Alcides, Hæmoniusq; puer.
Ipse tamen lectas Pegaseis collibus herbas
Temperat, & vanâ vulnera mulcet ope.
Virus edax superabat opem, penitusq; re-
cepta
Ossibus, & toto corpore pestis erat.
Sanguine Centauri Lernea sanguis Echidnæ
Mistus, ad auxilium tempora nulla
dabat.

Leuis mortis occasio, vel causa.

Stabat vt antè patrem lacrymis perfusus Achilles,
Sic flendus Peleus, si moreretur, erat.
Sæpè manus ægras manibus mulcebat amicis:
Morum, quos fecit, præmia doctor habet.
Oscula sæpè dedit, dixit quoq; sæpè iacenti,
Viue, precor, nec me chare relinque pater.
Nona dies aderat, cum tu iustissime Chiron,
Bis septem stellis corpore cinctus eras.

Id autem ei sic euenturum prædixerat filia Ocyrhoë, quam ex Cariclo Nympha genuerat: cuius verba refert Naso his carminibus.

Ocyrhoês præsagium

Tu quoq; chare pater nunc immortalis, & auis.
Omnibus vt maneas nascendi lege creatus.
Posse mori cupies tum, cùm cruciabere diræ
Sanguine serpentis per saucia membra recepto,
Teq; ex æterno patientem numina mortis
Efficient, triplicesq; deæ tua filia resoluent.

Alij verò eum longioris vitæ pertæsum, mortem à Dijs impetrasse existimant, prout Mnesagoras ratus est: etenim grandæuum illum

rum extitisse Theocritus in Thalasiâ prodidit.

Talia nonnè Pholi saxoso rupis in antro
Alcidæ statuit longæuus pocula Chiron?

Idem præter herbarum cognitionem, siderumq; notitiam, mirificè in pulsandæ citharæ usu excelluit, cuius concentu etiam morbos quosdam depulisse fuit creditus: cui rei Staphylus lib. 3. rerum Thessal. & Boëtius in Musicâ testimonium perhibent.

Hercules, Achilles, & Iason.

Ex huius schola Hercules, Achilles, & Iason ille, ob scientiæ præcellentiam à præceptore (cùm antea Dolomedes audiret) sic nuncupatus, prodiêre. Postquam enim Pelias ab oraculo responsum accepisset, futurum vt manu cuiusdam ex Æoli familia oriundi interiret, totum genus Æolidum abolendum ac è medio tollendum statuit. Cùm autem Iason ex Aësone Æoli nepote genitus esset, eiq; cum cæteris Æolideis vitæ ac excidij periculum immineret propinqui eius infantem arcâ conclusum tanquam mortuum noctu in Chironis antrum deportarunt, vbi enutritus ac in Philosophia, præsertim verò in arte Medica probè institutus fuit.

Achilles leonum visceribus, & aprorum ac vr-

Achilles porrò aprorum & vrsorum medullis, nec non leonum visceribus enutritus, & in naturalium rerum cognitionē omnisq; humanæ sapientiæ penetralia deductus, adeò

sorum medullis fuit contritus.

tandem Physicam exercuit, vt plantarum cognitione præ cæteris excelleret: vndè Telephi vulneri, omnium opinione insanabili, curando, herbam anteà ignoratam adhibuit, quam in hunc vsq; diem Achilleam dicere consueuimus. Idem sæuissimæ Pestis in exercitum Græcorum antè Troiam debacchantis ex aëris constitutione solisq; insueto pallore causas præuidit, ac in diuinæ iræ permissionem retulit: hinc per preces Thetidis à Vulcano arma, & scutum totius mundi cælamen continens (ob cuius possessionem ab eius obitu cum Aiace Vlysses contenderat) obtinuit, cuius Ouid. lib. 13. Metamorph. sic meminit.

Scilicet idcircò pro nato cærula mater
Ambitiosa suo fuit, vt cælestia dona,
Artis opus tantæ, rudis et sine pectore miles
Indueret: neq; enim clypei cælāina nouit,
Oceanū & terras, cumq; alto sidera cælo,
Pleiadasq;, Hyadasq;. immunemq; æquoris Arcton,
Diuersas nubes, nitidūq; Orionis ensem
Postulat, vt capiat quæ non intelligit arma.

Apollo Medicinam adinuenit.

Cōmunior tamen priscorum opinio Medicinæ inuentionē, institutionemq; ad Apollinem (quem Homerus sanitatis auctorem appel-

appellat) transtulit. Vndè ipsemet apud Nasonem ita gloriatur.

Inuentum MEDICINA meum est, opiferq́; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis.

Quem eundem modò dictus Poëta etiam 2. de Remed. amor. pro Medicinæ repertore agnouit sic inquiens:

—— *& Medica Phœbe repertor opis.*

Hippocratis de Apolline testimonium.

Hoc ipsum quoq; ex Hippocratis ad Philopemonem datâ epistolâ liquet, vbi ait: *Medicatio namq; & vaticinatio cognatæ sunt inter sese, quandoquidem & harum duarum artium pater & auctor est Apollo, proauusq́; noster præsentes & futuros morbos prædicebat, & affectos afficiendosq́; curabat.* Vndè potiùs Apollonius Thianæus, & Iamblicus, Apollinẽ Medicinæ inuentorem arbitrati sunt, eo quod Medicinæ scientia à vaticinijs exordium duxerit, Medicinæ namq; & vaticinationis (vt Macrobius vult) eædem erant disciplinæ, cui Ficinus de vitâ Sanâ adstipulatur, cùm Medici munus sit, non præsentia modò corporis cõmoda, vel incõmoda discernere, agnoscere, ac dijudicare, verùm etiam præuidere, prædicere, ac præsagire.

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura sequantur.

De eodē itidem in hunc modum scribit antiquissimus Soranus in præfat. sui Isagog. *Medicinam quidem inuenit Apollo, amplificauit Æsculapius, perfecit Hippocrates.* Vestales sanè Virgines Apollinem in Sacris quondam Romæ celebrari consuetis hoc nomine salutabant, Apollo Medice, Apollo Pæan: quem etiam ὄυλιον tanquam salubritatis auctorem Græci dixerunt, & (vt Callimach. in in hymno Apoll. ait.)

Sorani de eodem testimonium.

——ex illo didicerunt funera primùm
Differre, & gelidæ vitare pericula mortis.

Eundem etiam Ouidius Medicinæ repertorem agnoscit.

——& Medicæ Phœbe repertor opis.

Vnde artem Medicam ad Apollinem spectare innuit 4. de Trist. inquiens.

Si valeant homines ars tua Phœbe iacet.

Et 3. Fast.

Vos quoq; Phœbæa morbos qui pellitis arte.

Huic omnes quasi omnium Deorum vires ac facultates, imô etiam rerum omnium copiam ac gubernationem, adeoq; faustæ ac infœli-

fœlicis seu aduersæ fortunæ dispositiones directionesq; veterum auctoritas subiugauit, quæ eundem ob excellentiam ac maiestatem, Soli comparare ausa fuit, quòd is ipse tãquam Sol è multis ignibus constans (vt Seusippus docuit) mundo lumen claritatemq; adferat, quodq; ei totus terrarum ambitus ad famulare obsequium adactus ministret, vt ex Cleanthis & Apollodori memorationibus patescit.

Sed & huic quoque animantium salutes ac vitas concessas esse primitùs in confesso erat, prout ex Euripide & Archilocho colligitur, ideoq; Pestem modò immittere, modò retrahere ac reuocare, & salubritatem pro morbosa tristiq; constitutione reponere fuit creditus. Proindè Lindij Apollinem Lemiūm, seu Λοίμον, Athenienses Αλεξίκακον appellatum, cessante tetrâ Pestilentiæ lue coluêre, cuius tanquam sospitalis ac medici Dei memoria in posteris quoque sacris obseruaretur: quem etiam Ieium tanquam sanatorem dixêre. Quin etiam laus eius non parùm ex Hermetis Asclepio elucet, vbi ita de illo legitur: *Auus enim tuus, ô Asclepi, Medicinæ primus inuentor, cui templum consecratum est in monte Libyæ circa littus Crocodylorum, in quo jacet eius mandanus homo*, id est, corpus (*reliquus enim vel potiùs totus, si est homo totus,*

Apollo Veterinarius etiam extitit.

tus, si est homo totus in sensu vitæ, melior remeauit in cælum) omnia etiam nunc adiumenta hominibus præstans infirmis numine suo, quæ antè solebat Medicinæ arte præbere. Et licet is idem salutis opifex arbitrio hominum fuerit habitus, eidem tamen nocendi paritèr ac iuuandi potestas attributa est; quem etiam in dextrâ Gratias gerentem, vtpotè ad parcendum beneficiaq; præstanda promptiorem, in sinistra verò (velut manu minùs agili) sagittas ac nocendi modos tenentem, per effigies, picturas & simulachra prisca semper sæcula repræsentarunt. Quod ipsum veteres forsitan per figuram hanc innuere volebant, medicamenta dextro vsu protinùs in hominum salutem cedere, sinistrè porrò exhibita, in maximam eorundem perniciem ac extremam internecionem vergere posse ostendentes, quomodo abusus peiorans, debitam Medicinæ vsurpationem deterioratione sæpè peruertit, & venustate sua pristina exutam, in negligentiam, despectum, derisionemq; abigit. Mitto nunc quæ Menandrus de Milesijs pro salute sua immolantibus, & Pherecydes de sacrificio per Theseum Apollini Vlio præstito memorant, ac insuper quæ de Apolline Libystino, nec non ludis Apollinaribus ac sospitalis Dei spectaculis referuntur: mitto etiam varios hunc colendi modos, quibus vetu-

Simulachrum Apollinis.

Varij Apollinis cultus.

tuſtas in eius veneratione vti fuit ſolita, quos Macrobius longiuſculè in Saturnalibus dictat ac recenſet. Tam immenſum ſanè honorem ei vetuſtas exhibuit, vt vel terram illam in qua natus credebatur, beatam ac fœlicem prædicauerit. Alpheus Mitylenæus in laudem Deli (quæ inſula Phœbi patria fuiſſe exiſtimatur) ſic ſcripſit.

Te voco fœlicem quod Phœbum caperis, & quod
Solam te patriam clara Diana vocat.

Fuit autem Apollo non ſolum arte medicâ ſed alijs quoq; ſcientijs quas reperiſſe memoratur clarus, etenim eius inuenta, ac ſolertiam, Callimachus in hymno Apollinis ſic deſcribit.

Nec tot quiſquam artes quot Phœbus callet Apollo,
Ille ſagittantes ſibi deligit, ille Poëtas.
Phœbo cum jaculis ſunt & pia carmina curæ,
Sortilegumq; notæ, & vates, quin & duce Phœbo,
Addiſcunt Medici properantem auertere mortem.

Apollo plurimarum artium inuentor & excultor.

Vel ſic

Arte magis varius, vllus quam clarus Apollo,

Sunt

Sunt illi artifices, cantus cura, ille sagittas,
Ille arcus curat, pariterq; oracula, vates,
Suffragia. &c.

Apollo Musicus.

Athenienses ob cantus dexteritatem qui & ipse morbos & dolores mulcet, aureas cicadas capillis implicitas gestabant, quæ Musicam Apollini sacratam repræsentarent vt habet enarrator Aristophanis.

Oënones, artem Medicam ab Apolline didicit.

Artem porro Medicam Apollo Oenonen Asiaticam Heroinam edocuit, prout ex Ouidio in Oënones ad Paridem epistola patescit.

Me fide conspicuus Troia munitor amauit.

& postea,

Ipse ratus dignam Medicas mihi tradidit artes,
Admisitq; meas ad sua dona manus.
Quæcunq; herba potens ad opem, radixue medendi
Vtilis in toto nascitur orbe, mea est.

Apollinis nomina.

Igitur ob complures scientias varijs nominibus appellebatur, dicebatur enim Cælispex Medicus, Palatinus, Sandaliarius, Sosinus, Thuscanicus, Tortor. Primam huic ædem struxisse historiæ perhibent M. Fuluium nobiliorem Censorem L. Manlio Acidino,

no, Q. Fuluio Flacco Coss. vide Liuium lib. 40. dictus est & Actiacus, & Naualis, & Paraetonius. Nominabatur autem Palatinus â templo quod ei Augustus Antonio & Cleopatra deuictis ex Lunensi marmore vt Seruius testatur extruxit, eius valuae erant eburneae auro pixturisq; exornatae, quibus detracta hostibus spolia appendebantur. Describitur hoc templum à Propertio cuius carmen Ioseph. Scaliger castigatum sic reddidit.

Templum Apollinis.

Tum medium claris surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo charius Ortygia.
Auro solis erat supra fastigia currus
Et value Libyci nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnassi vertice Gallos
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse interq; sororem,
Pythius in longâ carmina veste sonat.
Illic aspicias scopulis hærere sorores
Et canere antiqui dulcia furta Iouis.
Vt semele est combustus, vt est deperditus Io:
Deniq; vt ad Troia tecta volarit alis.

Magnificentiam templi jam dicti qui precioso ac solenni portica cingebatur idem Propert. his carminibus describit.

Quæ-

Templi Apollinai descriptio ex Proper.

Quæris cur veniam tibi tardior aurea Phœbi
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in species Panis digesta columnis,
Inter quas Panai fœmina turba senis,
Hic etenim Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacito carmen hiare lyra.
Atq; aram circum steterant armenta Myronis
Quatuor artificis viuida singna boues.

Explicatio nominum Apollinis.

Vocatus autem fuit Cælispex, ob formam simulachri, quod ei erectum fuerat. Sandaliarius ob calceamenta statuæ suæ tributa, quæ Sandalia, nos crepidas vocare consueuimus, videndus hâc de re Onuphrius Panuinius & Sext. Rufus, eius statuam Sandaliariam, Augustus Cæsar ex strena equitum quam sibi equites Calendis Ianuarijs in Capitolio præbere solebant, mercatus dicitur, memorantque vicum illum Sandaliarium fuisse, indè dictum, vel quod alias plures Sandaliarij seu Sutores vel Cerdones ibi habitauerint vt placet Læuino Torrentio, Sosianus dictus est ob simulachrum Cedrinum è Seleucia allatũ cuius Plinius lib. 13. cap. 5. meminit Thuscanicus Apollo fuit Romæ in Bibliotheca Templi Augusti

gusti quinquaginta pedum à pollice de quo idem Plin. lib. 34 cap. 7. ſcribit dubium eſſe, ære ne mirabilior an pulchritudine fuerit, putant Suetonius & Antonius Sabellicus eum Tortorem dictum fuiſſe, quod ſtatuam habuerit in vicu quodam Romano, in quo vſualia tortorū lora pependerint aut quem tortores lictoreſq; habitauerint. Apollinis porro Diadematum Coloſſum triginta cubitorum, centum & quadraginta talentis in eo abſumptis, Lucullus ex Apollonia Ponti in Capitolium trāſtulit: Idem Plin. & hæc de Apolline.

Apollo Tortor

Veruntamen Apollo iam dictus Medicam ſcientiam potiſſimum in ſubſecutam transfudit progeniem, eum enim mox ſecutus eſt filius Æſculapius ex Coronide Nymphâ natus, prout teſtatur Mæonides his verſibus.

Æſculapius.

Morborum medicum canto. quem diua Coronis
Ex Phœbo peperit Phlegyæ olim filia regis:
Dotius eſt vbi lætus agerq; Amyniq; fluentæ.

Matrem eius adhuc prægnantē ob concubitum cum Iſchyo Elati filio à Dianâ peremptam referunt, ex cuius ventre cùm iam rogo cremanda impoſita fuiſſet, Mercurius fœtum extraxiſſe dicitur, prout habet Oui. 2. Metam.

Non tulit in cineres labi ſua Phœbus eoſdē
Semina, ſed natū, flammis, vteroq; parētis

Eripuit, geminiq́ tulit Chironis in antrum.

Hunc Archiatron, velut Medicorum Deum ac præsidem veteres constituêre, tantæ virtutis ac scientiæ, ut Glaucum Androgeonem & Hipolytum Thesei filium, Virgilio monitore, Pæoniis reuocatum herbis huic luci restituisse sit creditus, Vndè illi de eo Samonici versus extant.

Æsculapius Archiater.

Tuq́ potens artis reduces qui tradere vitas,
Nosti, atque in cælum manes reuocare sepultos.
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quiq; Epidaurum.

Quod ipsum & alius quidam Poëta monuisse visus est, de præfato Hipolyto canens.

——*Vitalem tibi bis decurrere campum,*
Et reditum à metâ fata dedisse nouum.

De Æsculapio sic Orpheus vatum vetustissimus in hymnis cecinit.

Medice omnium Æsculapie Domine Paan,
Veni beate Saluator, vitæ finem bonum præbens.

Æsculapius hic (quem Lactant. lib de fals. relig. lacte canino nutritum & Chironi traditum ab eoq; in arte Medicâ eruditum ac instru-

ſtructum fuiſſe memorat) Deorum ſimilitèr numero adſcriptus erat, cui Cotylæus Hercules propè Eurotam fluuium ob vulneris (quod in manus concauitate ſibi inflictum fuerat) perſanati curationem, templum condidit, quod eius honori ſacrum habebatur. Scripſit Lucianus in Icaromenippo celeberrimum templum Æſculapij fuiſſe Pergami; quale quoque extitiſſe Tetrapoli (quæ ciuitas olim Ionibus & Caribus habitabatur) Strabo lib. 8. prodidit. Et Cicero lib. 2. de legibus Æſculapium ob beneficia humano generi præſtita non minùs quàm Liberum, Caſtorem ac Pollucem inter Deos relatum eſſe ſcripſit. Celebrabantur quinquennales quondam in eius luco ludi, die nono poſt Iſthmios, & apud Epidaurios, apud quos natus fuerat. Vndè etiam Propertius eundem Dei nomine appellare non dubitauit.

Et Deus extinctum creſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis.

Tantâ autem dexteritate Medicinam fecit, vt ſe tunc temporis beatam æſtimari poſſe putaret Græcia, tam altæ atque inſignis ſcientiæ viro gaudens; quem ob medendi peritiam Æſculapium, quaſi Capricanem dixêre,

Æſculapij in curando felicitas.

 Ægy-

Æsculapi-us vndè dictus. Ægyptiacâ enim linguâ (ex qua nomen eius conflatum esse videtur) Æsch capram, Keleph autẽ canẽ significat: quo sanè nomine commodo lactis caprilli vsu ægris opem præstitisse, vulnera autem & saucias humani corporis partes haud alitèr quàm lambente canis linguâ persanasse testati sunt. *Caprica-nis.* Quin etiam eius simulacro canem adiunxêre, non quidẽ eam ob causam, quòd (vt aliqui opinati sunt) à caprâ lactatus, à cane autem custodit[9] fuisset, sed quod capram is seu potius remedia ex capra deprompta medicando (vti dictum est) adhibuerit, linguam autem canis, vulnera & fœda vlcera repurgando, atque sic ijs medendo fuerit imitatus: aut quòd quasi excubans custos in ægritudinum depulsione peruigil semper extiterit. Vndè cum paternam artem non parùm excoluisset, Medicinam reperisse fuit creditus, etenim (vt Porphyrius lib. de Philosoph. respons: refert) Oraculum diabolicum sic de ipso pronuntians hæc edixit *Oraculum diabolicum.*

Natus ego ex sacrâ Tricca, cui tota medendi
Ars, cui sese omnis paritèr sapientia debet:
Quem mater peperit compressa ab Apolline magnum
Illum Æsculapium, diuûm numeroq; receptum.

Hygiaa. Vxorem is habuit Hygiæm, quæ Latinis postea

postea Salus Dea dicta est, eam enim Orpheus in hymno quodam Æsculapij coniugem fuisse dicit inquiens,

Stirps Phœbi præclara, thori cui splendida consors
Est Hygiæa. grauis, morborum pulsor, & hostis.

Æsculapii encomium

Licet alij eam non Æsculapij coniugem, sed filiam fuisse scribant, cui Panacea soror fuerit, ita vt Hygiæa sanitatis conseruatrix, Panacea morborum depultrix, & salutis reuocatrix sit existimata.

Panacea.

Æsculapij obitum, postquam ob Hippolytum resuscitatum à Ioue fulmine percussus fuisset, Apollo parēs ægerrimè tulisse ac maximoperè luxisse fertur, cuius lacrymas in Electrum conuersas esse testatur Apollonius 4. Argonaut.

Electrum.

———*Celtæ famam fecêre, quod illic*
Lotoidæ Phœbi lacrymæ voluūtur in imo
Flumine, quas multas in nati funere fudit.

Posteaquam vero filij necem alitèr vlcisci non poterat, iram in Cyclopes conuertit, eosque sagittis confecit, eô quod Ioui fulmina fabricati fuissent, prout Orpheus in Argonaut. innuit:

Inde Pheris Admetus adest seruiuit Apollo
Huic olim cuperet vitare is eum Iouis irā

Cyclopas quoniam confecerat ille sagittis
Atq; neci dederat Asclepi pignoris ergô.

Tres Æsculapij.

Fuiſſe autem tres Æſculapios. Cicero lib. 3. de Nat. Deor docet, qui tamen omnes Medicinam exercuêre. Horum primum Apollinis filium Arcades colunt. Is Specillum inueniſſe, ac primus vulnera obligaſſe traditur. Secundus ſecundi Mercurij frater fuit, fulmine percuſſus ac Cynoſuris humatus. Tertius Arſippi & Arſinoes filius extitit, qui dentis euulſionem, & alui purgationem reperiſſe putatur, apud Arcades, juxta Luſium flumen ſepultus.

Nobilem autem illum ac famoſum Æſculapium vtpotè inſignem Medicum, vt Tarquitius de viris Illuſtribus & Lactantius referunt, incertis aliqui parentibus natum, & in vicum quendam expoſitum fuiſſe memorant, quem â venatoribus inuentum ij ipſi canino lacte pauerint, Chironi poſtea traditum, vt in arte Medica plus magis inſtrueretur, quem in Epidauro habitaſſe memorant licet Meſſenius fuerit, cum Cornel. Celſus in Deorum numerum rela-

relatum ſcribit, quod Medicinam rudem ſubtiliûs excoluiſſet. Romæ is poſtea maximoperè honoratus fuit, quod cum Q. Fabio Maximi filio Gurgite. D. Iunio Bruto Scæua Coſſ. dum Peſtis vrbem vaſtaret, ex libris Sibyllinis quæſitum eſſet remedium, inuentumque præſidium iſtud, Æſculapium Romam accerſendum qui anguis effigie in Epidauro juxtà Argos ſito colebratur, vndè eius fama magis nitere cæpit. Hiſtoriam eam deſcribunt Valerius Maximus & Liuius lib. 10. Florus Epitom. 11. Oroſius lib. 3. cap. 22. Aurelius Victor de viris Illuſtribus qui liber Cornelio Nepoti itemque Plinio Secundo huc-uſque ſed falsô eſt adſcriptus. De hoc Ouid. 15. Metamorph.

Æſculapius Draconis aut anguis ſpecie Romã ingreſſus.

Dira lues quondam Latias vitiauerat auras,
Pallidaq; exangui ſquallebant corpora morbo.
Funeribus feſſi, poſtquam mortalia cernunt,
Tentamenta nihil, nihil artes poſſe medentûm
Auxilium cæleſte petunt.

Et postea ait.

Orauêre deum qui præsens funera gentis
Finiat Ausoniæ.

Ac factum.

Huc se de Latiâ pinu Phœbeius anguis
Contulit, & finem specie cæleste resumptâ,
Luctibus imposuit, venitq́; salutifer vrbi.

Æsculapius anguis.

Æsculapij Templum Romæ.

Templum eius Romæ in Insula Tiberina quondam extitit: reddit eius rationem Plutarch. in Quæst. Rom. Problem. 94. Huic laureâ corona decorato, gallinæ imolabantur, laurea autem eius erat corona, quod ea arbor plurimorum remediorum vires contineret. Innuit Festus eum ad ripas Lusij fluminis habitasse, eo argumento, quod (Hieroglyphicè intelligendo) ægroti plurimi, aquæ potu, & sustententur, & curentur. In eius templo ægroti incubabant valetudinis beneficia percepturi, increpabant vero hunc Deum, si quis morbo leuatus non fuisset, his versibus vt ex Plauto colligitur.

Migrare certum est iam nunc ê fano foras,
Quando Æsculapij ita sentio sententiam.

Hac de re disce plura ex doctiss. Hieron. Mercur. variarum lection. lib 1. cap 15.

Vide quomodo confestim â Dijs suis digressi deflexerint. Et licet illorum Dij fuerint vt Dij gentium Dæmonia, tamen nec ijs fidem habuerunt, quos pro veris Dijs agnouerant.

uerant. Epidaurius itaque ille anguis Dæmon erat, Draconis effigie cultus. Veri autem serui Domini Dei viuentis, alio serpente vsi fuisse leguntur, idque præcepto numinis. Sic enim habet scriptura sancta Numeri cap 21. *Orauitq; Moyses pro populo* (quod ob murmura contra DEVM ac Moysen effutita serpentûm Diuina pæna immissorum morsibus affligebatur) *Et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent sanabantur.* Atque hic erat in veteri testamento non quidem Epidaurius, sed Iudaicus anguis.

Epidaurius anguis.

Serpens Iudaicus.

Alius autem est anguis Christianus dicente Domino nostro IESV CHRISTO. *Ego sum vermis & non homo.* Et: *sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita oportet filium hominis exaltari.* Vndè vetusto rithmo dicim9.

Iesus Christus Vermi assimilatus.

Nos Christi sanguis
Sanat sicut Æneus anguis.

Sed de his aliâs forsan plura, hæc solûm hîc quasi per parenthesin dicta sufficiant, nos iam progeniem Medicorum vlterius prosequemur.

Filios Æsculap. reliquit Podalyrium & Machaonem; Podalyriũ quidem crassum, valentem, tristem seu morosum, ac superbum,

Podalyrius & Machaon.

quem Ouid. 2. de Arte amand. pro inſigni Medico agnouit ſic canens,

Quantus apud Danaos Podalyrius arte medendi.

Et alibi.

Quem ſemel excepit, nunquam Podalyrius agro
Promiſſam Medicæ non tulit artis opem.

Qui idem apud Eobanum Heſſum ita gloriatur.

Sæpè meas ſenſit vires Argiua juuentus,
Fluminis ad ripas inclyte Xanthe tui.

Machaonis laus.

Machaonem verò (quem Homerus 4. Iliad. æqualem Deo dixit) magnum, fortem, patientem, prudentem, ac miſericordem, prout de his ex Daretis Phrygij Annotat, colligitur, cui maximam medicandi peritiam priſci adſcripſerunt, adeò vt ſi quis eius ope non conualuiſſet, eum pro deplorato habuerint. Vndè Naſo 2. de Remed. amor.

Ille Machaoniâ vix ope ſanus erit.

Cuius quoque laudem ob Philoctetæ curationem celebrat Propertius lib. 2. ſic inquiens.

Tarda Philoctetæ ſanauit crura Machaõ,

Et

Et Homerus lib. 4. Iliad. eius ſic meminit.

——— Machaona ducito nobis
Præſtantis Medici natum, huic Aſclepius olim
Nam pater ipſe fuit.

De eodem Eobanus Heſſus.

Me quoq; qua fratrem Podalyrium arte medentem
Vidit ad Idæos Græcia tota lares.
Vera loquor, nec me tacuit diuinus Homerus,
Curaſſe artifici vulnera multa manu.

Scribit Pauſanias Glaucum Meſſiniorum regem Machaoni ſacra in Gerenia primûm feciſſe, Machaoniſq; filios apud Pharealas quondam regnaſſe.

Hi ambo cum Agamemnone duce Græcorum caſtra ſecuti, Troianæ expeditioni interfuêre, quorum hic ab Euriphylo Telephi filio interfectus; ille verò poſt dirutum Ilium in Græcorum reditu per tempeſtatem in Scyron Cariæ vrbem delatus, paternam artem docere cœpit, ad quam non pauci animum applicabant: cuius cum numeroſa diſcipulorum progenies diſpari ingenij lu[illegible] ac apinionum diſſen-

Caſtra Agamemnonis.

Tres Schola Medica, Cnidia, Rhodia, & Coa.

dissensione inter sese certaret, factum tandem, vt diuersas sententias amplectens, in tres illas orbi notissimas scholas, Cnidiam nimirum, Rhodiam, & Coam trifariàm dispartita decesserit. Horum autem vtrumque, Podalyrium nempè & Machaonem, antiquitas in Deorum numerum retulit, eorumq; famam ab omni vilescente senio vindicatam extra caducarum rerum seriem & alternantis sæculi vires transposuit.

Prætereo nunc quæ de Pæone illo Deorum Medico Homerus memorat, etenim lib. 4. Odyss. sic ait,

Est Medicus prudens cunctis præstantior vnus
Ille viris, cui Pæoniæ sit gentis origo.

Mercurius Medicus.

Nam & Mercurius Medicinam fecit, plantarum facultates eximiè callens, vndè Moly herbâ Vlyssem à venenatis Circes poculis prçseruauit, prout nõtauit Ouid. 14. Metamorph.

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album,
Moly vocant superi: nigrâ radice tenetur.
Tutus eo, monitisq; simul cœlestibus intrat
Ille domum Circes.

Idem Linozostidis seu Parthenij vocatæ her-

herbę vſum reperit, quæ ob id Græcis Hermupoan, vel rectiùs Hermobotañi, nobis autem Mercurialis dicitur. Et Venus filij Æneæ vulnus dictamno obligans, dolori medelam ac leuamen adhibuit, de quo Virgilius.

Aſt Venus indigno nati concuſſa dolore,
Dictamnum genitrix Cretea carpit ab Idâ.

Venus.

Et 12 Æneid. ſic ait.

Hoc Venus obſcuro faciem circumdata nimbo
Detulit, hoc fuſcum labris ſplendentibus amnem
Inficit occultè medicans, ſpargitq; ſalubris
Ambroſiæ ſuccos, & odoriferam Panaceam:
Fouit eâ vulnus lymphâ longæuus Iapys
Ignorans, ſubitoq; omnis de corpore fugit
Quippe dolor, cunctus ſtetit imo vulnere ſanguis.

Nihil hîc de Apide Ægyptiorum Rege, quem Oſirim (quaſi multoculum) nuncuparunt, quique priuſquam Io in Ægyptum veniret, Medicinam repererat, nihil de Iſide, (quam Mineruam dixêre) Iocheno, ac Asclepiade dicam, quorum prioribus Ægyptios, poſte-

Ægyptiorum ac Græcorum primi Medici pro Diis habiti;

posteriori verò Græcos quemadmodum Apollini & Æsculapio templa consecrasse, ac diuinos honores exhibuisse pasŝim legimus; sunt qui Apim suprà commemoratum Bacchum fuisse putauerint, inter quos Herodotus, sed falsò: Bacchum tamen clarissimum Medicum, & regiâ dignitate simul ac Dei nomine insignitum extitisse testatur Xenophon lib. de venatione.

Ægyptiorum figmenta.

Tribuebant enim Ægyptij figmenta sua quæ post Noachum sunt, Nilo, Ammoni, Serapidi, Plutoni, Ioui, Pani, Apollini, & Oro. Mentitum hinc legimus oraculum, de diuersitate horum nominum interrogatum respondisse.

Sol & Osyris idem Dionysius, Orus, Apollo.

Sed Sabellicus Canopum quendam in carmine de rerum & artium inuentoribus introducit, cuius alioquin nulla clara mentio.

Canopus.

Canopum autem hunc sic describit.

Boëtio Sutrina datur, Medicina Canopo,
Ast Arabus quem Phœbe tibi Babylona creasse
Fama refert, Medicæ fertur dator autor & artis.

Ve-

Veruntamen valeant hæc Ethnicorum commenta quantum valere possunt, ne rem per se veram ac solidam fabulis & hyperbolicis poëtarũ nugationibus firmare ac stabilire velle videamur, ab his confestim digrediamur nam Medicinam à Domino Deo profectam, & humano generi pro leuandis innumeris malis liberalissimè dono datã primitùs fuisse ostendunt ac demonstrant vel ipsæ sacræ paginæ, prout Ecclesiast. cap. 38. scriptum est: *Honora Medicum propter necessitatem etenim illum creauit altissimus: à Deo est enim omnis medela* &c. Hippocrates, licet Ethnicus, Medicinæ viam secundùm sapientiam Deorum munus esse, & remediorum efficaciam ab ipsis pendere, & summam eorum eò redire, vt DEUS cognoscatur, lib. de Elegantia scripsit, quo in loco Medicum philosophum DEO similem existere, ac Medicinæ dignitatem diuinam inesse, insuper etiam numen cuncta gubernans in Medicinâ minimè otiosum esse docuit.

DEUS vnus ac solus, viuus & verus Medicinam cõdidit.

Et verò etiam his sepositis Medicinæ fontem & auctorem DEUM extitisse ipsa conuincit ratio, prout cuilibet rem hanc sine liuore consideranti euidentissimè patere potest.

Etenim si opera Medici necessaria Salomon rectè dixit, haud dubiè diuina bonitas in necessarijs nunquam deficiens, & necessitatem ac exigentiam hanc omniscia præcognoscens & Medicum, & Medicinam, pro solita sua clementia & benignitatis affectu, seu plùs quàm paterna miseratione produxit, constituit ac confirmauit; vtpotè *cuius opera consummatum non iri* prænominatus Sapiens est attestatus.

Medicina ex effectu diuina.

Quod si Medicinæ originem aliter quoque perpendas, eiusq; naturam & agendi modum, quinetiam operationes & effectus considerès, nil quidquam in ipsa nisi diuinum reperies; quis enim eam à DEO conditam & infinitis propemodùm donis dotatam ac ditatam negabit? quam is ipse ante hominem extare voluit, vtpotè qui tam numerosę plantarum, stirpium, mineralium, metallorum, aliarumq; rerum quæ in Medicum vsum expetuntur multitudini, simul atque eam è nihilo produceret crearetq;, mirabiles planè ac stupendas, imò etiam occultas & humanum captum penè excedentes vires ac facultates indidit ac concessit, antequam homo tanta bonorum copia potiturus è limo formaretur.

Medicina antè hominem creata.

Medicina natura ad

Iam verò si Medicinæ naturam spectes, nihil nisi bonitatem in ipsa deprehendes, quæ

solius

solius Dei primò & per se est propria. Et sicut DEVS omnipotentiam, justitiam & misericordiam in se complectitur, ita Medicina in his eiusdem Dei dono non parùm ad diuinam naturam aspirat: ad omnipotentiam quidem in hoc, quod rerum omnium quæ toto terrarum ambitu continentur, moderationem ac scientiam sub se contineat, earumq; potestates sibi deuinctas habeat, quas pro libito nunc in hunc, nunc illum vsum ducere & conuertere, ac pro negotiorum diuersitate varimodè disponere possit ac valeat, quodq; ei sublunaria omnia tanquam Regi cuidam summo, omnium gubernationem habenti famulari cogantur.

diuinitatem aspirat.

Cum justitiâ diuinâ in hoc participat, quòd vera sit, nullis dolis, fucis & falsitatibus constans, cuncta secundùm æquitatem ac valorem proprium ponderans; Quòd si eam humanę justitię comparaueris, nil nisi justum Medicina possidebit. Si enim humanæ justitiæ neruus in tribus his constitit, nempè vt honestè viuatur, nemo lædatur, & vnicuiq; suum tribuatur; hæc omnia Medicina præstat. Quid enim aliud est insolentes bilis exacerbationes & excandescentias, deliria, furores, melancholias, manias, caninas fames, Picas, heroicos amores, & Gonorrhœas compescere, nec non Veneris effrænæq; libi-

Neruus justitia.

dinis incomptos, inordinatos, ac sordidos insultus, reprimere, luxum restringere, luxuriã in exilium proscribere, intemperantiam moderari, adeoq; feros mores componere & inquietas hominum mentes pacare & ad æquabilitatem ac modestiam quandam reducere, quàm honestati vitæ consulere? quam in bonis probatisq; moribus positam cuncti norunt. Itaq; cùm Galenus turbatis succis ac humoribus etiam affectus turbari notasset, nõ iniquè suam de cognoscendis curandisq; animi morbis tractationẽ est ingressus, meritoq; Philosophiã moralẽ Medicinæ partẽ esse tradidit, vtpotè quæ non solùm ad Reipub. constitutionem plurimùm cõferat, sed etiam singulorum moribus componendis sese accommodet. Quid autem quæso, magis ab hac arte alienum quàm hominũ offensio? vtpotè quæ tanta cura, tantaq; diligẽtia ac sedulitate tam sollicitè neminem lædere, sed omnibus benefacere & tradit, & docet; quæq; pro incolumitate humani generis, ne vnicum quidẽ eius indiuiduum offendatur (nedum pereat) tam strenuè pugnat, & non alitèr quàm clypeo idipsum tuetur, ingruentes aduersitates præcauens, admissa autem vel commissa damna resarciens ac emendans. Hinc rectè dixit Pythagoras, duo omniũ pulcherrima diuinisq; operibus cõsimilia nobis à Deo concessa esse: *Veritatem*

ratem nimirum *eloqui, & hominibus facere* *nignè*. Quapropter ob insignia illa beneficia ortaliũ generi per Medicinam præstita, anti- uus ille Herophilus medicamenta τῶν θεῶν χεῖρας, id est, salutares Deorum manus appel- re fuit solitus. Tandem verò suum cuiq; ribuit Medicina, vt Iuris ac Iustitiæ exempla imitationes ab eâ meritô sint petendæ. Est nim Medicina adiectio, & detractio; adiectio uidẽ deficientiũ, detractio verò eorum quæ uperfluunt, vndè consurgit, quod si quiddam e ita habeat, prout sese habere cõuenit, ita vt ihil in eo requiratur quo præditũ necesse ha- beat, & è cõtrario nihil in eo supabundare cõ- piciatur, res ea secundũ justitiã sese sit habitu- a. Hinc Medicina hominũ sanitates nõ quidẽ ad pondus, sed ad justitiã examinat, & si quid n eis mancum compererit, mutila reponit, defecta sufficit, superflua rescindit, cunctaq; ad æquitatem seu justitiam reuocat. Diuina est igitur Medicina auctore Deo cõdita ac sata; diuina etiam, quia bona, justa & æqua; diuina deniq;, quia benefícia, vtpotè malorũ propul- satrix, luctus leuamen, doloris remediũ, tristis sensus ablatio, imunitatis restitutio, libertatis acquisitio, prosperitatis fomes, salutis ancho- ra, sospitatis emporium, ac vitæ deniq; benè beateq; transigendæ condimentum. Hæc enim omni miseriarũ & calamitatum genere

Medicamenta secundùm Herophilũ Deorum manus sunt.

Medicina est adiectio, & detractatio.

Medicinæ encomium

afflictos non derelinquit, ſed eoſdem, dolores quoſcunq; leuando ſolatur, remedijs vtendo adiuuat, ſanando refouet, ac ſtabiliendo confirmat: preſſa ſubleuat, amiſſa reponit, destructa reædificat, bonorum, maximè verò ſanitatis reparatrix, ac deniq; præpotentis Dei dexteræ miniſtra.

Eximiam hanc Medicinæ dignitatem, amplitudinem ac magnificentiam, nec non ſtemmatis & proſapiæ nobilitatem aduertens humani generis infenſiſſimus hoſtis, omnis boni perturbator ac oſor Cacodæmon, haud leui indignatione commotus, imô irâ veteriq; inuidiâ percitus, mirabiles quaſdam technas, per quas Medicinæ mortalibus profuturæ excidium machinaretur, excogitauit: vndè eandem omnibus modis ſi non penitùs euertere & annihilare, ſaltem deformitatis ſuæ ſpurcitijs contaminare, vel mordaci liuore conuellere, vel turpi aliqua macula fœdare, vel demûm malitiei cuiuſdam aſperſione coinquinare attentauit. Hinc verum quod Plautus in captiuis ait, *Miſerorum id proprium eſt, vt maleuolentes ſint, atq; bonis inuideant.* Itaque Medicinæ abominationem ſubdola & fraudulenta ſupplantatione texens diabolus, mendacia, calumnias & conuitia in eam coniecit; quin etiam deceptiones, impoſturas, circumuentiones, falſitates, ſuperſtitio-

Cacodæmon.

Diabolus Medicinæ ſtruit inſidias.

ftitiones, ſubſannationes, vſuras, ludibria, perſuaſiones falſas, hæreſes, idololatrias, ſomnia, imò & omnimodas nullitates, nec non innumeras fraudes in eam immiſit. Et verò his minimè contentus nefarius hoſtis, Ariolos, Magos, Sagas, Cryſtallomantes, Augures, Haruſpices, Incantatores, Diuinatores, Δοξοσόφους, Πολυπράγμονας, & ingentem varij generis nebulonum exercitum in Medicam prouinciam introduxit, qui non ſecùs quàm Ægyptia ranarum plaga terram, ita hi Medicæ facultatis germina depopularetur ac vaſtaret, eiuſq; progreſſus ad humani generis cuſtodiam & conſeruationem directos præpediret.

Exercitus malorum.

Inprimis autem Medicinam vel omninò nullam eſſe, vel eidem humana corpora ab infirmitatibus & præmatura morte tutandi, aut à nece vindicandi, atque à grauiſſimis interitus periculis eripiendi prorſus nullam vim ac poteſtatem à Domino DEO conceſſam eſſe, aſtuto quodam prædeſtinationis neſcio cuius prætextu ac argumento hi impoſtores perſuadere conati ſunt, cuius malignæ ſuggeſtionis vinculis non pauci in hæc vſque tempora illaqueati tenentur. Etenim quamprimùm quis ægrotauerit, cùm

Primus contra Medicinam inſultus prædeſtinatum moriẽdi tempus certãque viuendi metam obtrudens.

Seriùs aut citiùs metam properemus ad vnam,

eidem certum à Deo vitæ terminum præſcriptum, juſtamq; moriendi horam deſtinatam eſſe religiosè (vti ſibi videntur) pronuntiant, juxta illud ſacræ Scripturæ Iob.14. *Breues dies hominis, numerus menſium apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius qui præteriri non poterunt.* Inculcant quoque verſum Virgilij 10. Æneid. ſic ſcribentis.

Stat ſua cuiq; dies, breue & irreparabile tẽpus
Omnibus eſt vitæ.

Et

Tardiùs aut propriùs mors ſua quẽq; manet.

Etenim

Qualibet orta cadunt, & finem cæpta videbunt.

Vndè Medicinam nihil poſſe ex hoc contendũt, quòd ſi certus vitæ finis huic præfixus jam fuerit, nullum fato reſiſtente medicamẽtum auxilio futurum, fruſtraq; copias expẽſum iri, & pharmaca operam luſura; ſin verò æger hunc vitæ terminũ non attigerit, ſponte ſua conualiturum, vtpotè qui ad præſtitutam ſibi moriendi horam Dei ordinatione deſtinatam ac deciſam nondum peruenerit, cum aliâs neceſſariô illo ipſo tempore è vitâ decedere debuiſſet, *quis enim poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?* ait enim Senec. *Nulli juſſo ceſſare licet, nulli ſcriptum proferre diem.* Allegant quoq; tres illas Parcas

fuſis

fusis & staminibus vitam hominum metiri easq; inexorabiles esse aiunt, quarum primam vitam hominis ordiri, alteram eandem contexere, tertiam filum rumpere, vnde dies mortis cuiuis præfix9 superari ac præteriri nequeat. Ezechias exclamat *Præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer succidit me.* Ex his causis illud Martialis lib. 2. ꝓferunt.

Quid tibi cum Medicis dimitte Machaonas omnes.

etenim vt Virg. 2. Æneidos ait.

Venit summa dies & ineluctabile fatum.

Huic opinioni maior pars vulgi longo dierum numero inhæsit, nempè discriminis inter prædestinationem, ac præscientiam diuinam expers, sed vtrumq; simul non tam iniq; quā ineptè confundens. Sic qui rectè quidem sciebāt Dominū DEVM præuidisse, præcognouisseq; quod Socrates, vel Plato hac die moriturus esset, eundē (vt necessariò mori debuerit) prædestinasse sunt opinati, cùm is idem DEVS, qui modò dictū Socratē, aut Platonē ex humanis decessurū prẹsciuit, eundē non fati vrgētis necessitate, sed sua quandoq; culpa, aut tali, vel tali occasione ac modo, diē suum obiturū prẹcognouerit. Quales rerū euētus ac iñumeras varietates diuersitatesq; in mutabili hac nostra fortuna quotidie exꝑimur, quarū multæ, imò plurimæ tēpestiuo consilio anteuerti,

Prædestinatio, ac præscientia diuina differunt.

impediri, aut alitèr atque alitèr diſponi dirigiue potuiſſent. Itaque Dei præſcientia neceſſitatem rei futuræ primariò non inuehit, non enim is quidpiam futurum præcognouit vt fieret, ſed quod futurum id eſſet præſciuit, & qua de cauſa, quoue modo & occaſione euenturum id foret præuidit. Hinc licet præteriri non poſſint vitæ termini, poſſunt tamē anticipari, quomodo quoque plurimi morti ſuæ prȩmaturæ occaſioni ſunt dicente Iob. Cap. 15. *antequam dies eius impleantur peribit*, quapropter Hugo Cardinalis ſuper textum *Adiiciam 15. annos* ait, non vltra illos quos in præſentia mea ſtatueram, ſed iſtos quindecim quibus carere per peccata tua merueras reddam tibi *& erit vita tua tanta quanta fuerat in præſentia mea.*

Sicut igitur multorum meminimus quæ ipſimet non fecimus, ita DEVS qui omnia quæ futura ſunt præſcit, non tamen omnium eorum quæ præſcit actor exiſtit; ſciebat enim Iudam traditorem laqueo ſemet ſuſpenſurum, attamen vt is ſeſe ſuſpenderet, auctor ei non fuit. Quod ſi Platonem, aut Socratem in graui ac lethali ægritudine conſtitutum iri, & medicamina debitaq́; ſanitatis præſidia contempturum, nec commodam victus rationem obſeruaturum, ideoq́; moriturum præuidit, eum quidem ſimplicitèr ex hac

[..]ta decessurum præcognouit, sed quod ma-[..]se gessurus, ac conuenientia remedia qui-[..]us ad prosperam valetudinem pertingere [..]otuisset, neglecturus, ac eam ob causam ne-[..]em oppetiturus esset præsciuit. Sed audi, si [..]sinus quispiam in foueam, aut puteum ce-[..]iderit, ex quo commodè extrahi potuisset, [..]biq; vel studio seu sponte, vel hominum in-[..]uriâ ac negligentia derelictus, submersus aut [..]uffocatus fuerit, quis eum quæso, fati neces-[..]itantis impulsu, & non hominum vel petu-[..]antia, vel pigritia ibidem perijsse dixerit?

Exemplū.

Veruntamen hæc ad Theologos spectant, [..]psis de hac re sententiam ferentibus, & opi-[..]nionem suam explicantibus. Hoc autem sub-[..]unxerim, fluxisse hanc doctrinam, sanè in-[..]sanam, ab Epicuro, prouidentiam Diuinam primitùs negante, cum tradiderit, nihil cu-rare Deos, nec sui nec alicui⁹, sed monogram-mos & nihil agentes existere. Imô proui-dentiam diuinam negant, simulque liberum tollunt arbitrium, prout S. August. lib. 5. Ciuit. cap. 9. innuit, vnde Cicero lib. de Di-uinat. scientiam futurorum nullam omninô esse, nullamque rerum prædictionem esse, eluctatur. Nec Apollo quidem ab Oedipode filio, cæsum iri Laium patrem præscisse dici-tur.

Epicuri de præscitu Dei sen-tentia.

Derogantes igitur imô & Blasphæmantes

Blaspha-mia quo-

rundam mira.

impij, nonnulli qui se tamen Christianos esse jactitãt nobilitati Diuinæ vt Sacrilegi obstreperi obueniunt, quando DEVM futiritionem ignorare arbitrantur, nescire Deum lupum hac illacuè transiisse, nisi relicto in niue vel arenâ vestigio. Videntur autẽ sibi, se explosam suam sententiam, multumq; der sam, hac occasione excusasse, quando Deum ea sola ab æterno præcisse, quæ causas naturales habeant effectrices dictitant, vtpote Solis ecclipsin, Lunæ tenebras, imbres, siccitates, & his similia, Deum autem ignorare quæ libero hominis arbitrio aguntur Censent autem omnia non præscitu vel voluntate diuina fieri, sed necessitate coacta, ita Diodorus nil fieri quod non fuerit necesse fieri opinatus est, vt si Cicero vel Socrates aut Oedipus sit mortuus necessariô sit eius opinione mortuus, huic Empedocles & Stoici visi sunt assensisse. Præscientia autem Diuina nullam necessitatem ingerit, & ea quæ â Domino Deo præsciuntur, vt plurimûm contingentia existunt, alioquin Deus ex hac Hæresi execranda per præscientiam hominem ad peccatum cogeret, vel saltem se ijs factis iniquis immisceret, quod impijssimum simul est, & absurdissima fictione conflatum Hæreticum, Diabolicum & Blasphæmum mendacium. Confundũt deindè actum & potentiam, quod apud Philoso-

Liberum hominis arbitriũ.

Præscientia Dei necessitatem nullam infert.

phos

hos absurdum habetur, licet enim actus & potentia simul in eodem reperiantur, diuersimodè tamen considerari possunt, vtpote Platonem hoc ipso tempore sedere actu, potentem autem esse ambulandi, atq; ita actus præsciendi in Deo, stat cum potentia non eueniendi, sicut iste qui sedet ambulare potest. Vide Alensem.

SanctusHieronymus sic rem explicat, in c. 26. Hierem. sic inquiens. *Non ex eo quod Deus scit futurum aliquid idcirco futurum est, sed quia futurum est Deus nouit, quasi præscius futurorum*. Et D. Chrysost. in Epist. ad Corinth. ait. *Non quia prædixit Deus hæc facta sunt, sed quia omniâ ex mala hominum voluntate ventura erant, ipse prædixit*. Et Viues ait ad cap. 10. lib. de Ciuit. Dei S. August. *Non plus addit necessitatẽ rebus venturis præscientia DEI, quã præsentibus spectator cum fiunt*. Itaq; præscientia DEI respectu futurorum sic se habet, vt sciẽtia in artificis mente, sed arte in artifice posita, non necessario ponitur opus. *Conclusio.*

Sunt & alij, qui vt Medicinæ honorem minuant, eiusq; gloriæ detrahãt, eandem hominibus futilem ac inutilem exhibere nituntur, contra DEI arbitrium & voluntatem nullum hominum consilium, nullum valere præsidium Medicum, callidè satis & astutè deprædicantes, ac si Medicina diuinæ voluntati *Secunda obiectio.*

repu-

repugnatura, irritos contra æterni numinis ſancita conatus moliretur, quam tamen ipſemet DEVS in morborum depulſionem exercuit, nimirum ſibi haudquaquam contrarius.

Eó autem inſcitiæ hi naſutuli deuenêre, vt Dominum DEVM in mirabilibus ſuis omnipotentis verbi virtute creatis honorari, glorificiari & magnificari velle non intelligant. Sic enim ſummus moderator res iſtas diſpoſuit, vt per opera Medicinæ ac pharmacorum vires & inde emergentia ſalutis auxilia æterni boni immenſa cum bonitas & miſericordia, de creaturis ſemper ſi non anxia, ſaltē prouida, tum & infallibilis ſapientia & potentia maieſtatis eius eluceſceret & agnoſceretur, adeoq; homo harum cognitione imbutus in timorem amoremq; creatoris ſui magis magiſq; extimularetur, vt quem ex operibus ſuis & benefactis cognitum ex tota mente, totisq; viribus ſumma cum gratiarum actione diligendum ſibi proponere debeat, ac intimi amoris cultu & ſtudio proſequi teneatur.

At reclamant, morbos diuinâ vltione, ob patrata crimina hominibus juſtè immitti, quod nemo inficias iuerit, atque ſic contra ſtimulum calcitraturos Medicos arbitrantur qui pœnis his depellendis ſeſe oppoſuerint, per quas DEVS peccati vindictam intendit,

non

on autem aduertunt nondum abbreuiatam ſe manum illius qui percutit & ſanat, qui aperit & claudit, qui inmittjt & retrahit, etſi nim infinita ſit DEI poteſtas per quam libere agit, & agere poteſt quidquid libet, tamen raró citra cauſarum ſecundarum interuentum in hoc mundo agere conſueuit, ſed ordinem ſuum à ſapientia inperueſtigabili inſtitutum obſeruans, eos morbos quos ex naturalibus cauſis oriri permiſit, naturalibus quoque medicationibus tractandos ſubiecit.

Dominus DEVS per cauſas ſecundas agit.

Et licet morbi vt plurimum peccatorum nostrorum pænæ exiſtant dicente Eccleſ. cap. 38. *Qui delinquit in conſpectu eius qui fecit eum, incidet in manus Medici:* non omnes tamen ægritudines criminis alicuius culpâ vel euenire, vel accidere, conuincit locus ille Euang. Ioan. 9. qui ſic habet. *Et præteriens IESVS, vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum diſcipuli eius: Rabbi quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſceretur? Reſpondit IESVS: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* Deindè veró licet ægritudinum acerbitates, dolorum calamitates & aduerſæ valetudinis tormenta in ſcelerum vltionem per phyſicas occaſiones immittantur, dubitandũ non eſt, has ipſas phyſicas quoq; medicationum oportunitates ſecum vehere, cum

Morbi ſunt pænæ peccatorum.

cum vtrisque DEVS vt instrumentis, alijs quidem ad afflictionem, alijs ad sanationẽ vtatur, *idem enim est qui mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit*, qui ipse elementa quantumuis contrarijs qualitatibus inter se perpetuo conflictu pugnatura eo nexu conjunxit, vt ex his modò corporum mixtorum generatio, modò corruptio emergeret.

Diuinum in morbis.

Quod si (vt reuera est) aliquid supernaturale, ac vulgaris conditionis vires vel humanum captum cõmunem excedẽs in morbis deprehenditur, quod etiam Hippocrates licet Ethnicus ęgritudinibus inhærere, vel eas cõcomitari notauit, vt proindè id tanquã transcendẽs quidpiam, & cõmuni sensui haudquaquã obuium, sed magis obscurũ, abstrusum & reconditum DIVINVM ac τὸ θεῖον nominare fuit solitus, obuenerit, idipsum pęnitentia, orationibus, Eleemosynis & alijs bonorũ operũ officijs & actibus sum̃um numen ad misericordiã flectentib9 deprecariô remouere vt pium est, sic licitũ censetur, & in periculo cõstitutis meritô suadetur. *Beatus* enim *qui intelligit super egenũ & pauperẽ, in die malâ liberabit eum Dominus. Dominus opẽferet illi sup lectũ doloris eius vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.* Sed & Medici præter physica auxilia ad remouendũ illud Diuinũ in morbis existens preces adiungere & solent, & debent dicente

Diuinum in morbis per pia quandoq; vota vel charitatis actus remouetur.

Ecclesi-

clesf.c. 38. *Est enim tempus quãdo manus illorum incurras, ipsi verò deprecabũtur vt dirigat requiè eorũ, & sanitatẽ propter conuersationẽ illorũ*, naturália interim remedia non intermittẽtes, *vt quæ à Domino DEO creata erant antequam vel morbi, vel mortes, vel earum causæ peccatorum nimirum culpæ, existerent.*

Veruntamẽ sunt hæ obiectiones satis friuolę ac prauæ, nec non parùm ab Atheismo & desperatione alienæ nec nisi dęmonis hominẽ à recto virtutis tramite abducẽtis fraudes, quarum cõplures in progressu nostri operis ad palpandũ propositurí sum⁹, modernã de prædestinatione litẽ Theologis magis quàm Medicis discutiendã relinquẽtes. Nouimus inter Politicos nostrâ ferme ætate extitisse quosdã, qui contra Turcã pugnaturis, præliũ dissuadebãt, eo sane hortatu, ne sese diuinæ vltioni per hãc occasionẽ Christianę genti immissæ, ac à Dño Deo irrogatę, contumacitèr opponerẽt, quod quidẽ consiliũ q̃ stultum fuerit, subsequentiũ ætatũ risus contemptîm explosit. Hæc autem solumodò sic prælibare libuit, vt omnis boni osorẽ diabolum Medicina tanquã insigni DEI dono homines priuare volentẽ (vt qui eam eis inuideat) proderemus, quam si eis non omninò queat eripere, saltem in compluribus defœdare, polluere, nec non doctrinarum suarum spurcitie contaminare rectè animaduertentes sumus obseruaturi.

CAPVT

CAPVT II.

Medicina luget, ſe ſacram ſanctamq; Magorum Sagarumq; dæmonomantiis profanari.

Sacri & profani diſcrimen.

SAcrum (vt Trebatius lib. 1. de Religionib. refert) id omne eſt quod Deorum habetur, profanum verò, quod eſt extra fanaticam cauſam, vel quod ex religioſo ſeu ſacro in hominum vſum proprietatemq; conuerſum eſt. Medicinam autem non modò Deorum inuẽtum ac inſtitutum, ſed etiam ſobolem ideoq; ſacram ſanctamq; eſſe priore Cap. ſatis ſuperq; demonſtratum eſt.

Medicina ſacra eſt.

Sacra hæc ſanè eſt ratione originis, vt quæ ex theſauris bonitatis præpotentis DEI profluxerit. Sacra etiam ratione inſtituti, vt quæ in hominum conſeruationem juſtitia, charitate, liberalitate, clementia, commiſeratione, veritate, fidelitate, miſericordia ac omni propemodùm omnium virtutum genere decora pro DEI omnipotentis gloria ad ſanctificationem nominis ſui in mortalium commodum (vt eorum neceſſitatibus ſubueniret calamitatibuſq; opem ferret) ſit procreata,

quo

uo nomine hæc ipſa ad vnum Deum referẽ-
i, vt quæ eius cultui (cuius opificium ipſa
t) ſingulariter ſacrata dicataq; meritò eſſe
ebeat.

Cum porrò tribus præcipuè modis Deum
olere neceſſe ſit, corde nimirum, ore & ope-
, declarandum nobis eſſe videtur, Medici-
am tribus his etiam modis ad Dei laudem di-
ctam ideoq; huic ſoli ſacram exiſtere. Pri-
us itaque cultus qui corde in DEI contem-
lationem, magnificentiam & extollentiam
fuſo perficitur, à Medicina ad eiuſdem Dei
loriam opera ſua debita intentione offeren-
s adimpletur, præcipuè cum hæc vegetabi-
um animaliũ, ac mineralium adeoq; rerum
mnium quas ſublunaris hic amplexus con-
net, naturas rimatur & perueſtigat, in ijsq;
ummi ac æterni Dei omnipotentiam, ſapien-
am & bonitatem indagat, ſuſpicit & admi-
atur; atque exindè Deum ore magni facit,
ollaudat & extollit pro ſingulis eius donatio-
ibus nobis impertitis meritò ſingulas agens
ratias. Ore itidem Deum colit populo ſalu-
res adhortationes piasq; doctrinas ſugge-
endo, quando vitia exterminat, intemperan-
iam reſcindit, labores iniungit, ſegnitiem ex-
ellit, continentiam ſuadet, iram ac furorem
emperat, efferoſq; hominum mores compe-
cit.

Cultus Diuinus à Medicina præſtatur.

Medicina virtutes præſtat.

Opere verò quàm maximè ſacra eſt Medi-
cina, vtpotè quæ in beneficijs citra moleſti-
am proximo exhibendis diu noctuq; occupa-
tur, & cuius omnis exercitatio, labor & fati-
gatio in miſericordiæ ac charitatis opere ex-
ercendo conſiſtit. Eſſe autem charitatem
non modò ſacram, verùm etiam planè di-
uinam nemo aliquis ſanæ mentis ambigit:
nam *Deus ipſe charitas eſt, & qui manet in
charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Vnde
hanc ipſam charitatem diuinarum legum
monumenta tot encomijs extollunt ac de-
prædicant, nec non ad eius inſectationem
nos multifariam hortantur & allectant: hac
enim primum & maximum mandatum quod
eſt in lege adimpletur, vt cum Deus propter
ſeipſum, proximus verò propter Deum di-
ligitur. Hæc multitudinem flagitiorum o-
perit, hæc veritati congaudet, nec agit per-
peràm, & pluribus alijs donis inſigni quo-
dam nitore inter cæteras inſignita exſplen-
deſcit, ſingulariter autem circa infirmorum
viſitationem incrementum ſumit. Vnde
Eccleſiaſt. 7. ſic legitur. *Non te pigeat vi-
ſitare infirmum, ex his enim in dilectione
firmaberis.* Donum ſanè Spiritus Sancti Me-
dicina exiſtit, prout ex D. Paul. cap. 12. ad
Corinth. apparet, eo enim in loco de di-
uerſi

Medicina donum eſt Spiritus Sancti.

uersis eiusdem Spiritus sancti donis agens medendi & sanandi gratiam ab eodem Spiritu sancto proficiscentem Apostolus memorat inquiens. *Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus; vnicuiq; autem datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in vno Spiritu.*

Hanc itaque tam præclaram tamq; eximiam medendi scientiam tanquam charitatis exhibendæ quoddam instrumentum, plurimi sancti viri, imò etiam Prophetæ atque Angeli ipsi studiose sectati sunt, ab artis huius operibus planè diuinis exercendis minimè abhorrentes, sed sedulò ac data opera medicinas hominibus fidelissimè præstantes. Præ omnibus autem suspicere oportet excellentissimum ac peritissimum illum Medicum, Dominum nimirum ac Saluatorem nostrum IESVM CHRISTVM hydropem, paralysin, lepram, sanguinis fluxũ, cæcitatem, febrẽ ac alios innumeros affectus fęlicissimè curantem, atq; inter alios affectus Malchum exauritũ persanantẽ, quas quidẽ sanationes licet nutu diuino, volũtate, verbo &

Medicina sanctimonia.

ſolo quandoq́; contactu perfecerit, is tamen nihilominus ille ipſe eſt, qui quod ſine externo medicamine ſimpliciter & abſolutè peregit, ordinariè tamen per artem & operam humanam cæteris Medicis hanc artem profitentibus mediantibus medicamentis ab ipſo conditis perficiendum quoq; tradidit ac conceſſit. Sicut enim à Deo eſt omnis medela, quam mediantibus pharmacis artiſq́; operatione molimur, Domino conatus adiuuante & medicamina quæ condidit clementèr benedicente, ita ab eodem omnis recta medicãdi ratio promanat. O artem ſacram & verè diuinam, à qua verus & vnicus Dei filius Medici nomen non exhorruit. *Cæci enim vident, claudi ambulant, leproſi mundantur.*

IESVS Chriſtus Dei filius Medicus.

Neque verò ſolo verbo medicationes ſuas abſoluit Chriſtus, vt videre eſt apud Euangeliſtam, vbi Dominus lutum ſumẽs ac expuens cæci oculos rurſus illuminauit, vtpotè naturalia remedia adhibens, quibus virtus diuina non indiguiſſet. De inſigni & plus quàm excellenti hoc Medico ait S. Auguſtinus. *O verè admirabilis & amabilis res pietatis pleniſſima quod fuſus eſt ſanguis Medici, & factus eſt medicamentum phrenetici.* De eodem S. Ambroſius. *Inueni* (inquit) *Medicum qui in cælis habitat, & in terris ſpargit medicamenta, hic ſolus poteſt ſanare vulnera mea qui neſcit*

Dominus IESVS Chriſtus etiam naturalia medicamenta adhibuit.

sua. Et Isidor. lib. 1. de summo bono cap. 14. *Venit Medicus cum essemus infirmi, patefecit vulnus, composuit semetipsum, & de sua morte nobis Medicinam aptauit, vt non esset tantùm ostensor vulneris, sed & sanator.* Et quamuis hæc ipsa spiritualem magis Medicinam concernant, magnæ tamen æstimationis hoc est, & esse debet, diuinam opem non aptius quàm Medicinæ comparari potuisse, dominumque DEVM opera diuinæ suæ bonitatis potentiæ ac misericordiæ per Medicos actus præ cæteris manifestare voluisse, licet (vt supra notatum est) ille idem filius Dei viuus & verus quamplurimos corporis affectus præter animi afflictiones sustulerit, & contactu fimbriæ vestimẽti sui mulierẽ hæmorrhagiâ vteri laborantem persanarit. Tradunt piæ ac fideles veterum notæ inter primitiuæ Ecclesiæ historias assertæ, mulierem illam in partæ sibi salutis memoriam, Christo Domino statuam erexisse, sub qua planta quædam quotannis creuerit, quæ cum eo vsque adoleuisset vt incrementum aliarum herbarum more sumens, in stipitem tam altè assurgeret, vt statuæ illius Christum repræsentantis tunicam extremam crescendo attingeret, quamplurimos morbos curandi ac depellendi vim obtinuisse.

Opera Dei per Medicinam elucescunt.

Statua Christo Saluatori erecta.

Raphael Archangelus Medicus. Tob.6.

Raphaelem Archangelum Tobiæ oculos ab albugine piſcis felle perſanaſſe ſacræ literę teſtantur, cui etiam præ alijs Medicina Dei eiuſque ſcientia adſcribi ſolet. Vnde ad opem eius obtinendam Eccleſia Chriſtum in hunc modum precari conſueuit.

Angelum nobis Medicum ſalutis
Mitte de cœlis, Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, pariterq́ue noſtros
Dirigat actus.

Io. 5.

Sic etiam Angelus in Probaticam piſcinam deſcendens aquamq; cōmouens, Medicinam eô detuliſſe viſus eſt, per quam à quacunque infirmitate liberabatur omnis qui prior in eā deſcendiſſet. Quod ſi Prophetas intuearis, nōné Moyſes aquarum amaritudinem arte medica in dulcorem conuertit, & cibos (ut Tertullianus vult) non aliter quàm medica ratione populo Iſraelitarum diſtinxit? Nonné Eſaias Ezechiæ regis vlcus emplaſtro è ficubus parato ad ſanitatem perduxit? ſicut ſcriptum eſt. Dixitque Eſaias: afferte maſſam ficorum, quam cum attuliſſent & poſuiſſent ſupra vlcus eius, curatus eſt. Silentio prætereo Eliſæū 4. Reg. 2 fontem amarum, letiferum ſterilemque iniecto ſale ſanātem, Naaman leprâ infectum mundantem, & colocynthidis amaritudinē 4. Reg. 4. farinâ emendantem examari-

Eſ38.c.20

Emplaſtrū Eſaiæ ex ficubus.

can-

[Ev]antemque: nec non D. Lucam Euangeli[s]tam, quem Medicum fuisse constat ex verbis [D]iui Pauli Apostoli ad Colos. ita scribentis. [S]*alutat vos Lucas Medicus*. Quin imò & S. [P]aulum Medici munere functum esse, cum Timotheo ex ventriculi debilitate laboranti [v]ini usum præscripsit, nemo est qui ambigat. [D]amascus etiam quondam Sanctis Medicis [f]loruit, quo in loco D. Iacobũ pietate & artis medicæ peritia clarum extitisse Suidas refert: [v]bi quoque magnus ille Medicorum Euangelista dictus IOANNES MESVÆ, filius Abdela regis Damasci Medicinam docuit. Item SS. Cosmam & Damianum, qui ambo fratres fuêre medendi peritia clari, ac primitiuæ Ecclesiæ gemmæ, quos ideò eadem S. Mater Ecclesia SS. Missæ Canoni inseruit. De his extat hymnus in libro historiarum Canonicarum à Reuerendissimo Archiepiscopo Moguntiensi opere illo confirmato, cui ex Tubinga die nono Nouembris Anni 1511. Henricus Bebelius Iustingensis ad Dominum Conradum Peutingerum Augustanum, virum consultissimum ac literariæ Reipub. decus epistolam subiunxit. Antiquus autem hymnus sic habet.

S. Lucas Euangelista.

S. Paulus Apostolus.

S. Iacobus Apostolus.

Mesua.

S. Cosmas & Damianus.

Hymnus de SS. Cosmâ & Damiano.

Cunctaplebs Christi famulis gemellis
Hymnicas laudes dicat, & precetur
Quinq; germanos pariter beatos
Supplici voce.

Teq; cum Cosmâ Damiane nostra
Concio laudat, celebrat, coronat,
Martyres toto meritis opimis
Orbe colendos.

Spiritus quosquos Domini repleuit,
Quinq; vos artem docuit medendi
Omne morborum genus atq; tabem
Corporis agri.

Sicut & gratis didicistis ipsi,
Cuncta sic gratis Medici dedistis.
Cesserat lucrum procul, & cupido
Mentis auara.

Vnde felices Domino supernis
Cœtibus junxit, chorus Angelorum
Hîc vbi psallit, resonat, triumphat
Latus in auum.

Hinc apud Christum Dominum precamur,
Este nunc prestò miseris patroni,
Atq; opem nostris animis benignâ
Ferte medelâ.

Mentibus nostris medicina præsens
Detur, & nobis animus pudicus
Temperans, castus, humilis, modestus
Atq; fidelis.

Et

Et procul cedat vitium superbum,
Vitium rerum pariter cupido,
Luxus & linor, sopor atq; carnis
Dira libido.

Quando contingat miseros obire
Morte, vobiscum fruier perenni
Gaudio, nobis tribuat benignus
Conditor aui.

Læta sit tellus Arabum colenda
Iure Sanctorum genitrix & altrix,
Quæ viros sanctos dederit patronos
Ipsa Sueuis.

Vrbis Ægeæ simul & beatos
Incolas possis meritò vocare
Quina sanctorum recubant in illâ
Corpora fratrum.

O sed infandum facinus tyranni
Lisiæ, cuius gladius cruentus
Alteram vitam tribuit paratis
Colla secando.

SS. Cosma & Damianus fratres.

Quinque fuisse fratres eodem martyro coronatos hymnus hic innuit, inter quos hi duo fuerunt Medici: reliquorum trium fratrum nomina vetustum hoc carmen Elegiacum exprimit, quod ad informandum lectorem subiungere libuit.

Thurilegâ canimus de Arabum tellure
creatos

Quinque olim fratres, Christe faueto precor.
Simplicitas retulit quos & sanctissima vita
Sanctorum in numerum martyrioque dedit.
Mater ei illorum peperit Theodora gegemellos
Fælices Cosmas & Damianus erant.
Spiritus hos sanctus diuino munere donans
Et curare homines contulit, & pecudes.
Hi cum sanassent omnes medicamine morbos,
Præmia spreuerunt diuitiasq; leues.

88. Cosmas & Damianus gemelli.

Et paulô post Martyrium illorũ exprimens ait.

Eiusdem Euprepius, fraterq; Leontius, atq;
Antimius pœna concomitantur iter.

Atque hæc de Sanctis Cosma & Damiano eorumque fratribus. Prætermitto nunc non tamen sine plurima honoris præfatione & memoria Rochum, Codratum, Antiochum, Blasium, Cæsarium, Basilium, Panthaleonem, quem Romanum Breuiarium nobilem Medicum

Sancti medici plurimi.

[..]um nominat ſub Diocletiano in æquuleo [..]tum, ac poſt dira tandem ſupplicia capite [..]ncatum; Theodorum, Vrſicinum, Franci[..]m de Paulla, Cyrum, Ioannem, S. Bonifa[..]m, qui pro reſolutione ac depulſione an[..]æ Scabioſæ vires populo detexit, eiuſque [..]mcelebriorem reddidit: S. itidem Kune[..]ndam Eupatorij Auicennæ hoc nomine [..]cuſque appellari conſueti perquàm opife[..]m vim prodentem: S. denique Robertum [..]eranij facultates in poſteros diuulgantem, [..] alios complures utriuſque ſexus homines [..]tæ ſanctimonia & miraculis illuſtres, quos [..]uidem omnes Medicinam factitaſſe mani[..]ſtum eſt. Extat Carduus uterque quorum [..]ter argentatus Deiparæ Virgini ſacer habe[..]ır alter Benedictus dicitur. Eryngium in [..]onte Auerno Apenini naſcens S. Franciſci [..]ina ab incolis nuncupatur, & in ſancti viri [..]emoriam cedit. Guaiacum Lignum ſanctũ [..]ici meruit, prout Berberis ſpinæ ſanctæ, ac [..]emen Abſinthij Seriphij (quod vulgus ſemen [..]umbricorum vocat) ſeminis ſancti nomen [..]ſt ſortitum, Senecionem, quam Franci[..]cus Calceolaris in deſcriptione montis Bal[..]li Fior di S. Giacomo appellat, nos Germani [..]eilig Creutzwurtzel vocamus. Adſcribun-

Herba ſeu planta à Diua Virgine Dei genitrice MARIA & ſanctis denominationem habentes.

tur.Ribes, Bellides, Hypericonum ſpecies, Siliquæ, Diuo Ioanni Baptiſtæ, & Chamæmemelum aureum, Gallitrichum ſatiuum, Matricaria, Alchimilla, Perſicaria, Tanacetum, Linaria, Gallium, Ageraton, Mentha Saracenica & conſimiles aliæ plantæ cognomina ſua à Virgine Dei genitrice ſunt inter Germanos mutuatæ, quando dicimus vnſer lieben Frawen Müntzen/ vnſer lieben Frawen Diſtel/ vnſer lieben Frawen Mantel/ vnſer lieben Frawen Flachs/ Narciſſus mediopurpureus, vnſer lieben Frawen Gilgen/ rc. Arbor ſanctæ Mariæ eſt Roriſmarinus, vt vult Luminare maius Iacobi de Manlijs ſuper Vnguēto de Artanitâ. Habetur & Herba SS. Trinitatis, Iacæa multicolor, herba S. Antonij, quam Dodonæus inter Lyſimachias recenſet, Molybdæna Plinij dicta, & fructus Staphylodendri, nuces ſunt dictæ S. Antonij. Plantam S. Barbaræ deſcripſit Tragus lib.1.cap.32. Melanthium aruenſe S. Virgini & Martyri Catharinæ debetur. Vlmaria S. Chriſtophoro addicta, Chriſtophoriana dici meruit, quod quoque nomen aliqui Aconito racemoſo, Oſmundæ ac Viciæ multifloræ dumetorum perenni detulerunt. Nicotiana nobis eſt herba S. Crucis; gaudemus & Saccharo S. Aridomaci. Spica Celtica S. Mariæ Magdalenæ laudibus ac nomine celebratur. Parietaria, ac

Pri-

mula veris, Herba paralyſeos diuo Petro
ncupatur, Alcea S. Simeoni, Ocymaſtrũ
rucoſum S. Stephano, Arbor Nucem mo-
am proferens S. Thomæ Apoſtolo, qui in
eijs Chriſtianam primus fidem docuit. Phu
nimum S. Claræ adſcribitur, Tuſſilago S.
irino. Eryſimum tertium Cortuſi, Dryo-
non Plinij ſpecies Thlaſpios, & Draba al-
herba eſt S. Alberti, prout Pæonia S. Ge-
ij, & Sanicula, Diapenſia ac Vincetoxicum
aurentij, S. Innocentij Polygonum. An-
ca Angelos ſibi patronos adſciuit, & à
manis H. Gaiſts Wurtzl nominari con-
uit, etenim complures aliæ alijs ſanctis &
ctorum nominibus ſunt inſignitæ, quas
dem nominum impoſitiones priſca no-
rum pietas in Dei ipſius honorem & Di-
um memoriam contulit; Ethnicorum i-
a & blaſphema vota in ſanctimoniam
sferens, quando per auxilia ſibi per medi-
enta præſtita electorum Dei recordatio-
habendam cenſuit, qui & ipſi dum in
is exiſterent ijſdem remedijs comodè pro
omnipotentis gloriâ, & pro cum ſuâ, tum
rum ſanitate vel conſeruandâ, vel recupe-
â ſint vſi, Ethnicis Abietem, Ficus folia,
eram, Narciſſum, Viticem & Smilacem
cho, Æſculum & albam Populum Hercu-
llium Laribus, Adiantum & Cypariſſum
Plutoni

Ethnicorũ Vota circa frutices herbas, & arbuſta.

Plutoni, Fraxinum ac Gramen Marti, Cor-num, Laurum, Myricam ac Oleaſtrum Apol-lini, Portulacam Mercurio, Crocum Myr-tumque Cereri, Cupreſſum Siluano, Ilicem Ioui, Papauera Lucinę, Pinum Fauno ac Pani ut ſtulto ſic inepto ſuo more conſecrantibu ac deuouentibus, quos vel crudus naturæ in-ſtinctus medicamenta dijs accepta ferre do-cuit.

Nec verò Dominus Deus tabernaculum fœderis arte Medicâ carere voluit, nam (ut in Capite de Vnguentis infra monebimus 30. Exodi ſic legitur: *Vnxit Moyſes vnguent ſancto ex Myrrhâ, Cinamono, Calamo, Caſſi & oleo vnguentarii opefacto.* Et Saluator no-ſter Ieſus Chriſtus à Maria Magdalena vn-guento Spicato in cœnâ perfuſus pij operis a-ctum rectè patratum commendauit.

Sancta eſt igitur Medicina, utpotè ab ipſ rerum omnium conditore Deo ſanctiſque Angelis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus a Confeſſoribus adminiſtrata.

Sanctimoniam quoque eius vel hoc pro-dit, quod olim Sacerdotes eius profeſſione facerent, tanquam indignum eſſe videretur artem tam ſacram à profanis hominibus tra-ctari: proindè Ægyptiorum Sacerdotes om-nes Medici fuiſſe perhibentur Platone & Ho-

Sacerdotes Medici.

mer

mero testibus. Vndè Plato comite Euripide, peregrinando ad eos profectus cum morbo citra opinionem correptus esset, ab ijs marina lotione curatus est. Verùm ipsa medicamina Dijs consecrauit antiquitas, quę Ægyptiorum Sacerdotes hieroglyphicis animalium figuris & characteribus, ne ab ignobili vulgo in profanum usum conuerterentur signata, in Ephestij Vulcani delubro, Græci verò Epidaurum incolentes in Æsculapij templo sollicitè asseruare ac custodire sunt soliti. Et sanè fuisse in Epidauro lucum Æsculapio sacrum in eoque tholum candido marmore extrinsecùs obductum, in quo nomina ægrorum qui Æsculapij ope conualuissent, morbique ac medendi modi quibus sanitatem recuperassent, conscripti & insculpti fuerint testatur Pausanias. Scribit præterea Suidas Salomonem regem de cuiusuis morbi remedijs singulare volumen edidisse, cuius excellentiora axiomata Hierosolymitani templi vestibulo (fortè ad valuas) incisa fuerint, attamen ab Ezechia rege (eò quod ad idololatriæ quandam speciem prolapsum vulgus non vt antea per preces salutem ac opem, sed quasi neglecto protinùs Deo exindè solùm morborum suorum depulsionem efflagitaret ac indagaret) tandem reuulsa, sic enim Scriptura

Hieroglyphica.

Lucus Æsculapij.

Salomon Rex.

4.Reg.

4. Reg. Cap. 18. aſſerit. *In tempore illo con-fregit Ezechias valuas templi Domini.* Vndè etiam Iudæos Medicinam in templo aſſeruaſſe & vt ſacram habuiſſe colligimus. Semper igitur vel ipſi Ethnici Medicinam non modò Deorum inuentum, ſed etiam opus eſſe crediderunt, quam proindè iiſdem acceptam retulerunt, curationeſq; non ſecùs quàm donaria quædam recondiderunt, quam poſtmodùm (prout ſupra monſtrauimus) Chriſtianorum perdocta manus à mendis ac ethnicis vanitatibus repurgatam piè ac ſanctè exercuit. Hanc etiam ſacram ſanctamq; eſſe teſtatur ipſe Hippocrates lib. de leg. his verbis concludens. *Hæc itaq; cum ſacra ſanctaue negotia ſint, ſacris ſanctiſue viris demonſtrantur, profanis verò fas non eſt priusquam diſciplinæ ſacris initientur.* Libro verò de veteri Medicina ait. *Primi inuentores iudicauerunt artem dignam quæ Deo adſcriberetur, quemadmodũ etiam receptum eſt.* Quod idem ſenſit Galenus in Iſagogicis, artium inuentiones Deorum filijs vel eorum propinquis acceptas referens. Verùm de Nat. mul. idem Hippoc. ait. *Quicunq; iſta* (nempè Medicinam ſpectantia) *rectè tractare volet, oportet primùm ex Diis ordiri.* Sane effectus à medicamentis aut medicatione prodeuntes Virgilius licet Ethnicus DEO adſcripſit vbi 12. Æneid. Iapim

Hippoc. & Galeni teſtimonia.

post

post Æneam restitutum sic loquentem introducit.

Non hæc humanis opibus, non arte magistrâ
Proueniunt, neq; te Ænea mea dextera seruat;
Maior agit Deus, atque opera ad maiora remisit.

Imò & morbos quosdam Ethnici ad Deos retulerunt, vt liquet ex ijs quę Hippocrates de morbo sacro fusiùs recenset, quem veteres non nisi diuinis medelis propulsari posse arbitrari sunt.

Morbus Sacer.

Sanctitatem hanc Medicinæ ac puritatem acerbo pariter & fastuoso supercilio suspiciēs insidiator diabolus, cum proprias fraudes vel confestim aduerti ideoque protinùs auerti, vel ad euertendam aut aliquatenùs labefactādam Medicinam non sufficete posse opinaretur, consiliaros quosdam malorum patrandorum sibi delegit socios. Itaque vt diuinitati quid simile astrueret diuinisque operationibus quas Medicina & edit, & edidit, non aliter quàm Pharao iniquus contra Moysem Magos exuscitās, pertinax planè, impium ac præposterum genus non nisi artes in diuinitatis iniuriam & hominum fraudem à cacodæmonibus sibi traditas spargens in Medicam prouinciam introduxit, illorumque semitam

quorum animis malignus ſpiritus inſederat, ſuperbiâ, aſtu, mendacio, impietate, fraude, & fallacia ſtrauit. Inter hos verè principes numerantur Zabulus, Barnabas Cyprius, & Nini contemporaneus Zoroaſter, quem bellum Troianum quinque millibus annorum anteceſſiſſe ferunt, quiq́ue Cham fuiſſe putatur, filius ille Noachi parentem per ſomnum nudatum nequiſſimè ridens, ac deindè rex Bactrianorum effectus, vt qui vicies centum millia verſuum de hac arte condiderit, quos Hermippus poſtea explanauit. Hos ſecutus Hoſthanes qui Xerxem Perſarum regem in bello contra Græcos comitatus eſt, portentoſæ artis ſemina longè ſparſit, omnemq́ue locum quem oberrans tranſibat ſuo, commeatu infecit. Nec defuêre apud priſcos huius inſignis nequitiæ celebres fautores inter quos Zarades Perſa primus ferè extitit: huius conditionem Chriſtianus Bruningus Vltraiectinus I. C. his verſibus deſcribit.

Primi falſa ac diabolicæ Magiæ cultores.
Cham.

Zarades incantator & Magus.

Theſſala Zarades cantauit carmina primus.
Et ſtygyâ innocuos polluit arte Magos.
Ille laborantis deduxit cornua Lunæ,
Primus & ille tuos Phœbe retorſit equos.

Ille

Ille vel in ſudo procedere nubila cœlo,
Fulgere vel puro iuſſit in orbe diem.
Ille quieſcentes erexit protinus vndas,
Ille ſuum verſas, in caput egit aquas.
Cum voluit tacitæ frondentia robora ſyluæ
Viuaque ſaxa ſuis exiluêre locis.
Cum voluit trepidis ſubitô de nubibus imber,
Pallida ſanguineis gramina lauit aquis.
Ille nouo ſtygios eduxit carmine manes,
Primus & arcanam ſollicitauit humum.
O ſcelus humano tibi prima cruore notauit,
Ara, ſed ara tuo digna cruore fuit.

Diſperſa ac diſſeminata poſtmodum fuit hæc ad diuerſas gentes nequitia. Illata enim eſt ab Apuscoro & Zarade, in Mediam, ab Hippoco in Arabiam, ab Oſthane in Græciā, vndè in Italiam, Galliam, Belgium, ſpurciſſi-

mæ, artis initia ſunt deducta, quæ Iulianus Apoſtata diro euentu exercuit. Hanc etiam Poëtæ fouerunt, etenim ut ex Diodoro Siculo lib. 5 Rerum Antiq. cap. 9. colligere licet, cum apud gentiles ſi magi cauſa auctoritate dotati fuerint, vt ſi inter media præliantium agmina ſeſe ingeſſerint, eorũ interuentu bella finirentur; ac pugnæ quieſcerent, quando Mars Muſas reuerebatur. Tantâ hi autem carminũ copia onerati ac prætumidi erant, vt eſſent, qui viginti annos ad ea ediſcenda abſumerent de his vide plura apud Strabonem lib. 4. Plin. lib. 16. cap. 44. & Valer. Max. lib. 1. Eiecit autẽ hos Druidas ac Vates, Tiberius, prout idem Plinius lib. 30. cap. 1. teſtatur, quos tamen Claudius rurſus admiſiſſe dicitur, vt habetur in Claudij Apolocyntheſi, hos ſecuti ſunt, Marmarides Babylonius, Zarmocenidas Aſſyrius, & Hippocus Arabs, licet in Perſide plurimùm ſemper magia exculta fuerit; ex qua excurſione facta totum terrarum orbem contaminauit, adeò Philoſophia cuius exacta & conſummata cognitio olim magiæ titulo gaudebat, (de qua Calaſiris apud Heliodorũ meminit) in impuram hanc & diabolicam vanitatem nugationemq; degenerauit. Huic peruerſorum hominum cœtui ſeſe aſſociarũt degeneres illi Cabaliſtæ magiam ſuam natura-

Poëta.

Apud Barbaros ira Sapientiæ cedebat.

Tiberius Druidas eiecit.

Cabaliſtæ.

ralem esse suamque doctrinam à secretioribus consiliis ac reuelationibus Dei deriuari contendentes, qui quidem sordidâ progenie suam prouinciam paulatim amplificantes Nigromanticos, Axiomãticos ad bipennis motum magicas sortes obseruantes, Dactylomanticos familiares (vt vocant) spiritus in annulis gestantes, Alphitomanticos ex farinâ (vt Iamblichus asserit) iudicantes, Lithomanticos à lapidibus oracula desumẽtes, Daphnomanticos à lauro præscientiæ suæ exordia petentes, quam (vt ait Proclus) magnas in magiâ vires obtinere & Apollini sacram somnia gignere fuit creditum: Cephaleonomanticos ex asinino capite diuinantes, quomodo apud Iosephum legitur, Apionem Grammaticum legatione ad Caligulam Imperatorem functũ Iudæos calumniatum esse, quod in Dei templo asini caput habuerint: Hydromanticos & Pagimanticos ex fontibus scita euocantes (quam artem Numa Pompilius exercuisse dicitur:) Pyromanticos ex igne vaticinantes, Onychomanticos ex vnguium affrictu futuro prædicentes, Coscinomanticos (de quibus Lucianus & Theocritus) ex cribri saltatione de rebus certis erudiri sese posse sperantes, Gastromanticos ex vasis vitreis rotundis aqua plenis oracula proferentes, Crystallomã-

Varii per-uersæ ma-giæ mini-stri.

Asini Ca-put.

ticos & Catoptromanticos è glacie, ſpeculis aut Chryſtallo vaticinia extorquentes, Geomanticos inſuper & Nectromanticos, ac neſcio qualem nebulonum turbam generarunt. Quorum omnium fraudulenta erat promiſſio ſeſe ſtupenda & miraculis plena opera, non quidem licito, conſueto, ac naturali, ſed inſolito, occulto, ac tertio ſeu incomprehenſibili modo edituros, eratque illorum diuerſitas in medij ſolùm ratione quo ad efficiendas execrabiles haſce nugas vtebantur, ſita. Alius quippe ignem, alius terram aut aquam nequitiæ ſuæ perpetrandæ inſtrumenti loco adhibeat. In hoc autem conueniebant omnes, quod per occulta quædam pacta cum dæmone participarent, inque hoc diaboli foro tanquam merces coëmpturi omnes congrebantur. Verùm vt ne vel primâ ſtatim frõte eorum malitia cuilibet pateret, eandem pietatis quodam tegmine tergiuerſator ille fraudumque magiſter diabolus velandam & obtegendam eſſe cenſuit. Vndè cumprimis velut diuino flamine afflati diuinitatem iuxta ac pietatem prætexentes, diuinis & ſacris quibuſdam verbis & Characteribus, imò attentiſſimis precationibus certâ lege repetitis vſi ſunt.

Impij Magi pietatẽ ſimulant.

Ægros itidem à balneis arcebant, & certis quibuſdam dapibus abſtinere præcipiebant, prout

prout videre est apud Hippoc. lib. de morbo sacro, Comitiali, (seu Epilepsiâ) dicto, quo in loco idem licet Ethnicus expiatorum, incantatorumque, pietatem & sanctitatem præ se ferentium atque sub boni aut pietatis fictæ specie credulas hominum mentes deceptoria planè ac subsannāte fraude ad sese allicientiũ nequitias examinauit, & ex omni Medica prouincia vt nugatorias imò & impuras proscripsit, penitusque ab omni medendi ratione vtpotè alienas meritò reiecit ac rescidit. Horũ tamen doctrinam nihilominus malignorum, superstitiosorum ac ob curiositatem aut superbiam in hocce calamitatis genus præcipitatorum hominum astus pertinaciter fouit, eamque callida & nugis semper addicta mulierum cohors plenis vlnis est amplexata; vndè in tantum hæc dolosa ac prosus execranda hominum cum demonibus amicitia increuit, vt in Ægyptios Arabes, Græcos & vniuersum ferè terrarum orbem diducta & latè disseminata etiam quosdam Christianorum alioquin pietatis studiosorum sordido suo contactu coinquinarit. Isthæc autem omnium primò Medicinæ sese copulauit, cui blandissimis promissis sese insinuans, ac vires insuper fictæ religionis (ad quam vel maximè genus humanum caligat) supperaddens, introductis desuper ad ostentationis quoddam

Mulieres aliqua his malis addicta.

Fictæ religionis prætextum.

ſupercilium Mathematicis diſciplinis, ac ſi de cœlo ſcientiam hauriret, ſicque triplici artis vinculo ſibi coniuncto, poſſeſſis (vt Plinius ait) mortalium ſenſibus, in tantũ faſtigij adoleuit, vt etiam in magna parte gentium tandem præualuerit. Quare tam ſpecioſarum artium vnitione non parum fidei, ſpei & auctoritatis ſeſe ſibi conciliaturam credidit, vt proindè Iamblichus, Proclus, Plotinus, Porphyrius & Iulianus Apoſtata magiam bonorum dæmonum inuocationem eſſe dicere non fuerint veriti. Sic peccator cum in profundũ venit, ea quę cauere debet contemnit. At verò hac boni ſpecie, permulta, imò plurima maligna irrepſêre, ita vt quidquid ab eiuſmodi Magis & præſtigiatoribus vel efficitur, vel effectum eſt nonnulli etiam doctrina & pietate inſignes (prout putabantur) naturalibus cauſis adſcripſerint, vnde commentitias quoque illas familiaris ſpiritus appellationes alborum dæmonum Sibyllarum & Fearum ſeu Fatiferarum huc traduxêre. Eouſque prô dolor temerè nugis iſtis credentium cæcitas faſtigiatio gradu peruenit; vt iniquum ac impiũ rectum ſanctumque, fraudulentum verò ac ſubdolum verum certumque iudicauerit. Quam quidem tam turpiter hallucinandi & in tam varias hæreſes, Ethniciſmos, Paganiſmos ac diabolicos planè nexus incidendi occaſio-

Iulianus Apoſtata.

Familiares ſpiritus, albi dæmones & Sybillæ.

Paganiſmus.

casionem cum superba curiositas, tum facilis credulitas, partim Deum despiciens & à veritate desciscens malitia, atque sic veræ pietatis abnegatio & desertio, tanquam desperatio quædam sanctissimo Numini non confidens, sed alienum sibi à subiugali dæmone auxilium quærens peperit, quæ tamen quandoq; (prout ante notauimus) probitatis personata facie adeò à subdolo supplantatoris auctore diabolo tam formosa in mundi huius scenam est producta, vt multi ficta eius venustate quã facietenûs præ se ferebat illecti, stultitiæ simul ac nequitiæ seruos semetipsos dicauerint, cuius compedibus vincti cum antea liberi & fuerint, & esse potuerint, nunc instar mancipiorum in extremũ calamitatis discrimen ac irreuocabile ferè exilium sunt seducti & abducti.

CAPVT III.

Medicina luget se à Magnis olim Regibus, piisque Sacerdotibus ac Philosophis factitatam, nunc à Bubulcis. & vulgi fæce tractari ac exerceri.

MEdicinam à Deo immortali profectam & tanquam sollemne ac præcipuum in-

termundana hæc donaria nobis à beneficio numine concessa, miseriarum calamitatumq; asylum in singularem humani generis fauorem ac emolumentum cælitùs impertitam supra (vbi de eius origine primisque inuentoribus egimus) demonstratum est. Ea autem non in promiscuum vulgus neglectim proiecta ac disseminata, sed solùm magnis regibus, ducibus, imperatoribus, sacerdotibus ac philosophis primitùs concredita est, ne vel popularis inscitiæ erroribus contaminaretur, aut mendis obnoxij vulgi crebris hallucinationibus, aut mutabili incertitudine tanquã sacrilegio polluta vilesceret ac posthaberetur, cum heroës tantùm & Deorum filij, ut Ælianus affirmat, has nobiles scientias primitùs exercerent. Propterea eam Dij in philosophorũ è quibus Sacerdotes & in Sacerdotum è quorum cętu Reges olim eligebantur, gremio collocandam censuerunt, vt sic sancti opificij, sacræque omninò scientiæ sacra quoque ac pia foret custodia.

Ex Philosophis olim fiebant Sacerdotes, è Sacerdotibus verò reges eligebantur.

Et verò missis historicorum à longinqua ævi memoriâ rei huic testimonia perhibentium auctoritatibus, sola ac nuda hic maiorum adducta traditione quemlibet veritati non reluctantem ea quæ modò commemorata sunt, protinùs agniturum speramus, si modò ea quæ in nostris adhuc officinis prostant,

rant vſitata ac conſueta medicamentorum
omina ab ipſis eorum inuentoribus ſibi in-
ta, & in hunc vſque diem longo ſæculorum
actu deducta ac conſeruata perpenderit.
ndè Gentianam à Gentio Illyriorum rege
pertam, appellationem quidem ſuam ab
uentore mutuatam eſſe, eidem verò in æ-
rnum durabile nomen conciliaſſe legimus.
c Macedoniæ rex Lyſimachus vnà cum
erbæ à ſe adinuentæ nomine manſuram ſui
emoriam in hunc vſque diem transfudit.
bſeruatum eſt etiam, Telephium Telepho
iſiæ regi æternam conciliaſſe claritudinem,
rout & Echium & Anchuſa Alcibiadi Athe
ienſium duci famam immortalem largitur,
uam eandem Iuba Mauritanorum rex ob
uphorbij repertionem obtinuit: & Clyme-
os herba iuuentori ſuo iure adſcripta, recor-
ationem eius perpetuò fouet. Extat genus
uoddam Panacis (cuius Plin. lib. 25. cap. 4.
eminit) Pharnaceon appellatum, à Phar-
ace rege nomen habens. Sic & Mithridati
onti plus magis Medico, quàm tyraño, Scor
ium ac antidoti ipſius antiquior magis quã
heriacæ inuentio haud unquam interiturã
loriam conciliauit, ad noſtras vſq; ætates in-
gni laudis increm ẽto deuectã, de quo Poëta:

Denomi-natio her-barum & radicum ab inuen-toribus de ſumpta.

Profecit poto Mithrtdates ſapè veneno,
Toxica ne poſſent ſaua nocere ſibi.

Forſan per fecit.

Cla-

Clarent eodem encomio Archelaus Cappadociæ, Agamemnon Argiuorum, & Massinissa Numidiæ reges; quorum famam nulli vetustate obfuscabilem corruptibilemque nulloque quantumuis acerbo & famelico æui dente vel rodendam, vel radendam, assecuti quoque sunt Euax & Auicenna Reges Arabum, Attalus Pergami, & Sabor Medorum conspicui monarchæ. Quàm verò ingens & admirabile opus rerum naturalium præcipue verò plantarum ediderit Salomon sapientissimus, testantur sacræ paginæ 3. Reg. his verbis: *Et disputauit Salomon super lignis a Cedro vsque ad Hyssoppum, quæ egreditur de pariete, & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus & piscibus*, quod quidem opus in Hierosolymitano illo incendio facto per Nabusaradan (forsan Nabuchodonosor) conflagrauit, licet alij, inter quos Georgius Cedrenus, Græcos Iatrosophistas id ipsum suffuratos esse arbitrentur. Regum horum gloriam affectarunt etiam nonnullæ, artium magis quàm inutilis fastus ac inæstimabilis superbiæ sectatrices Reginæ, vndè Artemisia Mausoli Cariæ regis coniux, ob repertam à se herbam nominis sui notione in hanc vsque diem produxit, estque Helena ob Helenij (quod primùm illa seuerat) virtutes posteris hucusque conspicua. apud Ælianum Achilles Patroclum Medici-

Reges.

Salomon.

Furtum Iatrosophistarum.

Reginæ.

nam

rum docet. Quid de Mesueo regis Damasci filio, nec non de Auicenna aliisque Arabum Regibus, tum verò de Romanis, Græcis, aliarumque gentium magnatibus referam? quorum complures Medicinam summo studio, sedula opera & maxima diligentia sectatos fuisse, neque verò indè obscuram, imô haud euanescibilem laudem reportasse cognouimus. Extat in hanc horam vsque Vnguentum Aggrippæ regis Iudæorum, quo is sanitatem tueri, & mala arcere consueuerat. Ceratum Isidis antiquissimo vsu ad nos delatum de quo Galenus, mentionem facit. Adrianum Electuarium ab Adriano Romanorum Imperatore, & Iustinum à Iusto Cæsare repertum. Electuariũ de ouo, Maximiliano primo R. F. Aug. inter secreta remedia repositum. Puluis Griseus ac Rubeus contra pestem, quorum vterque Cæsaris in communicatione horum medicamentorum liberalitati adscribitur. Electuarium Papæ contra pestem, ad Guidonem relatum, atque aliud à Ferdinando Imperatore diuulgatum. Puluis Pannonicus, Saxonicusque, vterque Regibus & Principibus illarum ditionum olim familiaris, qui tametsi eorum medicamentorum repertores non extiterint, ea tamen suam in tutelam assumentes vt recepta, ita etiam accepta, summo amore fouere, ac in posterûm emolumẽtum

Mesue Regis filius.

Imperatores Cæsaresque Christiani

tum

tum ad pellenda periculosissima mala in adultam nominis sui famam enutrire ac educare non erubuerunt. Prostant etiam inter cætera Elect. Ducis apud Nicolaum, Species Imperatoris, & Vnguentum Comitissæ Vandrensis prout & viride Reginæ dictum nostris officinis vsitatissimum. Quid de sacerdotibus ac præsulibus referam, è quorum vetustis laboribus nostra adhuc iuuenum studia succum lambentia priscam medicationis pietatem unà cum pharmacis transsumpserunt: adhuc enim vel plebei ac rustici homines Electuarii Elescoph seu Episcopi vtilitatem sæpius experti, peregrino licet nomine ab ipsis haudquaquam intellecto id à Pharmacopœis norunt petere.

Sacerdotes Præsules & Episcopi.

Quin etiam plurimis medicamentorum formulis quotidie ferè induntur, Puluis ille Diarhodon ab Abbate de Curia compositus, alterq; Haly Abbatis ad pthisin magnoperè celebratus, & multa alia à Nicolao Præposito, Raymundo Lullio, & Monachis qui in Mesueum scripsere ac commentati sunt posteritati tradita medicamenta. Inter prisca quoque medicamenta adhuc numerantur, Antidotus Esdræ Prophet. Sal Sacerdotale, quo Sacerdotes vti solebant tempore Heliæ Proph. *propter dolorem capitis & caliginem*

Religiosi medicinæ addicti.

Textus Nicolai.

nem oculorum & Stomachum & dentium dolorem, tussim & anhelitum emendat, os doratum reddit, & corpus humanum incolume seruat. Vide Nicol. in Antidotario & librum Saladini de Æsculo Physici Tarenti.

Esdras autem Propheta in Babylonia in exilio positus eam medicinam primò inuenit, quam Nicolaus suo in Antidotario describit. Vtilis autem ea erat *Melancholicis timidis, & quibus inest malus appetitus, prodest & valet etiam comedentibus carbones & cophos, & testas ollarum.*

Esdras Propheta.

Verba textus Nicolai.

Vide Arnoldum Villanouanum in suo Antidotario. Præter autem quamplurimos alios effectus vt textus ad finem ferè habet, *valet contra venenosos morsus animalium, serpentûm ranarum, & aliorum reptilium, & contra morsum canis rabidi, prodest toxicatis hominibus, &c.*

Prostat etiam potio Sancti Pauli, Vnguent. Apostolorum, Syrupus Sanct. Ambrosij, Oxopyra à sanctissimis Medicis Cosma & Damiano reperta, Musa ænea à Musa peritissimo Philosopho excogitata, Benedicta Transtyberina à Romanis vel adinuenta, vel vsurpata, omissis cæteris, qualia apud Aëtium & priscos auctores numerosè leguntur.

Lau-

Laudauit Mithridates Scordium, Chrysippus & Cato Brassicam, Pythagoras Squillam, Diocles Raphanum, Phanias Vrticam, Apuleius Betonicam, adeò erat etiam Philosophis Medicina curæ, quam vetustus ille ac summâ nobilitate clarus miles Marus apud Silium Ital. exercuisse legitur.

Marus miles Medicus.

——— ———Marus vetus ille parentis
Miles, & haud surdâ tractârat prælia famâ.
Procedit renouata focis, & paupere Vesta
Lumina prætendens: vtq; ora agnouit & agrum,
Vulneribus duris ac lamentabile visu
Lapsanteis fultum truncatâ cuspide gressus
Funesti rumore mali. ——— ———
———Indè ægra reponit
Membra thoro, nec ferre rudis medicamina quippe
Callebat bellis, nunc purgat vulnera lymphâ,
Nunc mulcet succis, ligat indè ac vellere molli
Circumdat tactu, & torpentes mitigat artus.
Exin cura seni, tristem depellere fesso
Ore sitim, & parcâ vires accersere mensâ.

Vide

Vide quantis nominibus Medicamenta priscis temporibus fuerint dotata, quæ & ipsa Medicinæ gloriam fatentur, ac famam probant, imò ad hæc vsque sæcula deferunt. Vocabatur Aurea Alexandrina nostris adhuc officinis vsitata, ideo Aurea; *quod aureos effectus præstaret*, etenim

Aurea quando datur
Caput à languore leuatur.

Adrianũ de quo paulò antè, ab Adriano Imperatore nomen habenti, inter cæteras virtutes textus Nicolai hoc adscribit. *Datur etiam Accipitri lapidem habenti.* Acharistum *sine munere* sic dictum. Athanasia id est *immortalis*, Alcantalon *seu bonum nuntium*. Anthamaron, id est, *contra mortem*. Antidotum *contra datum*. Benedicta, *ob vires tam insignes.* Lætitiæ Galeni & Rhasis, *quia cordi robur addunt, spiritusque exhilarant.* Philantropos, *amicus est hominis rectè dictus.* Hiera, id est, *sacra*, prout Higia *saluatrix*. Hydrocopion *sudores pellens ac rigores febriles exterminans.* IustinumElect. *à Iustino Imperatore* & Catharcticum Imperiale, *pro Cæsaribus compositum*. Lithontribon *lapidem contundens*. Mithridatium *mater Medicinarum* dicebatur, Musa Enea *Philosophi repertum*, Micleta, id est *experta*, Nephrocatharcticum *renes purgans.* Opopyra (de quâ supra) *succus igneus est*, cu-

Priscorum Medicamentorum Nomenclatura.

Vide Nicolaum & Mesuenm in Antidotario.

rans Paralysin & morbos neruorum frigidos. Panchristum *totum* interpretari potest *salutare.* Quadrimeron â quatuor ingredientibus *pro Asthmaticis conciliatum.* Requies magna *quod soporem inducat & somnum conciliet & dolores placare soleat.* Tryphera id est *iuuenilis, vel delicata hominem præstans vegetum ac iuuentã resarciens vel reponens deperditam.* Theodoricon *vtpotè â DEO datum* hoc nomen obtinuit, vt Philonia prætercam quæ in hominum beneficentiam cessêre ipso titulo cognita. Atq; hæc erant religiosa, eximia, præcellentia, ac suis viribus ac dignitatibus competentia remediorum nomina, quę nunc fabulosè, astutè, malitiosè ac impiè â compluribus cauillatoribus furcâ dignis in quendam quasi despectum, si non infamiam traducuntur, horrendo sanè proprij criminis ausu qui postea vitam merito in sterquilinijs aut cloacis finiunt, nullo horum medicaminum vsu participes effecti.

Quàm porrò venusta fuerit tunc temporis Medicinæ facies, quilibet perspicere potest, qui eam Regibus, Ducibus, Principibus, Imperatoribus, Philosophis, templorum præpositis, ipsisq; Episcopis, ac summis sacerdotibus seu Pontificibus tantoperè familiarem ac in amoribus fuisse considе-

ſiderat, vt eandem ſibi vendicantes piaculum fore opinati ſint, ſi hæc in temerarium vulgus dimanaret, ac promiſcuæ plebeculæ tractanda permitteretur. Vndè & moderni Reges, Imperatores, ac magni Florentinorum Duces à Medicinâ quam à priſcis temporibus coluêre, nondum ſunt alieni, ſed eam ipſam in hunc vſque diem fouent, tuentur ac excolunt.

Duces Florentini ex Caſa Medicaa.

Certè Empedocles, Philoſophus & Medicus inſignis, mulierem fato functam teſte Diogene Laërtio viuam dimiſit; & Aſclepiades, elatum exanimem à rogo viuum reduxit, referentibus hoc Plinio & Apuleio lib. Florid.

Verùm Medicina, neſcio qua iniuriæ, quaué doli aut calamitatis adorſione in miſeriam tandem adacta, nunc in exilio gemebunda mœrensque oberrat, vtpotè quæ à bubulcis, ciuium ſicarijs, & expilatoribus mechanicis, atque ab omni medicandi ſtudio alienis hominibus non minùs temerè, quàm ſtultè, inſolenter ac proteruè huic ſeſe ingerentibus iam tractatur, ac præter fas & nefas inſano auſu exercetur. Aduenêre enim ſeplaſiarij fucos præſtantes, populoſa ſui turba, tonſores quibus faſtus in capillitio, balneatores ſudoribus exhauſti, circumforanei impo-

Medicinæ calamitas ab opificibus eam exercentibus.

ſtores, mercatores alieno ære obſtricti, & qui foro dudũ ceſsêre, carnifices crudelitate frementes, canicidæ ſordidiſſimi, muliones & agaſones pigri, polypragmones ſuam conditionem ignorantes, ſibi autem prudentes viſi; ex pueris collectaneis & expoſititijs fætibus ſtemma ducentes, Catamidiarij ſeu Brangermåſſige / Cauteriſatores, Repagularij alias Kerckermaiſter / Tortores, Abacorum & Monopodiorum refectores, circa vndulatas mẽſas verſantes. Cauponarij quibus ſerotina in fundo parſimonia extremam perniciem attulit, hoſpites inuerſis dolijs habitantes, Empirici ac doctores bullati; quibus Theoriæ præcepta è memoria dudum fluxerunt, Iudæi quod mutuum dent non habentes, & ad vſuram inepti, hiſtriones inſulſi, ardeliones, paraſiti, circulatores, milites triarij, pigmẽtarij, magiſtelli quos omnis Philoſophia deſeruit, crudos adhuc Græciſmos eructantes, pędagogi Latiarum phraſium copiâ turgidi, propriæ profeſſionis pertæſi, ſui antea prodigi, nunc alieni appetentes; Dardanarij & annonæ flagellatores, Capſarij veſtiſpici, Antambulones, Calatores, Flagriones Maſtigiæ, Mediaſtini, Doſſuarij, Cingari, opiliones monoculi, veſpillones, tergiuerſatores, doxoſophi, fœtidi coqui ex aulis reiecti, coprophori, lucifugi, ſycophantæ factioſi, ſcurriles exactores,

Pulchra ſanè impoſtorum ac nequiſſima cohors.

Ein feine ſaubere Burſch bey einander.

Manipulus hominum nequam.

es, agirtæ, ophtalmici, myropolæ inertes, hymici vmbram Paracelsi vix habentes, denifrangibuli, genethliaci, magomedicastri, agæ, lotiophysici, chartacei imo & Papyacei quidam Reges qui ludum nondum solerunt, assem adhuc debentes, Phrenetici, patriæ procellæ ac turbines, sanitatis tempestaes, exgreges, Caducæi, Tegularij, Septentrioum filij, de quibus Sil. Ital. lib. 2.

Fœcundum in fraudes hominum genus.

Proindeque Arnoldus de villâ Nouâ Antiotarij sui Proëmium sic inchoat. *Lamentatur Hippocrates, quod Medicina scientiarum nobilissima propter indisciplinam vtentium, & vanè iudicantium, in effectu & præ cunctis scientiis est sterilis facta, quæ ab altissimo creata, necessitate sanationis corporis, & animæ, mortalibus vtilissima, ac ipsa pretiosior scientiis cunctis existens: exaltans capita sugentium vbera eius in conspectu Regûm & porrigens fructum frondium suarum in conspectu Magnatum.* E contra vero si quid vulgus inutilis fæcis habuit, idipsum Medicinæ ingessit, hinc Agirtæ, cum summâ peruersione imô verò euersione totius artis Medicæ celestis, antiquis parentibus, si rediuiui forent, non amplius cognoscendæ, tànta cum temeritate ac obscœnitate de populi salute ludentes hominem augustum Dei templum, ha-

Homo habitaculum Spiritus sancti.

Homo habitaculum Spiritus sancti.

habitaculum Spiritus sancti sine conscientia tractare non verentur, imò enecare, vel minimùm mortis periculis creberrimè exponere sibi adhuc laudi ducunt cùm vel in mechanicis non liceat cuiuis pictorem esse, nec malleũ in manus impunè sumpserit is, qui faber non sit; dare verò medicinas, & gentes interficere, hoc impunè cuique permittitur. Atque horũ quidem plurimi tanta inscitia pollent, vt ne hoc quidem, se nihil scire, norint: vndè factũ, vt tanta tamque exitiali peste hominum genus laborare, ac eidem succumbere cœperit, iuxta illud Poëtæ.

——— glomerantur in vnum
Innumeræ pestes Erebi, quascunq; sinistro
Nox genuit fœtu

Pestes sunt hominum mali Medici.

Quis quæso non hanc pestem dixerit, si insciam, temeritatem, ignorantiam, fraudem, sacrilegium, vanitatem, ineptiam ac stultitiam extremam prædictorum hominum Medicinam affectantium, atque ita de humana vita ludentium, ac si de re vilis momenti agendum foret, vel leuiter considerarit? cùm eos nocentissimo fuco artem tantam, & tam sacram & solemnẽ exercere perpendit, qui pro animi arbitratu egregiè tyrannidem exercẽt ac temeraria manu talia non rarò medicamẽta præscribere nõ verentur, quibus ægrũ succumbere necesse sit, nisi naturæ vis valida

mal

mali eiuſmodi Medici, conſilium ineptum ac planè noxium, & ab eo præſcripti medicamēti improbitatem vincat ſi non forſan per purgationum torturas æger iam ante excarnificatus confeſtim his ſuccubuerit: hinc in eos apprimè quadrat illud Virgilij 2. Georg.

Tempore non alio catulorum oblita leana
Sæuior errauit campis, nec funera vulgo
Tam multa informes vrſi, ſtragemq́; dedêre
Per ſyluas, tum ſæuus aper, tum peſſima tigris.

vt hîc quis rectiſſimè ac meritò cum Boëthio exclamare poſſit,

Heu quàm præcipiti merſa profundo
Mens hebet, & propriâ luce relictâ
Tendit in externas ire tenebras?
Terrenis quoties flatibus acta
Creſcit in immenſum noxia cura?

Forſan extremas.

Propria equidem veritatis luce relicta, vtpotè veræ Medicinæ à philoſophica ſynceritate ac doctrinę certitudine ſtabilitę ſemitam humanum genus deſerens, in profundiſſimas ignorationis foueas, denſiſſimasque errorum infinitorum tenebras miſerè prolapſum eſt, cum domeſticam, ipſisq; (vt monſtratum eſt) Philoſophis, Regibus, ſacerdotibus, ducibus ac magnatibus familiarem Medicinam non aliter quàm proprios lares derelinquens alienos Deos quæſiuit, cui interna, ſeu ab æuo nata

 doctri-

doctrina Medica clarissimi luminis fulgore verum sanitatis tramitem præambula commonstrasset, quod nunc terrenis opinionum flatibus, instar arundinum vento agitatarum, in diuersas calamitates diductum noxiæ suæ à vera Medicina decessionis damnosas curas experiri cogitur. Licet progeniem hanc cum Catullo ita salutare ac alloqui.

Quænam te genuit sola sub rupe leana,
Quod mare conceptum spumantibus expuit vndis,
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis?

Gemina autem via noxij hi susurrones, ac deceptoriam hanc, imô latronariam planè medicinam profitentes agirtæ, tantis inscitiæ fascijs inuoluti, ac tanto mendaciorum magisterio Medicam prouinciam sunt ingressi, quarum vnam temeritas medicantium, alteram verò pharmacandorum facilis credulitas aperuit, per quam stupidi quiq; nebulones illicò vitæ necisq; nostræ imperatores fiunt, vndè exclamans Plinius lib. 29. cap. 1. sic ait. *Hercle in hac artium solâ euenit, vt cuicunq; Medicum se profitenti statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio maius: non tamen illud intuemur, adeò blanda est sperandè per se cuiq; dulcedo.* Hæc ille. Plurimi porro horum medicastrorum adulatores sunt per

Binæ occasiones Medicinæ falsificandæ.

quam

quam quidem adulationem ægris grati fiunt adeo vt moriantur, cum ſub rigidioribus verorum medicorum præceptis conualeſcere potuiſſent, horum aſtum detexit Galenus lib. 10. de morb. cur. Sic inquiens *Adulatores Medici, in iis quæ iuxta ægrum agunt eum ſibi finem proponunt, eoq; præcipuam dirigunt intentionem quo morbi dolorisq; leuamẽ quoddam adferant non ſanitatem in omnibus ægris gratam facere atq; obſequi ſtudentes.* Vnde Rhaſis contra eos qui Colicos dolores ſubito in gratiam ægrorum ſopire nituntur vt eis blandiantur ita ſcripſit. *Incipientes ſedare dolorem cum narcoticis componunt rem magni terroris.* Vnde Galenus lib. 1. de morb. cur. ait. *Vbi ægrotare cœperint, medicos ſibi acceerſunt non optimos ſed qui maxime adulari norunt, qui etiam frigidam ſunt daturi ſi quis poſtulet, ac lauabunt ſi quis iubeat, & vinum porrigent, imo ſeruorum ritu iuſſis parebunt, omnibus longè aliter facientes quam veteres illi Medici ab Æſculapio orti, qui ægris dominari præeſſeq; voluerunt, non ſecus quam exercituum duces militibus ac reges ſubditis. Haud quaquam autem ab illis imperium ferre ac iis obſequi velut Getæ Phrygii atq; Thraces pecunia empti. Proinde non is ipſis honoratior videtur, habetur qui arte præſtantior eſt, ſed qui melius adulari nouit. Cui omnia patent,*

Adulatores Medicaſtri.

peruiaq; sunt ac adiũ fores huic aperta. Quinimo & hic repentè ditatur, magnamq; obtinet auctoritatem. Hæc Galenus, ex cuius verbis colligitur assentationis vitium in Medico detestandum per quod salutifera remedia negliguntur ac posthabentur, quando veritas subticetur ac appetitui qui pessimus Medicus est fauor conciliari studetur quo plurimi accelerata morte pereunt & enecantur, vndè rectè canit Ausonius.

Pernicies homini qua maxima? solus homo alter.

Adulatores sunt perniciosissima fera.

Itaque hi adulatores, feræ quædam sunt immanes, quarum Plutarch.in Conui: meminit: Si de færis quęratur, quod animal pessimũ sit? *Tyrannum*, aiebat, si de nutibus? *Adulatorem.* Sanè Diogenes interrogatus quænam feræ essent pessimæ? respondit, *in montibus vrsi & leones, in ciuitatibus autem publicani & sycophanta.*

Medicina turbatio.

Itaque nouo more nunc interturbantur omnia, quasi parum sit intra orbem suum furere, nam quò quisque est indoctior, eò & insolentior; & vt quisq; inter ardeliones loquẽdo pollet, humanæ salutis mox arbiter efficitur: hinc vel minutulos scindendi obsonij magistros, & congiarios momos doctissimis quandoque viris præferri persæpè obseruamus, vndè factum, vt per hominum eiusmodi leuitatem,

tem, quæ verbosissima semper esse solet nunquam finem dictis factura, vera Medicæ artis præcepta propemodùm inuersa, nouiq; mores in artem tam venustam ac vetustam multorum confabulonum stultitia irrepserint.

Quàm verò prima illa semita periculi plena sit, is solùm agnoscit, qui, quantum in medicis operationibus, inhibitionibus, mandatis, sancitis, decretis, statutis, irrogationibus, imò quantum non solùm in imperandis, verùm etiam in prohibendis circa ægrum obuenire & euenire non modò possunt, sed etiam solent, solertiæ requiratur, considerat, perpendit & examinat: huic autem temeritati ansam dedit id, quod nulla medicis erroribus pœna in rebuspub. irrogata sit, vndè idem Plinius loc. cit. ait. *Nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ: discunt periculis nostris, & per experimenta mortes agunt, Medicoq; tantùm hominem occidisse summa impunitas est.* Et paulò post: *Inquisitio per parietes agitur, & qui de nummo iudicet à gradibus columnisq; Herculis accersitur: de exilio verò non nisi die quadragesima quinta quinq; electis viris datur tabella.*

Plinii locus.

Hoc idem Hippocrates, amethodicos hosce ac indoctos homines, qui sese temerè & falsò Medicos profitentur, ac iam tunc circa prisca illa sæcula Medicinam vilescere

fece-

Hippoc. locus lib. de lege.

fecerunt, gnarè ac grauitèr carpent annotauit, cum lib. de leg. sic ait. *Medica quidem ars cunctis profectò artibus præstat, sed eorum inscitia qui eâ vtuntur, ac eorum iudicio qui de his hominibus non benè sentiunt, cunctis iam artibus inferior habetur. Horum autem erratio, hanc mihi potissimùm causam habere videtur, quoniam medicæ arti nulla alia pœna in vrbibus posita est & irrogata, præterquam vituperationis infamiaq́ue, quæ quidem errantes non punit, qui personis maximè similes sunt quæ in tragœdiis producuntur. Figuram autem formamue & habitum eorum quos agunt, habent, tamen illi non sunt : sic Medici plurimi verbis, sermone, famaue sunt, opere autem & re verâ perpauci.* Et paulô inferiùs : *Nam ignoratio & imperitia malum conditorium, & thesaurus est, malumq́ue depositum his qui habent, somniumq́ue est, & eius quadam imago, cogitationisq́ue vera prudentiaq́ue expers est, timiditatisq́ue, & ignauiæ, & audaciæ nutrix : timiditas enim & ignauia præ sese impotentiam fert, sed audacia artis ignorationem. Duo enim sunt scientia, persuasione & opinio, quarum altera scire facit, secunda autem ignorare.* Hæc Hippocrat. qui Medicinæ despicientiam artis ignorationi, cuius scientiam sese complures callere falsò profitentur, meritò adscribit: cuius quidem ignorationis propagatio in hæc

usque tempora processit, adeò vt qui ægri honore artis scientifico sua pro incolumitate ac artis laude curari deberent, inscia planè & temeraria audacia, aut ficta doctrinæ specie in artis dedecus & ipsius ægri detrimentum noxio planè modo tractentur. Nam quicunq; rem hanc synceriùs perpenderit, is agirtas hos sola sua temeritate nixos, aut absoluta fraude & falsa Medici nominis professione medicationisq; titulo procedere, aut stulto quodam commento vnum atque alterum remedium omnibus ac singulis morbis aduersaturum prostituere, aut sine omni rationis lumine ex Empirica scheda & Receptis, quarum ne minimam quidem vim ipsi intelligũt, nec quidnam vel quantum prodesse vel obesse possint, agnoscunt, medicinam facere deprehendet. Sic olim Clinici, qui ægris è Medicorum præcepto aduigilabant, cùm primùm sese ex eorundem auditu nonnulla percepisse arbitrati sunt, protinùs ipsi imaginaria scientia, quam sibi ipsis pollicebantur, prægnantes ideoq; superbia turgentes, sese offerebant & pro Medicis proclamabant, tanta quidẽ ostentatione gloriam suam venundantes, vt ex mechanicis & rudioribus hominibus sese vltrò ac subitò & doctissimos, & peritissimos medicæ artis Doctores euasisse tum sibi, tum aliis, inerti præsertim popello

Agirtæ.

Clinici Medicastri.

peni-

penitùs persuaserint. Vndè tantum dedecoris non solùm sibiipsis, verùm etiam arti Medicæ attulerunt, vt eos philosophi, historici, Medici, politici, & omnis politioris literaturę virorum turba, omnium autem maximè Poëtæ luserint, quod ipsum videre est apud Luciliũ, qui Marcum Clinicum subitò Medicum effectum (vtpotè qui tam perniciosus extiterit, vt vel solo eius contactu lapideam Iouis statuam ruptam esse crediderit) sic delusit.

Saxea heri Marcus tetigit simulachra tonantis
Clinicus; effertur nunc Deus atq; lapis.

Vel sic:

Marcus Clinicus perniciosus.

Clinicus en Marcus marmor Iouis attigit; & mox
Iupiter effertur, sit licet ipse lapis.

Hanc ipsam historiam Iouis Ausonius his duobus distichis Epig. 73. sic interpretatur.

Alcon hesterno signum Iouis attigit, ille
Quamuis marmoreus vim patitur Medici.
Ecce hodie iussus transferri ex æde vetustâ
Effertur: quamuis sit Deus atq; lapis.

Similiter alium Clinicum nomine Menophanem, lusit idem Lucil. 2. Anthol. cap. 22. sic canens.

Tart-

Tartareas misit, ceu fama est, Cæsar ad vndas
Ingentem Erysteus Amphitryoniadem.
Me nunc Menophanes demisit Clinicus, vt sit
Clinicus Erysteus non mage Menophanes.

Menophanes Clinicus.

Consimilem quoque Medicum, qui solo tactu morbos inducebat, Symmachum extitisse Martial. Epig. IX. ostendit, in quo aduentum eius & morbificum tactum sic accusat.

Languebam, sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigêre manus Aquilone gelatæ,
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Tactus inertium Clinicorũ periculosus.

Nec mirum, inertes eiusmodi ac omnium artis præceptionum expertes medicastros, inanem artis ostẽtationem falsa pollicitatione & temerario supercilio præ se ferentes, taliter & rectè quidem illusos esse; siquidem eorum aliqui tam exitiales reperti sunt, vt vel in somnis conspecti, aut solùm eorum nomine prolato mortem hominibus consciuisse existimati sint. Talis Hermocrates extitit, qui somnianti Andragoræ necem attulisse visus est, prout apud eundem Martial. Epig. LIII. legitur.

Mira de Medicastris horrendis & formidabilibus.

Lotus nobiscum eſt hilaris, cœnauit & idem,
Inuentus manè eſt mortuus Andragoras.
Tam ſubitæ mortis cauſam, Fauſtine, requiris?
In ſomnis Medicum viderat Hermocratem.

Atque inſuper.

Amuleta licet gereret Diophantus, obiuit
In ſomnis Medicum vidit vt Hermogenem.

Hermogenes.

De alio viro, cuius nomen ſolùm effatū exauditum homines exanimaſſe fertur, ſic Poëta ſcribit.

Non clyſtere vſus Phidon tetigitue, ſed eius
Nomen vt in febri commemini, periit.

Et licet Poëtis fingendi licentiam datam eſſe aduerſaria pars obijciat, ſciat tamen vix quidquam ab ipſis ſine graui cauſa deſcriptū & prolatum: etenim poſito, hæc non acciderint, ipſi tamen pſeudomedicorum perniciem ſic carpere, & doctiores quibus Poëtarum ſenſa cognita ſunt, à noxio eorum conſilio & plùs quàm fugienda temeritate ſano ac laudabili inſtituto arcere & dehortari in votis habuêre. Sic Stratonicus indoctum ex iſta fæce Medicum irridens, *lauda*, inquit,

tuam experientiam, quia non sinis infirmos cõputrescere statim eos a vitâ liberans. Tales etẽnim ex his emergunt pharmacorum præstandorum magistri, qualis ille, qui, cùm ægros sibi oblatos protinùs necaret, populi victor dicebatur. Rectissimè proindè Socrates in pictorem, qui pro medico se venditans vana opinione non alios modò, sed semetipsum quoque decepit, iocosè & argutè inuectus est, inquiens, eum quidem artem eam deseruisse, cuius menda ob oculos posita cunctisq; patefacta facilè comprehenderentur, complexum verò esse aliam, *cuius errores terrâ tegerentur.* Vndè & Pausanias ægrotans, cũ à consimili falsario medico, num quid mali persentisceret, rogaretur: *Nihil* (respondit) *mali sentio, quoniam te Medico non vtor*: cumque is id ægrè ferens quomodo se increpare posset cõtenderet, quandoquidem suam opem ac medelam nondum esset expertus? subiunxit Pausan, *rectè sanè, nam si te vnquam Medico vsus fuissem, iam te non increparem amplius*, innuẽs se præpostera ac mendosa eius medicatione præcipitatum & iam dudum expeditum non ampliùs ei oblocuturum. Ob hanc causam, & ob multitudinem prauitatemque eiusmodi mulomedicorum, sycophantarum & insanientium doxosophorum dubitatum quandoque fuit, num senes illi decrepiti, quos Scy-

Insulsi Medici ac falsificatores.

Scythæ senes canibus deuorandos præbuère.

thę canibus aut feris deuorandos exhibebant, non potiùs medicis tam perniciosis in prædã exponi vel possint, vel debeant, vtpotè qui feris ac belluis, imò etiam Basilisco longè ferociores ac deteriores existant, vt qui non solùm vitam & corpora, sed & opes ipsas diripiant, imò non per fraudes, sed manifestè aliquando surfurentur.

Vana hominum in his credulitas.

Denique noxiæ huius medicationis viam amplificat nimia vulgi ad nequitias, vanitates, stultitias ineptiasq́; propensio, cui non paruã ansam porrigit prior illa credulitas, de qua in sacris literis scriptum legitur, *Qui facilè credit, leuis est corde.* Vndè eâ leuitate homines non modò leuiter decipiuntur, verùm etiam leuiter enecantur, vt qui à leuibus viris, imò nugacibus mulierculis quæ sese morbos leuiter tractaturas promittunt; leuiter quoq; intoxicentur, ac copiosæ grandinis instar turbinatîm ad orci fauces præcipitentur.

Nihilominùs tamen fraudulenti hi agÿrtæ artem tam difficilem, tot arduis iudicijs implicatam, tot difficultatum tricis inuolutam, ac tantâ cum attentione tractandam temerario ausu attingere, imò etiam ijs qui per arduos studiorum laborumq́ue gradus tam nobilis disciplinæ scientiam sunt adepti, obloqui imò & oblatrare non verentur, ac si de hominis vitâ iudicium ferre res foret nullius momenti,

menti, similes fermè Thessalo qui artem Medicam sex mensium spatio addisci posse tradebat, quem confudit Galenus, artem quidem Medicam non solùm sex mensium, imò verò sex dierum spatio addisci posse, si modo indicationes, ea præsertim quæ ab affecta parte sumitur, tollantur, innuens artem medicam sine indicationibus curandi intentionẽ suggerentibus nullam futuram, vtpotè sine quibus rectus medicamentorum vsus esse nõ possit: vndè Herophilus medicamenta si ritè adhibeantur, *Deorum manus*, aliâs verò nihil esse rectè scripsit. Tantò autem hæc Medicorum monstra grauiùs peccant, vt cum Platone loquar, quod ea tractent quæ nunquam didicerunt, quâm si non aggrederentur ea quæ ignorant. Verùm & mendacia suos patronos habent, quorum clientes sine omni vel conscientia, vel culpa, liberrimè, ac nulla subsequente pœna vitam hominibus eripere audeant, nulla charitatis obseruatione habita, de qua S. August. *Vbi charitas est, quid potest obesse? at vbi illa non est, sed impudens audacia, & ardens auaritia cum pari rerum ignorantiâ iuncta quid est quod possit prodesse?*

Thessali vana promissio.

Galenus Thessalũ confutat.

Medicamenta Deorum manus sunt.

Cùm igitur magna res sit Medicina, & longè maior eiusdẽ Dei dono finis cõsecutio, Dicente domino nostro Iesu *veniã & curabo eũ*.

caueant temerarij hi ſuſurrones arcam Spiritus Sancti ſanandorum corporum myſteria continentem attingere, ne ijs contingat, vt dehiſcente terra viui abſorbeantur, hominem enim à Domino Deo eſſe ſuper omnia ſublunaria principem conſtitutum, vt ea eidem famularentur certum eſt, & qui ad cœlos adſpiraret terrena quaſi deſpiciens ratum habetur ab omnibus, vnde Ouid.

Os homini ſublime dedit cœlumq; tueri
Iuſſit & erectos ad ſydera tollere vultus.

Miſeria eſt autem eaque acerba ac immodeſta nimis, imo impia, hominem Deo extra mortalitatem & omnipotentiam ferè ſimilē, à mendacibus his proditoribus ſeſe pro Medicis venditantibus, in ludum ac vitæ periculum, imò certæ quandoq; necis præcipitium exponi,

——————qui in æthere ferret
Sublimis oculos, qui Mentis acumine totum
Naturæ luſtraret opus, cauſasq; latentes
Eliceret rerum, & ſummum deprenderet aui
Artificem, nutu terras, maria, aſtra, regentem,
Qui fretum ratione animi, ſubſterneret vni

Hominis præſtantia.

Cuncta

Cuncta sibi, ac vindex pecudum domitorq; ferarum
Posset ab ignauo senium defendere mundo.

Nunc autem nulla humanæ dignitatis habetur ratio, sed promiscuè de vita hominum luditur, & tantum DEI opificium non modo negligitur sed in pericula, temerariò adactum quibusuis interitus occasionibus exponitur, nulla quandoque fide, consilio, arte, consideratione, censura, ponderatione, circumspectione aut debita deliberatione preuia, sed sola temeritate ductrice, quæ artem sanctam in sanctam creaturam cui hæc in solamen à Domino Deo vt itineris per has terras fida comes & laborum dolorumque consolatrix ac consopitrix data est impingere, peccare eamque fædo & scurrili lusu proh dolor contaminare ac penitus per latrocinia cædes ac homicida profanare non erubuit.

Homo creatura sancta est.

Quanta autem sit hominis dignitas veteres accuratius perpenderunt & maiori acumine propriam suam dignitatem plus magis pensitarunt, vndè Synesius hominem corporeorum & incorporeorum Horizontem, Cicero diuinum animal planè politicum & ad societatem natum, Plato θαῦμα θαυμάτων, & Mercurius Trismegistus animal Deo simillimum & Deorum esse dixit interpretem quem

Quid veteres de hominis dignitate ac præstantia senserint.

 perue-

peruetuſtus ille Zoroaſter audacis naturę miraculū ac decus appellare fuit ſolitus; & Barbarus Abdalas hominem inter creaturas quas omnes admiratione ſuperet meritò ſuſpiciēdum rectè exiſtimauit, vnde Ægyptij ſacerdotes hominem anguſtum Dei templū nominare nō ſunt veriti, eò, quod immortalem animā humano corpore contentam, Deum quendā eſſe paruo ergaſtulo concluſum exiſtimauerint, vel ex hoc animæ præſtantiam metiti, quod hanc ſolam creatam non generatam ſolam inter formas naturales quæ cum ſubiecto augentur, minuuntur, diuiduntur que indiuiduam, atque adeo totam in toto, & totam in minima parte, ſolam incorpoream, immaterialem, & impatibilem eſſe intelligerent. Et licet hi infames ac perditi nebulones ne dicam latrones, animam interficere nequeant habitaculum tamē eius (quod corpus eſt) vel perturbant, vel deſtruunt, circa funera ridentes, Thracibus ſimillimi, qui infantium natales dies conuocatis conſanguineis planctu excipiebant, ridebant porro funera, & exequias cum hilaritate celebrabant. Atque ita cum homine luditur ac ſi fæni plauſtrum eſſet, vel quid aliud, facile reparabile, proh dolor, quanta calamitas, per hos pſeudomedicaſtros in ſanctam ac planam Medicinam eſt introducta, in qua hi ipſi ſine periculo furiunt, ſine,

Anima.

Val. Max.

Homicidæ?

ne pœna occidunt, aut ad minus excarnificant, ſine obiurgatione mẽtiuntur, ac homines præſertim quandoq; magnates, à quibus pecuniarum ſperant aucupia dementant, ac fraudulenter circumueniunt, quos tanquam Turcico Maſslacho aut opio ſemidormientes aut quaſi temulentos & apprehẽſione aliqua ſana carentes reddiderunt, ac ſomniferos ſui corporis calamitatem, & crumenæ periculũ tanquam fatuos non aduertere fecerunt. Sed de his aliâs plura.

Sunt autem iſti homines meri moroſophi, corpus humanum in quo anima Dei ſimilitudinem habens reſidet ac habitat, nihili æſtimantes, qui tamen totum mundum in ſe cõplectitur, vnde μικρόκοσμος dictus eſt. Is enim non ex turbulento atomorum confluxu aut tenuibus puluiſculis temerè concurrentibus, vt Epicurus voluit, conflatus eſt, neq; tanquã fungus, aut vlcus quoddã terræ indifferenter emerſit. Ex hoc à vera ratione deflexu, innumeri parti ſunt errores, inter quos delirio prægnans Ariſtoxenes, vim ſentiendi haud aliter quã in fidibus ex intentione neruorũ concordẽ ſonũ, ſic ex cõpage membrorũ ac viſcerum reſultare nullo animæ opificio arbitratus eſt. Zoroaſter porro animã alatam eſſe ratus eſt, quam confractis alis in corpus labi præcipitem, ac denuo volucrem factam superna

Moroſophi.

Microcoſmus.

Epicuri & Ariſtoxenis delirium.

Zoroaſter.

 repe-

repetere putauit. Talia multa fabulamenta hominis dignitatem obfuſcarunt, vt iam non ſit vlla conſcientia de hominis vita ludere, ſiue benè ſiue malè res eueniat, vtrumq; enim (vt ioculari) dicunt) eſt *Genitiui caſus*, ego verò *Ablatiui* dixerim.

Cogitet ac penſitet quiſpiam hominis dignitatem ac ſublimem excellentiam quam illi pſeudomedici omni viſu deſtruere ſattagunt, cum tamen Dominus DEVS ipſemet hominē inter creaturas, quæ ſub cœlo ſunt honoratiſſimum eſſe voluerit, proindeque in vniuerſi creatione ab imperfecto ad perfectum progreſſus, hominem vltimò condidit, qui omnium operum perfectiſſimus, eum corporis, tum animi dignitate omnia animalia antecellat, terrenarum rerum Rex quidam ac Præſul. In hoc cœleſtia & terreſtria DEVS collocauit, vt in illo ſolo, tanquam in parua quadā mappa totus mundus depictus contineretur, hunc igitur rectè veteres μικρόκοσμον ſeu paruum mundum, Germani vero die kleine Welt dixerunt. Ineſt enim homini ſpiritus totus in toto, & totus in qualibet parte, cuncta agitās, bini oculi duo luminaria cœli repræſentant, quæ profutura nocituraque dijudicent. Spiramenta & anhelitus ventorum diuerſos flatus iudicant. Stomachus fœdere quodam cerebro iunctus producit tonitrua, ſubuerſiones,

Homo totū mundum repraſentat.

ructus,

ictus, & intempestiuos quandoque imbres, quæ gutta & calculo dirisque tumoribus verterant. Habet homo ossa quemadmodũ terra lapides, qui tamen ex hominibus multo cruciatu exscinduntur aut vi medicamentorum pulsi excluduntur. Ouidius lapides ossibus assimilauit cum scripsit.

Magna parens terra est, lapides in corpore terra
Ossa reor dici. ——————

Sunt in homine valles montesque syluis vestitæ, etenim

—————— *barba comaq;*
In syluas abeunt, iuga sunt humeriq; manusq;
Quod caput est hominis terra, est in monte cacumen.

Homini inest mare in pericordio, & circa cor, vbi flumina confluunt, ibique Euripus ille seu fluxus & refluxus: Super aquas spiritus Domini primitùs ferebatur, & spiritus hominis iussu DEI in sanguine habitat, & sicut semina in terram iacta, aqua & pluuijs rigantur, sic concepti fætus sanguine fouentur, habet homo motum & quietem, prout in magno mundo motus & quietes eueniunt, dicente Ouidio

Otia terra ferax, otia pontus habet.

Atque si hominem arcem quasi diuinam,

quam doctis ac pijs Medicis Dominus DEV
custodiendam tradidit, sine vlla vel conscien
tia vel culpa, sine omni arte, sola porro teme
ritate, aggredi ac destruere non verentur, cum
his annis, vel nostro hoc sæculo, Veredarij
Muliones, Ergastularij, Cinerarij calamistri
capillos vibrantes, Pilicrepi crines forficulari
strepitu truncantes, Chironomi, Petauristæ
Gesticulatores Grallatores so auff Stelzen
gehen/Pyrrhicharij, Laruati, & vt in summa
dicam meri deceptores, qui pereunte ægro (s
modo lucrum adsit) rident ac sibimet de ma
lefactis gratulantur, *homines homini lupi effe*
cti Medicinam tractant. Hæc est illa calami
tas propter quã & homines, & Medicina ho
minum conseruatrix despicitur, & in cõtem
ptum simul abeunt cuncta, quæ à summo re
rum omnium artifice Deo Opt. Max. sunt in
salutem, sanitatem, iucundam ac tranquillam
vitam creata ac condita. Atque hîc me Medi
cina lugens calamum abripere & scriptionem
iubet sistere, vel inhibere, cum iã hac in parte
actum de se putet, & literæ ad exprimendos
vel patefaciendos, explanandos, aut satis ma
nifestandos hos errores & piacula non
sufficiant, igitur de-
fine.

Medicina Calamitas.

CA

CAPVT IV.

Medicina luget, se stabilem ac firmam mutabili Fortunæ aut Fati incertis euentibus stulta mortalium opinione subiici.

MEDICINAM hominibus pro firmanda non solum corporis salute ac incolumitate, verùm etiam pro eadem si amissa fuerit recuperanda, à Deo donorum optimorum & datorum omnium perfectorum largitore munificentissimè impertitam, stolidũ ac insanum forsan, vel alioquin delirio quodam prægnans vulgus in fati penitùs inconstantis & fortunæ mutabilis varios ac incertos errores perperã transduxit, medicamenta subiecto ad operationem suscipiendã disposito ritè ac decenter applicata modò hunc, modò illum effectũ producere posse ignorãs. Plebeiorum igitur quãplurimi necessitati, casui, fortunæ & fato cuncta adscribenda, cuncta concedenda, ac singula credenda esse sunt arbitrati, in eũ forsan errorẽ abducti, quod priscos philosophos quorum placita ipsi minimè intelle-

Plebs fortunæ, casui ac fato pleraq; adscribit.

intellexerunt, magni hæc ſemper feciſſe cognouerint. Etenim Thales neceſſitatem validiſſimam eſſe dixit, eò quod vniuerſo dominetur; vndè Pythagoras neceſſitatem mundo incubare credidit, cuius eſſentiam Empedocles arbitratus fuit cauſam eſſe principijs ac elementis vtentem. Heraclitus neceſſitatem, & fatum quo cuncta eueniant, vnum & idem eſſe dixit, fatumque rationem ſubſtantiam vniuerſi permeantem eſſe definiuit. Chryſippus fatum, vim eſſe putauit ordine cuncta gubernantem, ſeu legem, per quam vniuerſa regantur, aut rationem quandam, per quam orta nata ſunt, naſcentia oriuntur, ac oritura naſcentur. Vndè Stoici Platonem (qui, licet in hominum animis & vita fatum conſtituat, ei tamen libertatem noſtram adiungit) hac in parte ſecuti, fatum cauſarum ſeriem, eorum porrò aliqui, nexum intranſgreſſibilem eſſe dixerunt. Poſidonius verò tantum fato tribuit, vt ipſum tertium à Ioue ſtatuerit, ita vt primas haberet Iupiter, ſecundas natura, tertias fatum: quomodo etiam Anaxagoras fortunam cauſam eſſe quam humanus diſcurſus aſſequi non poſſit, opinatus eſt.

Neceſſitas.

Fati & neceſſitatis eadem natura & priſci opinati ſunt.

Quare reperti ſunt neſcio qua fortuna infortunati quidam infidæ ac incertæ fortunæ procuratores & œconomi, qui in morbis omnia fortunæ committenda ſuaſerunt, & qui, ſi quis

Infortunati fortunæ infidæ procuratores.

quis Domino Deo cumprimis adſpirante, multo labore, Medico ac ſtrenuo remediorũ debitorum vſu conualuit, & à grauiſſimo vitæ periculo immunis euaſit, eundem non artis Medicæ ope ac dexteritate ſanitati reſtitutum, ſed fortuna & ſua ſponte à morbo quo premebatur liberatum eſſe, dicere non erubuerunt, atque ſic Medicinam ſua laude iniutè priuantes, eam fortunæ legibus ſubiacere vel ſtolida opinione obſeſſi credidêre vel maledicendi ſtudio, ac maleuolentiæ & inuidiæ liuorisque ſtimulis incitati ad imminuendam Medicinæ gloriam hoc ipſum in vulgus ſparſerunt. Quod malefactum occultè ſic tangit Boëtius lib. de Conſol. Philoſ. inquiens. *At verò hic etiam noſtris malis cumulus accedit, quod æſtimatio plurimorum, non rerum merita, ſed fortunæ ſpectat euentum.* Sic autem cum Medicina non raro agitur, quando ea ob hominum ſalutem ad extremum vſque defeſſa nihil præſtitiſſe, omnia verò ſic caſu & fortuna putantur. Sed audi quæſo, quàm accuratè ſtolidam hanc & inſanam opinionem Hippoc. ad finem libri de locis in Hom. his verbis depreſſerit. *Medica quidem ars Medicinaúe, tota mihi videtur eſſe comperta & demonſtrata, quæ ſic habet. Singula vti conſuetudinum genera, tempora, temporum occaſiones & opportunitates ſciat, doceatq́; nam qui Medicam ar-*

tem sic sciet, minimè fortunam vel eius opē morabitur, quin imò cum ea, & sine benè faciet. Medica enim ars tota constat, procedit & comparet pulcherrimis inuentis sophismatisúe in ea compositis constantibusq́, minimumq́ opis fortunæ eget, siquidem fortuna sibiipsi satis est, sufficit & imperat, nulliusq́ imperio subiacet, precibusq́ eam adire, vel placare non est. Et paulò post ait. *Deindè quanam in parte Medica ars fortunæ eget? siquidem medicamenta morborū potiuntur, clarum siquidem esse reor medicamentis morbos sanari, nihilq́ in ea re fortunam morari, siquidem medicamenta sunt. Sin autem cum fortuna dādo prosunt, nihil magis medicamina, quàm ea quæ medicamina non sunt, sanum faciunt sanantúe, si cum fortuna in morbis porrigantur.* Fortunam autem in benè factis collocat sapientissimus Hippoc. vt qui ritè ac secundum decentiam seu debitum egerit bonam, qui secùs, malam fortunam sit habiturus, vndè eo in loco mox subiungit. *Nam ij soli mihi videntur secundam, vel aduersam fortunā nancisci, qui benè, vel malè quid sciunt, vel faciunt. Nam aduersam fortunam nancisci est, cum quis quod nescit non benè facit, nam cū quis ignarus est & rudis, quonam pacto secundam fortunam nanciscatur, tametsi aliquatenùs consequatur?* Euenit enim, vt vbi artificiosi studij ac sapientiæ diligens est habita ratio, ibidem

Hippocratis de Fortuna opinio.

bidem vtplurimùm boni quoque rerum suc-
cessus ac euentus expectari meritò & possint,
& debeant, quidquid Iuuenalis carmine vsi
sycophantæ reclament,

Nullum numen abest si sit prudentia, sed te
Nos facimus, Fortuna, Deam cœloq; locamus. *Iuuenalis.*

Sunt autem hi non alia de causa fortunæ
tanti æstimatores ac patroni, quàm ut si quid
casu benè cecidit, lucrum ipsi ferant & glo-
riam, sin malè, maledictis infortunatam suã
fortunatã lacessent: atq; hoc est homines in
grauissimũ nõ fortunæ sed infortunij pelagus
deturbare, & à cæco coloris discrimẽ quærere
cùm fortunæ nil sit iudicij, sed temerè cuncta,
prout contingunt, ab ipsa sine ulla vllius iusti-
tiæ dignotione vel expectanda sint, vel exci-
pienda. Vndè Plutarchus Fortunã malo certa-
minũ præsidi similẽ esse dixit, qui sæpè coro-
nat illos qui non vicerunt. Fluxit à gentilitate
mos hic, ut quæ à Dei cognitiõe aliena incer-
tis fati ac fortunæ casibus sese dedidit, cũ ta-
men tantum ars à fortuna differat, quatum à
tẽeritate ratio est aliẽa. Quod si fortũa, ut Ari-
stoteles vvlt, cerni ac obseruari nõ potest nisi
in ijs qui electiuè agere possũt, quibusq; actio
libera competit, ars fine suo rarò frustrabitur,
quẽ cas⁹ vix vnquã assequetur, licet multa ca-
su fiãt, quæ data opera nũqã cõtigissẽt. Et licet
Factum fuerit, ut eos, quos ratio restituere

nequi-

nequiuit, temeritas adiuuerit, prout Celſus lib.3.cap.1.& 9. innuit, ſciendum tamen vno per temeritatem emergente centum dehiſcere, & nec eam quidem temeritatem ſua ratione carere, fortunæ incerto euentui minimè vel adſcribendam, vel imputandam, multò minùs ſubiugandam. Eiuſmodi autem calumniatores tempore ſupradicti Hippocr. extitiſſe apparet ex eiuſdem libello quem de Arte inſcripſit, vbi hæc verba profert. *Eos, qui morbos euadunt, fortunâ, non arte euaſiſſe ferunt. Ego autem ipſe fortunam penitùs non priuabo, nam morbos malè curatos malam & aduerſam fortunam nanciſci puto. Deindè qui poſſunt in his qui ſanantur quid aliud cauſari quàm artem? ſiquidem eâ vtentes, ac ei obtemperantes ſani facti ſunt.* Et paulò poſt ait. *Quare non eſt, quod eos conualuiſſe fortunæ acceptum ferant, ſed arti Medicæ. Cùm enim ſeſe arti ipſi commiſerunt & crediderunt, tunc eius formam figuramúe, ſiue ſpeciem ideamq́ue ſpectarunt & viderunt, perfectiq́ue operis vim nouerunt.* Fortunam igitur, quam indociles hi vel fruſtra exſpectant, vel cui ſeſe ſeruili demiſſione ſubiugales reddunt, & à qua non raró decipi eos neceſſe eſt, nihilominus tamen magna hominum pars ſequi videtur in tantas errorum calamitates prolapſa, vt propriam ſalutem inconſtanti, incertæ ac mutabili fortunæ committeret,

Hippocratis de fortuna in morbis ſententia.

mitteret, quam Lactantius lib. 3. de falsa sapiētia cap. 29. accidentium rerum subitum atque inopinatum euentum esse rectè dixit. Hanc hominum ineptiam fortunæ sese temerè credentium Sabellicus de subita mutatione fortunæ lib. 7. cap. 8. sic reprehendit. *Circumscribit sese tamen stulta mortalitas, prudentiamq́ reputat suam tanquam homo semper sapiat, præsertim in rebus subitis & inopinis, in quibus ne sapientes quidem satis sibi sapiunt.* Vndè Cicero rectè admonuit, non esse omnia committenda fortunæ, ne magnam in nos nimis habeat dominationem. Scimus autem ac certò constat, qualem nam hi, qui fortunæ sese credunt, Medicum sint habituri, nempè ignarum. Etenim (prout Diogenes Laërt. de vita & morib. philosoph. refert) interrogatus quondā Chilo, quid esset fortuna? respondit eam esse ignarum Medicum, vtpotè qui multos excæcet. Proindè rectissimè Hippoc. libr. de Elegantia, cuncta arti, non item fortunæ adscripsit inquiens: *Admiranda existimo artis inuenta, quod scilicet prudenter & rectè inuenta sunt, minimeq́ à fortuna pendent.*

Sabellicus de fortunæ inconstantia.

Chilonis Philosophi accuratū de fortuna responsum.

Ærumnosa insuper nullius disciplinæ capacis vulgi calamitas priori argumento confirmando suam quoque opem locandā censuit, vt sic glaber in pascuis equus alterum lamberet, proindeque maximam is sese contra Me-

dicam arcem machinam allaturum credidit, si multos absque vllo medicamine sanescere diceret. At verò huius opinionis sequaces prudentissimus Hippocrates in his quæ ad artem spectant, solus Medicinæ sufficiens, pro sua eruditione ac perspicacis ingenij valore dudũ, eorumq́; complures antequam nascerentur delusit, vt qui calumniã hanc moderno tempore vigentem ante viginti ferè sæcula excussam à Medica facultate, cui etiam tunc irrogabatur, propulsarit. Vndè in lib. de Arte sic scriptum reliquit. *Dicet certè hic qui contra dissserit, plurimos iam pridem nullis Medicis vsos conualuisse, quod non nego: nã mihi fieri potuisse videtur, vt hi qui nullis Medicis vterentur, in Medicinam incurrerent, non tamen quid rectum, & quid non rectum in ea inesset, viderent, præsertim si sese curantes in eam incurrissent, quã si Medicis vsi fuissent, nacti fuissent. Hocq́, tamen magnum argumentum est, artem esse & quidem magnam, cum appareat, & eam nõ putantes esse per eam esse seruatos, nam omninò necesse est languentes qui Medicis vsi non sunt, sese sanatos aliqua re scire & fateri quid vel faciendo, vel non faciendo. Nam aut inediâ aut satietate plenitateúe, vel plurimo potu, vel siti, vel balneis, vel illuuie, vel laboribus, vel quiete vel somno, vel vigilia, vel horum omnium perturbatione & permistione cum vsi fuissent conualue-*

Hippocrates fortunæ seruos refutat.

naluerunt, quidq; plurimum & iuuarit, & nocuerit, necesse est eos scire. Nam non omnis satis definitè cognoscere potest quæ iuuent, quæue lædant, si namq; qui ægrotauit, sciret laudare vel vituperare, siue cognoscere medicamenta cibarisq; per quæ cõualuit, hæc omnia Medicinæ artisue Medicæ esse inueniret, tamen si quæ prolata sunt vti prodessent, læserunt, testantur ea artem esse. Nam quæ profuerunt, quod ritè prolata sunt & data profuerunt, quæ verò læserunt, quod non ritè data sunt læserunt, nam vbi rectũ & nõ rectum locũ & terminum vtrumq; habet, quomodo hoc ars non erit? Quasi diceret neminem sine aliqua rerum enumeratarũ obseruatione vel proportione euasisse, alij enim laboribus, alij quiete, nonnulli spontaneis euacuationibus, sudoribus, aut sanguinis stillicidio; alij repletione, complures inedia vtentes sanitatem recuperarunt, contraria contrarijs pellentes, atque ex eiusdem Hippocratis doctrina suam medicationem licet inscij instituẽtes, qui Medicinam cum adiectionem & detractionẽ esse professus fuisset, repletionem inanitione tolli docuit & Thorexin seu vini potionem famã pellere, faciliusque esse potu repleri quam cibo rectissimè tradidit. Igitur qui sine medicamine morbos euasisse videntur, vtplurimum fortè Medicina sunt vsi; hæc enim non in pharmacorum exhibitione, sed in

rerum naturalium, non naturalium ac earum quæ præter naturam ſunt agnitione, & proba earundem vel ad hoc vel ad illud indiuiduum diſpoſitione & accommodatione conſiſtit, quomodo primitùs herbarum, radicū & fruticum aliorumq; pharmacorum viribus nondum cognitis ſola Clinice, quæ rectam victus rationem à iuuantibus & lædentibus deſumptam ægris præſcribebat, plurimum opis humano generi attuliſſe fuit credita, quam etiam eidem obedientes maximo ſuo commodo feliciter ſunt experti.

Ars Diateica itemq; Clinica.

Tandem etiam maleuolum vulgus calumnijs effutiendis plus magis addictum, cum nō omnes Medicorum ope vtentes ipſorumque fidei ac curæ ſeſe committentes reualeſcere, ſed multos quandoq; ſub eorum medicatione interire cerneret, id quod vel morbi malignitas, vel inobedientis ac non debitè obtemperantis ęgri peruicacia, aut mobilis nimiumque fragilis appetitus error, vel deniq; neglecta commodę medicationis opportunitas damni attulit, vel horum occaſione aut aſtantiū negligentia commiſſum eſt, id omne in Medicinam retorquere, eique tot hominum clades impudico ſanè commento adſcribere nō fuit veritum. Hęc autem conuitia eximia prudentia & multifaria rerum perſpicacitate præditus Hippocrates lib. de Arte ante aliquot ſæcula

cula doctè excussit sic scribens. *Qui autem in mortuorum calamitate artē tollunt & eleuant, miror quanam satis dignâ ratione moueantur, vti non potius hoc mortuorum intemperantiæ dedant quàm prudentiam exercentium Medicinam causentur & accusent, tanquam in Medicis tantùm insit non expedientia mandare, in languentibus verò non insit mandata præterire, quin imò verisimilius est languentes nolle & non posse Medicorum mandata exequi, quam Medicos non expedientia mandare. Nam qui sanâ mente sanoq́ corpore languentibus manus admouet, secum præsentia ac præterita reputat & cōsiderat, vti dicere possit cur langueant, & quæ abegerit. Languentes verò nec cur langueant, nec cur non langueant sciunt, nec ex præsentibus præteritisúe ventura prænoscunt, nec cur ea facere iubeantur, quæ Medici mandant. Præsentia quidem dolent, futurumq́ metuunt, sed tamen morbo pleni, cibariis vacui, potiùs ea captant quæ placent & morbum augent, quàm quæ salutem sanitatem úe parent, non quod mori cupiant, sed quia malum ferre nequeunt.* Quod idem prolixius eo in loco explicat vulgi maledicentis nequitiam redarguens, cuius petulantiam vel suo iam tempore expertus fuerat, vel posterioribus sæculis subuenturam præuidit. Dolendum sanè & plus quàm dolendū, artem Medicam tanta scientiarum & artium

Locus Hippoc.

Vulgi petulantia.

aggregatione ac concursu in hominum obsequium ac beneficentiam concinnatam conflatamq; tot lustrorum examinibus cõfirmatam, quam necessitas concepit, solertia peperit, aluit ratio, promouit vsus, longeque demùm experientia consummauit, nunc demũ consenescentem ac de mortalium genere iam propè emeritam tot tantisque ingratitudinis telis impeti, vt quæ publicæ plebis obuijs & amplexatricibus vlnis excipi meritò deberet, nunc in exilium & calamitatem agi videatur sese quidem benè faciente, alijs verò è contra malè dicentibus. Norint tamen omnes velim, longè facilius calumnias à maleuolis effundi, quàm ab insontibus retorqueri.

Medicinæ prosapia.

Igitur ab Ethnicis gentibus fortunæ (vti sibi videbatur) necessitas, insonti Medicinæ est irrogata, vt Deorum Dearumque turbam ab Aristotele derisam, paulò numerosiorem efficerent. Etenim Eusebius de Præpar. Euang. recenset, gentes Fortunam diuinum numen statuisse, coluisseque, quasi ei res humanas ad libitum versandi, ac ea quæ cæca, inconstantia, volubilia, ac nulla ratione gaudentia, concessisset earum opinio, quarum stultam fictionem, Plinius lib. 2. cap. 7. sic describit. *Inuenit sibi ipsi mortalitas numen, quò minus etiam plana esset de Deo coniectatio, & hæc* quidem Ethnicus, qui sortem infra omnipoten-

Ethnicorũ Vanicas.

Plinii locus de Fortuna.

tiæ Diuinæ poteſtatem locandam eſſe meritò cenſuit.

Impia hæc fuit priſcis temporibus nouercatio, quandoquidem ſola fortuna inuocata, DEVS negligebatur, vt qui humanarum rerum moderationem, incertæ fortunæ, ac fati titubantis euentibus commiſiſſet. Sunt tamen adhuc nonnulli adeo ſtupidi, vt fortunam à qua perſæpè eliſi ac in calamitates acti ſunt, nihilominus reuereantur, cum ſciant, fortunam quæ primo quidem amplexu iocatur, & blandè ſuos cultores excipit, tandem deſerere, quomodo Samium Polycratem tragico exitu peremptum, Beliſarium Romanorum decus ad mendicitatem orbatis oculis proiectum, Iulium Cæſarem, trecentarum gentium domitorem, qui quinquagies in pugnis vicerat, quinquieſque triumphauerat, Pompeium, Ciceronem, Mithridatem noſtrum tot regnis imperantem, imò & Alexandrum Magnum, à fortuna deluſos, omnibus his præter plures alios, fortunæ hanc inconſtantiam lamentabili experimento ſentientibus, à culmine ſuo deiectos cognouimus. Etenim.

Exempla quædam incertæ fortunæ.

Luſus fortunæ, variatur imagine Lunæ,
Creſcit, decreſcit, conſtans perſiſtere neſcit.

Namque vt habetur apud Boëtium.

Præcipitem mouet illa rotam, motusq́ue laborum,
Nulla quies claudis, nec sistunt otia motum
Hos premit, hos releuat, mox deijcit, erigit illos
Cogit & in varios hominem descendere casus.

Philosophi quid de fortunæ senserint.

Philosophi rectius de Fortuna sensêre, eam nulla definitione dignati, sed sui iuris esse permittentes, vndè Scaliger.

Fulminet, insultet, ludat, lasciuiat, erret,
Sit Dea, nos illam nouimus esse nihil.

Quid igitur Fortuna nisi Diuina sit & ex præpotentis Dei largitione profecta Medico proderit, quæ facilius quandoque sternit ac præcipitat quam subleuet. Namque.

Vita hominum ludus fortunæ est, & miser error,
Inter pauperiem nauigat, inter opes.
Atque pilæ in morem nunc hos ad sydera tollit,
Elatos & nunc tartara ad ima trahit.

Ipsa enim.

Improba non nouit leges fortuna modumuê
Sed semper quo fert impetus, illa ruit.
Illa odit plerumque bonos, blanditur iniquis,
Et monstrat quæ sint robora stultitiæ.

Hinc

Hinc Ouid.in Epiſt.ad Liuiam.

Fortuna arbitriis tempus diſpenſat vbiq;,
Illa rapit iuuenes, corripit illa ſenes.
Quâq; ruit furibunda ruit, totumq́; per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Nihil autem contenti vel edocti forſan vt felicius viuerent antiqui, incertis fortunæ caſibus ſeſe crediderunt, quam tamen eorum quidam accidentium rerum ſubitum ac inopinatum euentum eſſe ſunt arbitrati, cuius incertitudinem perſtringens Plinius loco ſupra citato. *Toto inquit mundo, & locis omnibus, omnibusq́; horis, omniumq́; vocibus Fortuna ſola inuocatur, & vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & conuitiis colitur, volubilisq; à plerisq́; vero, & cæca exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorumq; fautrix, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium, ſola vtramq; paginam facit, ideoq; obnoxiæ ſumus ſortis, vt ſors ipſa pro Deo ſit quâ Deus probatur incertus.* Hæc Plin. lib. cit. Placet autem doctis & ſapientibus Plauti ſententia quam Pſeudolus recitauerat, fortunam nempe centum quidem doctorum hominum conſilia deuincere poſſe, ſed vt quiſq; fortuna vteretur, ita commodè ſua pro modeſtia euaſurum.

Priſcorum delirium.

Alter Plinii locus.

Plebs fortunam multi æstimat.

Plebs autem vanis euentibus fidem habens, huic facile ſalutem morborumque leuamina credidit, quod notauit Ouid. 6. Faſt. inquiens:

Plebs colit hanc quia qui poſuit de plebe fuiſſe
Fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.

Fortuna ſaltem inter Indigetes Deos Deasq; annumerata fuit.

Hic licet inter ſelectos Deos Ethnicis non numerata ſed inter Indigites adſcripta fuerit, ideoque plenos honores non meruerit, nihilominus tamen templa ei complura, antiquitas extruxit. Etenim ob reditum Auguſti Fortunæ reducis ara ſtructa eſt Romæ & Domitianus templum ei condidit. Vide Martial. lib. 8. Primam ei ædem Seruius Tullius extra vrbem ad Tiberim poſuit, quam Carnilius & Claudius Tiberius fouêrunt, colebant enim Fortunam vt Deam ij ſolùm, qui ſine aliqua arte viuebant. Vndè non ſpectat ad nos Medicos Diuiæ Fortunæ vicus, in Auentino ſitus, nec Plebeiæ fortunæ templum à Seruio conditum, nec Fortuna Muliebris, cui ob memoriam liberatæ ab obſidione C. Marij Cariolani vrbis, interceſſione Venturiæ & Volumniæ templum eſt conditum. Vide Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 8. ibidem eius ſimulachrum bis Latinè locutum fuiſſe fabulantur, qua de re Valer. Maxim. lib. 1. cap. 8. *Fortunæ*

Templa Fortunæ.

iam inquit muliebris ſimulachrum, quod eſt iâ Latinâ, ad quartum miliarium, eo tempore cum æde ſua conſecratum, quo Coriolanum ab excidio vrbis maternæ preces repulerunt, non ſemel ſed bis locutum conſtitit, his penè verbis.

Ridiculū mendacium.

Ritè me matronæ vidiſtis, ritèque dedicaſtis.

is enim Fortuna erat Parua, Primigenia Obſequens, Priuata, Publica, Viſcoſa, Maſcula, Barbata, Mammoſa, Sæia, Redux, Dia forſan Didïa, Equeſtris, ac tandem adeo varia, vt Fortuna, Fortunæ, multo minus Medicus ei fide e audeat.

Variæ Fortunæ earumq; nomina.

Hæc eſt illa fabuloſa fortunæ fama, cuius occaſione tot Dij Deæûe ſunt ab ethnicis fa-orefactæ, quarum inopinam, & inopem au-ctoritatem ac munerum, incertæ fortunæ caſus adauxit, etenim à numeris, quoniam hæc ijs præeſſe credebatur digreſſi Febri ædem in Palatio poſuerunt, Edulicam & Potinam cōuiuijs præficientes, Feſſoniam hominum vſui accommodatam, Palloniam ad hoſtes arcen-dos informiter informatam, Agenoram, Strenuam, Stimulam, ad opera excitanda edoctas, cum ad morbos ponerent Angenoram, Proſam, Poſtuertam, Sentiam, Orbonam, & Carmentam fatis dicatam, prout Camænæ cantibus erant addictæ, paupertati & for-

Turba Fortunarum.

& fortunæ ſacra facientes, & Fluoniæ de qu
videndus D. D. Hieron. Mercurial. menſtru
dicantes.

Itaque Medici præ tanta tot Deorum Dea
rumque turba ac multitudine paucos ægro
viſi ſunt ſubleuaſſe, cum fato vel fortuna re
hominum cecidiſſe complures priſci cogita
rent, cuius opinionis nutricatu ſuborta hæ
calamitas, ſuo ſibi more blandiens, vt obſte
tricatus ſui præſidia, omni ratione deſtituta
non vnquam abſoluerit.

Fortuna à Deo petenda.

Nos verò Rationales Medici, Diuinæ cle
mentiæ & conſolationis diſpenſatores & mi
niſtri, fortunam ſi quæ obtingit non recuſa
mus, ei autem ſacra facere nunquam ſtude
mus. Fortunam enim à Domino Deo peten
dam eſſe, fide Chriſtiana cognouimus & edo
cti ſumus.

Ariſt. de Fortuna opinio.

Quod ſi Ariſtot. in Metaph. hoc cognou
cur non nos magè Medici qui artem tracta
mus. Ait autem Ariſt. *Experientia rationi iun
cta artem efficit, imperitia verò caſum, quem
fortunam dicere queas.* Hinc idem Ariſt. For
tunæ nihil vel parum tribuens, ait, ***vbi plur
mum eſt mentis & rationis, ibi minimum e
fortunæ, vbi vero plurimum fortunæ, ibi min
mum eſt mentis, & rationis.*** Proindè Plato i
Gorgia, peritiam efficere vt vita noſtra per
artem incedat, imperitiam verò in cauſa eſſ

vt e

eadem per fortunam temerè circumuagetur, rectè docuit.

Nulli autem Medicorum desiderabilis esse debet fortunæ præsentia nisi quæ à Deo impetratur, quanto enim maior fortunæ externæ portio, ab eam colentibus expetitur, & expectatur, tantum ijs ingenij deesse credendũ, eosque tanto imperitiores esse est existimandum. Itaque Aulicis cristatis qui quouis vento voluuntur fortunam relinquentes, fortunam felicitatem, prosperitatemque à Domino Deo petamus sine cuius ope nulli sumus. Etenim vt Heurn. ait

Deus fortunam præstat.

Ni Deus adfuerit viresq́ infuderit herbis
Quid quæso Dictamnus quid Panacæa iuuent.

Namque

Vna salus ægris non desperare salutem.
Vna salus nullam absq́ Deo sperare salutem.

Tu igitur Domine DEVS fortunam nobis largire, & prosperitatem omnem nostris adijce laboribus, vt cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cæpta finiatur, per IESVM CHRISTVM filium tuum Dominum nostrum, cui vna cum Spiritu Sancto viuenti & regenti in sæcula sæculorum, omnis meritò & rectè fortunata fortuna debetur, defertur ac adscribitur, præsertim

IESVS prosperator est.

tîm

tim verò Medica, quæ ad vitam prorogand[illegible] dolores leuandos, sanitatem præstandam, [illegible] graues calamitates tollendas pertinet, quam que pij Medici, pleno voto obnixè rogantes te summo bonorum omnium largitore expe[illegible] tunt, & de tua diuiti bonitate confisi, humi[illegible] limè exoptant.

CAPVT V.

Medicina luget, se variis fluctibus a gitatam nunc in littore de naufragio periclitari.

INter eas ciuitates quæ vel amplitudine, v[illegible] ædificiorum magnificentia, vel gentis fa[illegible] mositate, aut denique populoso ciuium nu[illegible] mero aliorumq; incolarũ multitudine quon dam claruerunt, Ægyptias Thebas primum ferè locum tenuisse ex Homeri 1. Iliad. vers[illegible] bus ab Hesso in Latinum conuersis collige[illegible] licet, quam vrbem ille sic describit.

Medicinã inter artes primum locum obtinuisse, qui quondam inter ciuitates Thebis adscribebatur.

Aut etiam veteres Ægyptia mœnia Thebas,
Vrbem diuitiis celebrem, quam limina centu[illegible]
Portarum claudunt, per quarũ quamlibet vi[illegible]
Agmina sapè viri bello pulcherrima ducunt,
Curribus instructi rapidis & equestrib. arm[illegible]

Ea tamen tot tamq; diuersis temporum & aduersæ fortunæ casibus diu multumque obuoluta tandem perijt, & amissa ea celebritate (per quam toti orbi innotuerat) pessundata, splendorem, diuitias, famam, nomen ac celsitudinem omnem perdidit, vndè quoq; apud gentes amplissimæ eius gloriæ, decor euiluit; de cuius ruina ac excidio sic Iuuenalis:

Atq; vetus Thebe centum iacet obruta portis.

Talis, talis, inquam, olim Medicina fuit, quæ non vti ante Hippocratem erronea sede vagabatur, sed post hunc firmis pręceptionibus, fidis experimentis ac veris approbationibus splendidè exornata ita florebat, vt omniũ oculos perstringens cunctos in extremam sui admirationem raperet. Hæc enim quondã vniuersi mundi decus habita est, ac cæteris artibus instar gemmę pręfulsit. Vndè vel Barbari & nullius doctrinæ aut disciplinæ capaces populi illius splendore ac venustate illecti, eã non solùm suspexerunt, sed etiã quodammodo mansuefacti, impensiùs expetiuerunt, & in amorem eius penitùs abrepti plenis vlnis exceptam amplexati sunt.

Medicina à tempore Hippocratis ad Galeni vsq; sæcula celebris extitit.

Veruntamen ab isto suo decore & ornatu Medicina paulò post desciuit, posteaquam enim Seth filius Adami, diuersarũ scientiarum traditiones (quarũ is post lapsum parentis nõ quidẽ syncerã, sed tantũ adumbratã & rudẽ, ac pec-

Seth filius Adami.

ac peccati culpa multis obſcuritatibus inuo-lutam cognitionem à parente retinuit) accepiſſet, eaſque ſuo labore & aſſiduis contemplationibus ampliùs excoluiſſet, paternas illas artes poſteros deindè docuit, qui, cum ab Adamo huius mundi fabricam vel aquarum inundatione, vel omnia depaſcentis ignis incendio quandoque deletum iri intellexiſſent, ne iam inuentarum cognitarumque artium doctrina inſimul interiret ac ex omni mortalium memoria decederet, earum axiomata hieroglyphicis literis animalium figuras repræſentantibus expreſſa, & duabus columnis (quarum vna ex lapidibus vt aquæ, altera ex latere coctili vt igni obſiſtere poſſet) inſculpta, in poſterûm vtilitatem conſignarunt; quamuis eas in Syria ab ipſo Seth præfato extructas eſſe creditum ſit, vt ex Ioſepho, lib. 1. Antiquit. Iudaicarum cap. 2. liquet.

Hieroglyphica.

Columnæ Ægypti.

Morem hunc imitati Chaldæi atque Ægyptij, auitæ ſtirpis monumenta taliter memoriæ mandata in poſteros transfuderunt. Vndè Epigenes apud Babylonios 720. annorũ obſeruationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas eſſe tradidit, prout etiam Democritũ de ſacris literis in Babylone librum ſcripſiſſe legimus. Hos Græci ſubſecuti, ſuas artes ac experientias templorum columnis incîſas ab interitu & obliuione vindicarunt, quas olim

Ægy-

Ægyptij ſacerdotes in Epheſtij Vulcani delubro, Argolici verò in Æſculapij æde tanquam donaria Dijs dicata, accuratè reconditas aſſeruare ſoliti ſunt. Sed poſtea Æſculapio (eò quod Hippolytum ab equis diſcerptum ad vitam reuocaſſet) Iouiali fulmine percuſſo, Medicina non parum detrimenti paſſa eſt. Eius obitum Virgil. lib. 7. Æneid. ſic deſcribit.

Epheſtii Vulcani delubrum.

Æſculapii interitus.

Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad limina ſurgere vitæ:
Ipſe repertorem Medicinæ, talis & artis
Fulmine Phœbigenam ſtygias detruſit ad vmbras.

Etenim hoc duce Medicina deſtituta, & columnis hanc artem continentibus partim vetuſtate corruptis, partim collapſis ferè penitus interijt, ita vt vix vmbræ ſuperſtites remanſerint. Vndè Medicina non ſecùs quàm in exilio degens quingentos penè annos ærumnosè traduxit, & varijs calamitatibus preſſa eousq; delituit, dum ad Artaxerxis Perſarum Regis ætatem deuoluta, circa Olympiad. 86. tempore Peloponneſiaci belli ab Hippocrate rursùs in lucem reuocata propemodùm reuiuiſceret, hac de re Iſidorus lib. 4. Etym. cap. 3. à tempore Æſculapij interciſam fuiſſe Medicinam ſcribit, *interdicta* (enim inquit) *fertur*

medendi cura & ars ſimul cum auctore defecit latuitq; per annos penè quingentos vſq; ad tempus Artaxerxis Regis Perſarum, tunc eam reuocauit ad lucem Hippocrates.

Ægyptii primi Medici.

Primi autem Ægyptij Medicinam coluerunt, vt quibus medicæ materiæ copia ob fertilis ſoli clementiam obtigit, vndè Homerus Odyſſ.8.

Fertilis Ægyptus rerum medicamina miſta,
Optima multa ſimul deterrima plurima ꝓfert.

Ægyptii Medicinā magicæ artis turpitudine fœdarunt.

Eam autem magiæ admiſtione in tantum defœdarunt, in quantum ſeſe illam per præſtigiatorias artes admirabilem reddituros ſperauerunt; & ſanè eouſq; magicarum diſciplinarum ſolemnitas adoleuit, vt tandem omnis ratio & poteſtas pharmacandi à carminibus & incantamentis pependiſſe viſa ſit, quanquā Aſtronomicas obſeruationes & legitima remedia nihilominùs vſurparent, vtpotè quorū vires ac energias plurimùm perſpectas haberent, & in phyſicis notionibus totam penè philoſophiam rimantes non parùm excellerent: quam etiam ad ſummum dignitatis & cognitionis gradum proculdubio illa ſua ætate euexiſſent, niſi à vera philoſophandi norma recedentes illicitarum, ſtolidarum & magicarum artium ſemitam fuiſſent ingreſſi, vndè verę philoſophię cultus, hominibus magis ad nequitias conuerſis, quàm veritatem i-

Prima Medicinæ labes.

pſam

pſam ſectantibus, non parum labis contraxit, ac plurimùm imminutus euiluit. Veruntamen philoſophia apud eos ita perſeuerabat, vt multa illegitimarum artiũ aſperſione polluta non natiuum ſuum decorem (quo hæc inter cæteras ſcientias exſplendeſcere ſolet) ſed ſordidulam faciem exhiberet, nihilominus tamen à ſciendi cupidioribus vehementer expetitam. Etenim ad hos Pythagoras, Plato, & Democritus Hippocrati familiaris diſcendi gratia profecti, ab ijs de varijs rebus & ſcientijs eruditi in Græciam reuerſi ſunt. Similiter etiam Menelaum vnà cum Helena poſt Troiæ excidium ad Polydamnam Thonidis Ægyptiorum Regis vxorem, Homero teſte, nauigaſſe legimus, à qua præſtantiſſimas quaſdam Antidotes & diuerſorum venenorũ alexipharmaca, quinimò nobile illud vinum Nepenthes mœroris ac luctus remedium accepit, eiuſq; parandi modum ab ipſa didicit: cuius item conſilio Helena Helenij vim aduerſus Pharici veneni perniciem edocta, Pharum Ægypti inſulam tutò perluſtrauit.

Menelaus Helena ac Polydamna.

Nepenthes.

Ars igitur ipſa medendi in Ægypto multis ſæculis quietè conſtitit, exindè verò cum à Moyſe, tum à filijs Iſrael in terram Chanaan delata, ibidem (ſicut in Ægypto) tamdiu perſeuerauit, donec per Scytharum è Caſpijs montibus prodeuntium, atque hinc

Medicina in Chanaan delata.

mutato postea nomine, Turcarum enatorum bella, & tumultus inquietata, concussa & disiecta, in Græciam vnà cum professoribus suis colonias suas commutantibus demigrare coacta est, atque ibi lugens consedit.

Virgil. 4. Georg.

Qualis populeâ mœrens philomela sub vmbrâ
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Obseruans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoq; sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.

Verùm pauxillo temporis interuallo cùm se post tot tantarumque calamitatum perpessiones recolligere cœpisset, Saracenoru, Persarumque impetu ac prælijs rursus è quieta sede deturbata in Arabiam concessit, ibiq; Hippocratis & Galeni præceptionum thesauros aperuit, quorum libros Arabes non modò sua lingua postmodùm donarunt, verùm etiam Medicinam inusitatis aut antea incognitis ac exoticis medicamentis plus magis locupletarunt: in quo sanè studio Auicenna, Rhases, Albumasar & Auerroës non parum excelluisse visi sunt. Hinc, quamuis seriùs à barbara gente digressa, ad Latinos profugit, & tandem à Ro-

Arabes à Græcis Medicinã mutuati eam excoluerunt.

à Romanis (quibus antea ob Græcorum & Ægyptiorum luxus ſuſpecta & exoſa erat) plenis vlnis acceptata eſt.

Medicinam autem Herbariam, quam ab Ægyptijs acceptam Democritus & Pythagoras integris voluminibus deſcripſerant, Valgius Romanus, & Pompeius Leneus Pompei Magni libertus, ex Mithridatis à Pompeio deuicti bibliotheca Romanis primùm exhibuerunt, è qua velut ſcaturigine poſterior medicamentorũ cognitio promanauit. Atqui poſtquam apud Latinos & Romanos tutam ſeſſionem nacta eſt (cùm eruditio ſit pacis comes, otijque ſocia, ac è contra pax artium alumna exiſtat) paulò poſt magnum incrementũ ſumpſit, & à poſteris ſciendi ſtudio accenſis varimodè exculta & perpolita, non ſecùs inter artes quâm illuſtre ſidus emicuit, vt iam omnem perfectionem ſe adeptam eſſe ſibi polliceri poſſe videretur: vndè etiam magnates & ampliſſimi viri amore eius capti, multo fauore & honore eam proſecuti ſunt. Sic vigente Romanorum imperio Medicina ingenti virtutum decore conſpicua non exilem honoris prærogatiuam meruit, & ſub Cæſaribus immenſo orbi cum admiratione omnium innotuit, peruenuſtæ ſuæ frontis nitorem poſito ærumnæ ſqualore cunctis ſuſpiciendum proponens. Arx igitur illa Medica tam celebris

Medicina ad Romanos deuenit.

Medicina apud Latinos locũ adepta.

Arx Medica.

longo dierum numero ac ſeculorum ſibi mutuò ſuccedentium ſerie fidis experimentis nõ aliter quàm fundamento innixa, atq; inſuper firmiſſimarum rationum munimentis velut columnis ſuffulta, tandem exædificata ſubſtitit: in cuius ſtructuram Ægyptij, Chaldæi, Arabes, Argiui & Latini omnem ſuam opem & operam contulerunt, in qua poſtmodùm perpoliendа longo tempore tam ſollicitè ac vigilanter laborarunt, vt nihil diligentiæ ad huius illuſtrationem prætermiſerint.

Veruntamen nec in hoc dignitatis gradu Medicina diu perſtitit, ſiquidem æmulatores nacta, qui aſtutias ſub veri ſpecie venundantes eam effectibus opus non ſubſequentibus paulatim vileſcere fecerunt, quibus varij generis impoſtorũ cohors ſeſe aſſocians famam eius non parum imminuit. Etenim priſca illa ætas magicarum artium admiſtione hanc fœdiſſimè deturpauit: poſterior verò ad auguria extiſpicia, vaticinationes ſuperſtitioneſque prolapſa, à vero medendi tramite plurimùm declinauit. Nonnulli præſertim recentiores, nimirũ accuratæ ſiderũ attentioni dediti, prętermiſſa vera medẽdi occaſione, quæ præceps eſt & lubrica, fauſtos ſtellarũ ac ſiderũ poſitus præſtolati, eo bono (quod per Medicinæ vſum præſtari & cõparari potuiſſet) ſeipſos ſpoliarunt. Plurimi dum nouã medicandi methodũ

Errores in Medicinã introducti.

Aſtrologi.

ſeſe

ſeſe reperturos, aut iam adinuentã ſectaturos minarentur ideoq; tutam medendi ſemitã deſererent, nouam ſubindè eamq; oſtentatione magis plauſibilẽ quàm re ipſa ſecurã ingreſſi, in varios difficultatum labyrinthos, imò etiam in mortis non raró foueas inciderunt, ac manifeſtis periculis ſe vltrò credentes in maximis calamitatũ tenebris tamdiu oberrarunt, donec tandem fœdè impingentes ad primam illam & benignam matrem Medicinã ab Hippocrate & Galeno eorumq; ſectatoribus traditam reuerterentur, auxiliumq; ab ea peterent, extra quam nulla ſalus corporalis ſecundùm naturam conferri poteſt, niſi DEVS Opt. Max. extraordinariè, miraculosèque agere vt poteſt voluerit. Nihilominus tamen ſi quid intereà delictum eſt, id omne Medicinæ imperfectioni vulgi nequitia aſcribere auſa eſt inſontem Medicinam accuſans, quam ea ipſa propria malitia turpiter contaminauit, innocentiamque criminis illius inſimulans, quod inſulſorum hominum vel noua opinione turgentium, aut aliena via digredientium error commiſit, vel culpa patrauit, ſiue inſcitia, faſtus & temeritatis parturiens mater infauſto omine in hoc ſæculum emiſit. Hinc etiam vetulæ, mulieres, agirtæ, populares chymici, ſtelliones, Empirici, apoſtatæ, Clinicæ edentulæ, infanticidæ, nauicularij, aurifices,

Nouatores.

Delicta Medicinæ imputata.

ſtabularij, cerdones, aurigæ, fullones, ſagæ de Polyandrijs nuper egreſſæ, veterinarij, ſcurræ, muliones, lanij, carnifices, Hebræi, circulatores, monſtrifici præſtigiatores, clancularij ſubreptores, concuſſores exactoresque, iactabundi Thraſones, partuum abactores, funambuli, circumforanei, & vniuerſa delirantium caterua paulò ſupra deſcripta errores ſuos Medicinæ integritate velauit, eiusq; innocentia veſtiuit, ac culpas ſuas obtexit, vt hi omnium optimè, Medicina autem (quam illi inertem & fallacem exhibebant) omniũ peſſimè de humano genere merita videri potuerit. Nec defuit interim maleuolorum ingens aceruus qui detractiones & cõtumelias in Medicinam effundentes, eius vſum populo diſſuadere, ac vulgi mentes ab hac alienare attentarunt. Et licet Medicina iniquiſſimos aduerſæ fortunæ inſultus ſemper animosè contempſerit ac demùm fortiter ſuperarit, factum tamen eſt, vt plurimum inde laudis amiſerit: quæ cum nonnihil deficere & attenuari videbatur, ita vt imminuta laude ſtudium, & hoc neglecto ars ipſa multum elanguiſſe viſa ſit, poſteritas tamen gloriæ pluſquàm cupidiſſima cum nouos exinde honores & præmia ſperaret nouo quodam niſu & maiore quàm priùs ſedulitate animum rurſus eidem applicuit.

Medicina facta grauis iniuria.

Medicina rurſus ſe recolligit.

Gaude-

Gaudebat iam Medicina ſe tutum receptaculum adeptam eſſe, ac de benè merendi occaſione ſibi ipſi quodammodo gratulabatur, veruntamen liuor edax & inſatiabilis illa fameſcentis inuidiæ vorago cuncta maleuolo dente corrodens, Medicinam quoque inuiolatam abire non paſſa eſt, ſed violento morſu nonnihil attriuit, donec hæc ſubſequentium ſæculorum induſtria ex illius faucibus rurſus erepta, & in quantum fieri potuit redintegrata priſtinæ dignitati reſtituta eſt.

Inuidia vorago.

Itaque Medicina tot calamitatibus defeſſa, tot ærumnis exercita, tot aduerſitatibus agitata, tot tantiſque periculis concuſſa, tot itinerum moleſtijs delaſſata, tot denique ſcyllas & charybdes pręteruecta ferè vſque ad noſtra hæc tempora peregrinationis ſuæ decurſum abſoluit. Et iam verò conſeneſcens, cum à faſtidijs ſibi tandem quieſcendum putaret, fatigationi apotherapiam ac virium refectionem ſubſecuturam ſperans, grauiora pericula maioreſque labores in dies ſubire cogitur, vndè in ipſo littore (ad quod tutò appellere nitebatur) in varios difficultatum ſcopulos nunc primùm impegit, & à procellis ingratitudinis in medium turbationis pelagus de portu reiecta eſt. Vndè ea meritò lamentabilem huius ſæculi ſtatum ac temporum calamitatem luget, atque inſuper de huius æui ingratitudine

Medicina ſenex effecta.

Medicina calamitas.

conquerit ur Baptistæ Mantuani Poetæ lib. 2. de Calam. tempor. verbis vsa.

Post igitur tantorum operum experimenta fidemq́;
Deseror ignotis errans ingloria campis.
O verè ingrata & meritorum oblita meorum
Sæcula, nec prisca quidquam seruantia laudis.
Ah genus ingratum, fera gens, ignobile semen,
Degeneres animæ: mores imitata ferarum
Progenies, tali proles indigna parente.

Vt quam Deus Opt. Max. in solatium ac societatem hominibus datam, eorundemq́ue commodis plurimum seruituram condiderit, cum (vt Poëta ait)

Vltra immortales animos superadderet artem
Ornamentum ingens, sociam quoq́; traderet ipsam.

atque etiam

Quæ quacunq; potest non desinit arte mederi.

Medicinæ quærimonia.

O cor mundi adamante durius, ô dirum pectus, eò enim nunc res deuenit, vt moderni sęculi homines à Medicina acceptorum beneficiorum immemores eam scientiam (quã suspicere ac impensiùs venerari meritò debe-

rent)

rent) ſtulto inſtinctu deſpiciant, negligant & reijciant. Quidam enim eorum Medicinam iam ſenio deliram nullius vtilitatis aut vſus ampliùs eſſe exiſtimantes, penitùs repudiandam cenſent: atque hi quidem M. Portio Catoni non diſſimiles eſſe videntur, qui ſeruos ſenio confectos more brutorum domo eijcere ac venales exponere non dubitauit.

Mortalium in Medicam facultatem impietas.

Sic igitur Medicinam per ſe nihil poſſe nihilq́ue valere ſtolidiſſimi hi mortalium commenti ſunt, & falſum vero anteponentes cõmentitias illas & diabolicas magiæ, incantationum, ſubſannationum aliarumq; nugarũ delirationes pluris ęſtimarunt quàm artẽ tam longam, tamq́; difficili iudicio & ardua *Naturalium, Innaturalium ac Præter naturam* accidentium rerum cognitione conſtantẽ. Vndè quoties hæc inter cæteras artes exſplendeſcens toti orbi lumen allatura eſſe videbatur, mox iniquus ęui liuor nitorẽ illum tetra errorũ nouarumq́; ineptiarũ caligine infuſcauit, & tã obſcura perſæpe inſcitiæ nube obtexit, vt vix aliqui philoſophiæ ac purioris medicæ doctrinæ igniculi has tenebras ſubindè permeantes emicuerint; hinc toties Medicina recidiuam paſſa à primis quaſi primordijs ſe recolligere ac nouam ſemper arcem rurſus extruere hucuſq́ue coacta fuit , ex qua pro veritate & excellentia contra temulenti

mundi

mundi dementiam & ruditatem firmiter decertaret.

Medicæ familiæ clades.

Et licet ipſa Medicina per ſe vera, inconcuſſa ſemper perſtiterit, attamen familiæ ſuæ innumeras clades queribunda vberibus lacrymis & acerbo gemitu ſæpius planxit: ſiquidem ij qui ab illa temerè defecerunt, non ſolùm magnam mortalium ſtragem ac cæde͂ ediderunt, ſed etiam ſeipſos proprijs gladijs confoſſos exanimarunt.

Medicina licet tot tantisq; aduerſitatibus afflicta fuerit, superſtes tamen ac integra permanſit.

Stupenda proindè & admiratione digniſſima res eſt, cùm Medicina à tam multis ſæculis tot aduerſitatum impetus ac turbines ſuſtinuerit, & toties colonias ac ſedes ſuas maximo rerum ſuarum diſpendio mutare, imò toties & tamdiu in exilio degere compulſa fuerit, quî fieri queat, vt vel vnicum eius germen adhuc ſuperſtes reperiri poſſit; exindè non iniquè miraretur quiſpiam nullam omnium artium (quamuis teſte Plinio hac nulla fruticoſior exiſtat) frequentiùs mutatam, vaſtatam, diſiectam ac intercisam fuiſſe, vires tamen ſuas rurſus recollegiſſe, & ex tetris mũdanarum fluctuationum turbinibus in lucem rurſus emerſiſſe, ac ſpretis aduerſitatum minis ſuamet veritate contentam, caput denuò exeruiſſe: hæc enim haud aliter calamitatibus temporum reluctabatur, quàm ſaxum illud

Medicina eſt fruticoſa.

Virgi-

Virgilianum ſeu rupes æquorea 7. Æneid. his verſibus affabrè deſcripta.

Illa velut pelagi rupes immota reſiſtit.
Vt pelagi rupes magno veniente fragore,
Quæ ſeſe multis circumlatrantibus vndis
Mole tenet ſcopuli, necquicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, lateriq́ illiſa refunditur alga,

huic enim, vt Statius 9. Thebaid. innuit,

neq́ de cœlo metus & fracta æquora cedunt,
Stat cunctis immota minis, timet ipſe rigentem
Pontus, & ex alto miſeræ nouêre carinæ.

Etenim licet periclitari videatur, vt quæ ſit

Obuia ventorum furiis expoſtaq́ Ponto,
nihilominus tamen
Vim cunctam atq́ minas perfert cœliq́ marisq́,
Ipſa immota manet.

Medicinam autem veram, ſic ſemper firmam ac ſtabilem perſeueraſſe, & licet varimodè concuſſam perſiſtere potuiſſe, non niſi ſolidæ eius veritati, & ab omni vitiorum labe immunitati cui aduerſa fruſtra obſiſtunt, meritò adſcribendum putamus; etenim quantumuis tumidæ variarum impoſturarũ procellæ contra hanc exurrexerint & adhuc exurgant,

Medicinæ Veritas & inſontia.

urgant, easdem sæpius illisas in spumam abituras & propria confusione in semet refusas euanituras, ac vento quouis obuio agitatum iri quilibet obseruabit.

CAPVT VI.

Medicina luget, se vnam ac solam in varias sectas ac schismata & esse, & fuisse distractam.

POsteaquam immensus ille ac supremus rerum omniũ fabricator plasmatorq; Deus, in communem hominum vtilitatem ac emolumentum Medicinã è terra (vt Salomon inquit) procreasset, eamq; infinitis propemodũ miserijs subleuandis instituisset, non eius quidẽ vsum mortales protinus iniêre, vtpotè hãc ipsam tantisper vel omninò negligentes, vel alioquin seponentes ac seorsîm collocantes, donec ægritudinum, dolorum, & acerbitatũ calamitatis incidissent, quibus angariati diuinum hoc donum cælitus delapsum & plusquam benefica Dei largitione concessum tandẽ suspexêre, ad quod tanquã ad sacrã recurrentes anchoram, salutis, incolumitatis ac pristinæ prosperitatis recuperandæ auxilia petiuerunt. Quoniam verò thesaurus hic Medicinæ in naturæ penetralibus penitius abscondi-

Necessitas homines ad Medicinæ vsum adegit.

tus

tus hærebat, inque imis naturalis philoſophiæ viſceribus (ſi ſic loqui fas eſt) deliteſcebat, adeò vt ad eam difficilis planè via, & nõ niſi arduus pateret acceſſus, à ſenſibus, vtpotè propinquiori omninò notione, veteres ſuas curationes (vti quidem reor) ſunt auſpicati.

Primitùs igitur, quidnam huic vel illi affectui pellendo conuenire poſſet, attentantes, nulla artis ope aut regula directrice vſi, ſolis ſeſe experientijs credidêre, è quibus cũ in iuuantiũ & lædentium cognitionẽ incidiſſent, multa quidẽ vtiliter, plurima verò omni dubio procul pro cõditione hâc, vel illâ ſic vel aliter ſeſe habente, noxia cõperêre. E rudi hac planeq; cruda nulliſq; rationũ fulcris innixa cognitione ſcientiã aliquã, aut artẽ conflaſſe ſeſe cũ putaſſent, ſubeuntibus abhinc errorib. quãplurimis miſerabiliter perſæpè ſunt decepti. Ideoq; maius opinioni ſuæ ſtabilimentũ quærentes, rerũ medicarum naturas ac cõditiones plus magis ſcrutari cœperunt: & cum in abſcondito latentes qualitates quæ à potentia in actum progredi conſueuerunt, nondum agnoſcerent, miro ſanè ingenio externas rerum formas penſitantes multa ex his vtilia, ſed paulò durius, ac vulgari theoremate eruerunt. Itaque primas plantarum facies intuiti, quidquid in his, ijs morbis quibus ſeſe moleſtari ſenſerunt, ſimile comperêre, id

Experimẽtatores.

omne

Signaturæ rerum obseruata.

omne ad morbi illius quo cum medicaminis forma ſimilitudinem aliquam habere videbatur, traduxerunt, Deo Opt. Max. per rerum haſce formas extrinſecas quidnam huic, vel illi ægritudini auxilio eſſet futurum, indicante; vtpotè qui naturam in germinis fronte, præſidij, opis, ac medelæ characterem inſcribere quodammodo voluerit. Hos autem characteres, haſque formas ac expreſſiones, impreſſioneſque ſignaturas nominare ſunt ſoliti, vtpotè quarum ductu ſignatum, & in id transſiens operatio proderetur. Sic plurima rubeo colore tincta ſanguini ſiſtendo accommodata cenſuerunt: quomodo Tormentillæ, Biſtortæ, Pentaphylli & Acori paluſtris radices, Santalum rubrum, Bolum Armenum, Hæmatitem lapidem, Sardam ſeu Carneolum, Iaſpidem, Corallum rubrum & alia his ſimilia hæmorrhagijs opitulari per multa ſæcula didicimus. Quæ flauo colore prædita exiſtunt ad bilem directa noſcuntur: vnde Rhabarbarum præ reliquis eandem exterminat: Crocus verò, Geniſtæ flores, Chelidonia & Curcumæ radices Icteri remedia & ſunt, eſſe creduntur. Alba pituitam vtplurimum reſpiciunt, ſic Agaricus ac Turbith pituitam proliciunt. Nigra vt Helleborus niger, Polypodium & Myrobalani Indi atrambilē ſubducunt. Quas porrò plantas aculeis quibuſdam

Herbarũ, Radicum & Fruticum per exteriorē ſignaturā ſuis indagata.

dam armatas aut aliter dentatas natura produxit, eas ipsas ad laterum puncturas & Pleuritides pellendas multa hucusque ætas priorum sæculorum vestigijs insistens idoneas esse rectè existimauit; vndè ex Paliuro, Taraxacone Acatia, & Carduo vtroque ad iam dictas Pleuræ inflammationes & pũcturas rectè medicamina præparamus. Quod si verò vlterius attendas, nonnè Pulmonaria herba pulmones quorum vlceribus glutinandis hæc destinata est, repræsentat? Nonnè Chelidonium minus Apium hæmorrhoidarum dictum, radice mariscas ac cæcas dolorificasque hæmorrhoidas quibus proficua est, exprimit? Nonnè Vuularia linguam cui tumefactę adiũmento esse solet, forma æmulatur? Sic Vesicaria seu Halicacabus vesicam, Pistolochia ventriculum, Persicaria maculata ac quasi vlcerosa Cancros, Carcinomata & fœda respicit Vlcera, Arum punctatum seu maculosum Pestiferos bubones & sic deinceps, alia aliorum membrorum corporis, ad quæ determinationem aliquam, à primo sui ortu ipsaque adeò natura adepta sunt, formam gerere deprehenduntur, quorũ copiam contemplationi deditus facillimè obseruabit. Nec verò hæc friuolè & obseruata esse, & adhuc obseruari credendum est: voluit enim Deus ille noster vnicus tam benignus, vt homo in naturali rerum cognitione tantope-

Exempla signaturarum.

rè laborans, ac multo ſtrenuarum operarum, & ſedulitatum ſudore diffluens nonnihil (ſi modò ad hæc attenderet) ſubleuaretur, eique innuendo per hæc ad penitiores & magis reconditas vires penetrandi via quaſi monſtraretur ac pateſceret. Sed hęc extra centrum ſeu aream diximus, vt quomodo primitùs tanta difficultate è rerum formis ac ſimulacris earum virtutes fuerint erutæ, traderemus.

Caſus multa ad inuenit.

Hippopotamus.

Sunt autem & pręter hæc nonnulla fortuito caſu deprehenſa, quæ aucta deindè vſus frequẽtatione certitudinem aliquã adepta ſunt: nonnulla etiã auxilij ſimilitudine à brutis deſumpta. Sic cum Hippopotamũ plethorã corporis, ſanguiniſq; ſuperfluitatẽ ſauciatis affrictu ſpinarũ venis deponere atq; ita ſuæ valetudini conſulere mortales animaduertiſſent, eundẽ imitatióne quadã ſecuti venarum pertuſionẽ ſeu artẽ mittendi ſanguinis cõſtituerunt: cumq; ibidem auẽ ciconiæ perſimilem ventris grauati farcturã iniecta per roſtrũ inteſtinis muriâ eluere obſeruaſſent, clyſteris hi ac Enematũ vſum ſalubri inſtituto introduxerunt. Nec deſunt aliæ medicationũ ſpecies quas hominũ genus à brutis feriſque eſt mutuatũ: ſic Teſtudo Cunilam, qua ſeſe aduerſus Serpentes munit, hominibus Medicinam affectantibus oſtendit. Damæ ac Cerui Dictamnũ venenatis ſagittis perutilẽ monſtrarunr. Chelidoniã hirundines celebrẽ effecerunt. Accipi-

Ibis auis Enematũ vſum oſtendit.

tres hieraciũ, columbæ verbanã, Ciconia Origanum, Rutam mustela, Hederã apri, anguis Fœniculũ, cuius esu senectã non modo exuit, verum etiã oculorum obtusam ac hebetẽ aciẽ reficit. Merulæ, Palumbes, Graculi, Perdices Lauri folia reperêre quib. annuũ fastidiũ excutientes sese repurgant, & canes ad iram plus magis procliues, graminis esu bilẽ euomunt. Sues fluuiatiliũ cancrorũ pastu sibi medẽtur. Cerui serpentiũ esu virulenti pabuli venenositatem pellunt, & vt auctor est Theomnestus lib. 1. eorundẽ comestione lũbricos ac intestinorũ vermes enecãt & expellunt, quas halitu ex antris proliciunt, vndè Mart. li. 12. Epig. ait.

Medicamenta quædam à feris monstrata.

Vide Plin. lib. 8. cap. 17.

Ceruinus gelidum sorbet sic halitus anguem,

Et Lucretius lib. 6.

Naribus alipedes vt cerui sæpè putantur.
Ducere de latebris serpentia secla ferarum.

Etenim Plutarchus vna cũ Democrito animal quoduis sine artis doctore nõ ad medelã solũ, sed & ad victus rationẽ, robur, venationẽ, custodiã ac musicã quantũ pro natura sua cõpetit, dispositũ esse sensit, à quib. humanũ genus & Medicinã, & medẽdi modos nonnullos est mutuatũ. Duro itaq; labore multoq; studio, ac sedula longaque attentione medicamentorum facultates sunt animaduersæ & obseruatę, neque tamen firma ex his medendi constabat auctoritas, vtpotè nulla ratione stabilita, sed fortuito cuidam euentui concredita, quomodo suas operationes nulla tam multi-

Medicina primitus non adeò firma.

plicium alterantium circumſtantiarum habita ratione eundem ſemper effectum præſtituros Empirici ſibi perſuaſerant. Et ſanè, antequam Medicina adoleſceret ac temporis progreſſu experientijs per cauſas & ratiocinationes ponderatis Empirico ſolum modo curationes ferè omnes adminiſtrabantur, ita, vt Empirici totam curandi medendique prouinciam ſibi commiſſam gloriari viderentur. Erat autem Empiria hæc antè Hippocratis tēpora per vulgus paſſim ſparſa ac diſſeminata, eaque quilibet prout poterat medebatur; Vndè Ægyptiorum ægri per compita paſſim expoſiti à tranſeuntibus qui forſan eo antehac morbo laboraſſent, quonam ipſi medicamēto incolumes euaſiſſent, edocebantur, quidq; ſibi faciendum foret intelligebant. Atque ſic partum temporis ægris partim comparata; partim promiſſa ſalus fuit, vt ſi id medicamenti genus vſurparent, quo alter qui cōſimili prius morbo correptus decubuerat adiutus conualuiſſet, ipſi quoque protinus ſanitatem eſſent conſecuturi: nihil enim penitus ea ætate quātum noſtra nouit memoria, de Medicina litteris mandatum extitit, ſed hæc ſparſim per vulgus vagabatur, donec primus quidam Orpheus nonnulla Medicinam concernentia annotauit, quem ſecuti Muſæus, Heſiodus & Homerus herbas aliquas celebrare inceperūt.

Empirici.

Medicina olim vaga.

Erat

Erat verò ſimplex quædam & nuda quarundam herbarum earundemq́ue virium cognitio, quam Chiron Centaurus & ab eo edocti Heroes tenuerant, nonnullaq́ue alia experimenta Ariſtæo, Melampodi, & Polydæ adſcripta. Magis autem tunc temporis chirurgia tãquam ſenſui propinquior vigebat, quam Homerus Podalyrium & Machaonem in bello Troiano exercuiſſe memorat. Vbi verò Medicina vſque ad Hippocratis tempora deducta, ab eoq́ue in ordinem digeſta paulatimq́; experimentorum vulgarium fides indagata, ac fatorum ſeu euentuum rationes expetitę fuerunt, experimento rationi coniuncto ars efflorеſcere cœpit: attamen in duas mox partes deducta, hæreſes & ſchiſmata pati coacta fuit. Alij enim experientiam ſolam arti ſufficere poſſe ſunt arbitrati: alij è contra rationem rebus agendis neceſſariò adhibendam cenſuerunt.

Medicinæ floreſcentia ac pullulatio.

Hippocratem igitur in ſecta, quæ ob ratiocinationis vſum Rationalis dicta fuit, ſecuti ſunt Diocles, Cariſtius, Praxagoras & Chryſippus cuius diſcipulus extitit Eraſiſtratus Ariſtotelis filia genitus, ac præter hos etiam Herophilus Chalcedonius, Mneſitheus Atheniẽſis, Aſclepiades Bithinus, & Cienus qui & Pruſias dictus fuit.

Secta Rationalis.

Empiricæ porrò ſectæ auctor extitit Philinus Cous, vel vt alij volunt, Acron ille Agrigentinus qui circa Hippocratis tempora

Empiricæ ſectæ auctores.

pora floruit, Empedoclis Physici vt refert Plin.lib.29.cap.1.commendatione clarus, cuius Plutarchus in lib.de Iside & Osyr.ac Aëtius & Paulus Ægineta mentionem faciunt. Hunc secuti illustres nõnulli viri, vtpotè Philistion, Crito, Thessalus, Menodotus, Sextus, Serapion Alexandrinus, nec non Apollonius vterque Antiocheni, Glaucias, Heraclides Tarentinus: & inter Latinos Plinius Secundus & Cornel. Celsus, medicationes adhibentes ex nudâ euentuum obseruatione certificatas, vndè non iniquè Græci Empiricam hanc sectam Tereticen & Mnemoneuticen, ac si obseruatricem rememoratricemque eam nominares, appellare consueuerunt, quam alij imitatricem dixêre.

Teretica ac Mnemoneutica.

Argumẽta Empiricorum cõtra Rationales.

Rationes Empiricorum quibus Rationalẽ sectam expugnare nitebantur, hæ ferè erant, primò quod ratio idem cum experientia doceret, minimè igitur necessarium esse rationibus multa indagare quæ experimenta patefacerent, tũ vero morbos eandẽ sui seruare normã vndè non vlterius ratione diuagandũ sed in ijs remedijs quæ simili morbo auxilio fuêre persistendum, cum præsertim nõ sit peruestigabilis natura & in adytis suis quodammodo inexhausta, adeovt non modo superuacua verum etiã inutilis amplior peruestigatio sit futura, tandẽ quoque quod paucula vel vix vlla

quæ

quæ in Medicina extant, ratione adiuuēta ſed ductrice ſimul ac doctrice experientia ſint reperta, neq; opus eſſe ſcire quid viuatur, ſi tantum quomodo viuatur conſtet. Hæc & alia eiuſmodi argumenta Empiricorū mentes adeò perſtringebant, vt rationē ad morborum obſtruſas differentias, origines, & cauſas perquirendas & inueſtigandas excurrere nō ſinerēt, ſed vni ſemper morbo idē ſemper remedium nulla vel perſonę vel temporis, vel ętatis ſexus aut loci habita ratione accōmodarent, neſcij primos experimentatores nō penitus abſque ratione medicinas tentaſſe, ſed ad minimum coniecturâ aliquâ probabili quæ rationis ſaltē alicuius vim æquat, remediorum vſum inijſſe, nō ſine naturali quodā diſcurſu, per quē hoc vel illud, huic vel illi morbo opē laturum ſunt opinati. Neq; vero eò experientiæ deuenerūt vt nouos ſubinde morbos eoſque incognitos oriri animaduerterint, quales noſtro tempore emergere ſunt obſeruati, quando ſudor Britānicus Europā penè demerſit, Plica Poloniam vexans tranſijt, Lues Hungarica Pannoniā vtramq; magna multorū clade afflixit, ac Scorbutus maritimas Germanię oras peruaſit, atq; inſup Gallicana ſcabies primis Empiricis haud quaquā cognita in totū penè orbē excurſum fuit, cui pellendæ nec ſine ratione experiētia, nec ſine experientiâ ratio ſufficere primitùs poterat.

 Erat

Erat autem Empiricorum ſecta ex ſolis experimentis conflata adeo dubiæ & incertæ fidei, vt cum prodeſſe vellent, obfuiſſe plurimũ ſint viſi: nam & experimenta fallebant, & eorum exploratores ac artifices fallebãtur, quod Hippoc. diligenter 1. Aph. 1. monuit, inquiens: *Experimentum fallax*, ſcilicet ſi hoc non iudicio ſeu ratione nitatur. Adhæc Medicinæ per experimenta addiſcendæ extremus non ſufficiebat vitę dies, experimentis, pro qualitate & conditione indiuidui corporis ac diuerſitate humorum, nõ idem ſemper prę ſtantibus, nec eundem ſemper effectum producentibus.

Veruntamen quoniam tam faſtidioſæ ac longæ experientiæ labores & tædia ſubterfugiens poſteritas ferre noluerat, ideò methodi ac compendia quædam quæſita ſunt, ex quibus res eas quæ ſola naturæ regula metiri poſſunt, intelligerent, ſicq; generalibus ac Geometricis quibuſdam demonſtrationibus confiſi, hypotheſes quaſdam vniuerſales introduxerunt, ad quarum normam ſuas curationes dirigerent: hinc partim humorum, qualitatũ, graduum, ac temperamentorum, & inde naſcentium effectuum ac operationum efficacia omnis producta, ex qua curationis cuiuslibet dexteritas commodè, promptè, ac cõfeſtim decerpi poſſet. Sic Herophilus morborũ rationes in humiditate, Eraſiſtratus in trãſcolatio-

colatione sanguinis à venis in arterias, Asclepiades in obstructione foraminum insensibilium posuit, quas Hippocrates in spiritu prout Cornel. Celsus vult, visus est collocasse. Sub his hypothesibus senescente experimenti faciundi labore, inclinatoque ad socordiam sæculo, Medicina varijs fluctibus agitabatur. Legitima enim Medicina longos labores, prolixa studia, difficiles ac periculosas experientias & occasiones insuper præcipites offerebat. E contra verò ignauia pigris opē ferente, breuitatem & compendiosam omninò ex generalibus propositionibus hypothesibusque proficiscentem medendi viam pollicebatur segnities, quam protinus complures ingressi, ac amplexati prolixas experientiæ & obscuras exercitationes repudiarunt. Inter hos Arabes, & Mauritani quasi antesignani præcellebant, victoriæ suæ spolia tanquam thesauros editis nonnullis experimentorum, Dispensatoriorum ac Luminarium, seu potius Lucernarum libris ostentantes, quorum tamen experimentorum non tam ipsi quàm alij auctores & exploratores extiterant, vndè Hippocratis pennis adornati de ipsius obseruatis plurimum gloriabantur, quem suæ inscitiæ, iniquè tamen, vtpotè Rationalem, omninò præficientes, eius diuina quasi oracula suis interpretationibus violentisque ac peregrinis

Tædium artificiū.

Hippocrati iniuria facta.

explicationibus adeò obtemperare coëgerũt, vt eundem licet inuitum tanquam iniquitatis testem contra aduersam aciem non rarò producere fuerint ausi. At verò quia orthodoxis hæc medicatio legibus circumscripta nõ erat, nullisq́; præceptionibus certis ac debitis constabat, atque ideò effectibus non eodem semper tenore redeuntibus, sinistrè plurima euenire posteri cernebant, idcircò curandorum morborum methodo vniuersalibus quibusdam enunciatis confirmare censuerunt.

Secta Methodica.

Itaque medentium aliqui generales quasdam propositiones pro norma ac regula sibi delegerunt, quarum ductu, instinctu ac indicatione omnem curationis viam tutò ac feliciter ingrederentur, hinc Methodici vocati fuêre sua quoq́ue peculiari secta gaudentes & in proprium schisma ab Empiricis diuisi. Factionis huius seu sectæ princeps fuit Themison Laodiceus, hunc secutus Thessalus, qui eo temeritatis processit vt se totam artem Medicam sex mẽsium spatio perfectè traditurum Romæ sit pollicitus, cõtra quem Galenus scripsit se demptâ solâ indicatione quę à parte affecta desumitur, sex dierum spatio Medicinã edocturum. Asseclæ huic fuerunt Trallianus, Mnaseas, Dionysius, Proclus & Antipater. Verum absque controuersia hæc secta non nisi in magnum humani generis detrimentum ac

præiudicium introducta non diu subſtitit, hi enim mox ipſi in quibuſdam inter ſe diſſensê-re, vtpotè Olympiacus Mileſius, Menemachus Aphrodiſienſis, Soranus Epheſius & Leonides Alexandrinus ἐπισυνθετικοὶ quaſi adiuncti à Græcis dicti, in doctrina ac medendi modo ab ijs qui ἐκλεκτοὶ ſeu delecti, quales Archigenes, & Apameus Syrus extiterunt, diſcrepantes. Veruntamen neque his proſperè negotium ſucceſſit: vniuerſalibus enim ſuis propoſitionibus plus magis affixi, res illas cõmunes ad priuatum vſum deduci, & ſic vniuerſalia particularibus accommodari debere nõ penſitarunt, vndè factum, vt, quoniam agẽtia patientibus vel incongrua, vel non adæquata aut proportionata extabant, in maximos errorum ſcopulos inter curandum impegerint, de quibus in cathedra omnes ſanari, in praxi verò perire plurimos meritò dici potuerit, vnde etiam magiſtrum ac primum ſectæ huius auctorem ridiculè poeta taxat, cum ait.

Epiſynthetici, & Electi.

Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno.

Methodica itaque ſecta communitatibus & ſimilium ſpeculationi adhærens, particulares affectus omnes ad generales duos, adſtrictum nimirum & fluentẽ reducere conata eſt, veruntamẽ fruſtra ac irrito conatu tentatum eſt hoc negotium, vt quod ab vniuerſalib. ad parti-

Error Methodicorũ.

particularia, & ab his è contra ad vniuersalia viam sine medio affectabat.

Inter hæc autem cum rerum experientias homines naturaliter (vt ille ait) scire appetentes, causis firmare ac stabilire semper tentarēt rationem & Dialecticam seu Logicam rerum quarumlibet naturis peruestigandis idoneam adhibentes, Rationalis Medicina emicuit, alijs longè excellētior, quæ apud Cnidios, Rhodios, & Coos vtplurimum floruit, à quibus in Asiam, Græciam vniuersam, imò & Persidem Medici exibant, magna ac firmis rationibus innixa dexteritate instructi. Vndè & præclarissimus noster Hippocrates scholis his, Rhodia nimirum, Coa, & Cnidia æmulo artis studio inter se pugnantibus, ex Coa prodiēs, magnum ei splendorem conciliauit, vtpotè cui nihil ferè eorum defuerit quæ in Medico requiri vel debent, vel possunt, ita, vt Celsus eū virum arte & facundia clarum meritò dixerit, tanti enim, prout ex scriptis ac monumentis eius constat, & ingenij ac iudicij extitit, vt nihil non sciuerit, imò physica Medicaque ad amussim cognouerit, adeò, vt Aristoteles Philosophorum coryphæus multa ab eo mutuari non erubuerit. Primus enim Hippocrates elementa qualitatum, calidi nimirum, frigidi, humidi ac sicci notione indigitauit, aëris, & aquæ conditiones explicauit, naturam defini-

Rationalis Medicina palmā tulit.

Hippocratis insigne encomiū.

uit,

it, fœtuum formationem tradidit, ex tempo-
rum mutatione vẽturos morbos præmonuit,
& quales hi essent futuri præuidit, ægrorũ sa-
lutes & occubitus præsensit, in medelis mini-
strandis ambidexter fuit, humanam pruden-
tiam omnem sibi subiugauit, sapienter mentẽ
suam in tantum excolens, vt quod ipse igno-
rauerit post illum nemo sciuisse videatur: ad
quod forsan alludens Macrobius eum *nec fal-
lere, nec falli potuisse* scripsit, quæ laus alioquin
soli Deo conuenit. Veruntamen de laudibus
eiusdem alias plura: sufficiat nunc eum ratio-
nalem ac veram Medicorum cohortem non
modo secutum esse, sed eorum quasi antesi-
gnanum quendam ac ducem extitisse. Hic e-
nim Medicinam frustulatim quodammodo
sparsam collegit, collectam in ordinem rede-
git, redactam pressa verborum proprietate,
sententiarum concisa subtilitate, sermonis
veneranda antiquitate & artificij commen-
dabili dignitate tradidit.

Repudiatæ igitur Empiricæ & Methodicæ
curandi rationes, ac tanquam ἀτεχνίαι ac ex
leges artes è verorum Medicorũ familia pro-
scriptæ, quæ tamen post Hippocratis tempo-
ra, accedente hominum perfidia, certis qui-
busdam factionibus contentionibusque re-
pullurarunt, donec acerrimus veræ Medicinæ
propugnator Galenus has rursus dextrè resci-
dit, &

Sectarum inertium repudiatio.

dit & exterminauit, ita, vt ſectæ iam dictæ expugnatæ iaceant, & eliminatæ apud doctiores vileſcant, licet monſtris his imperitum ac credulum vulgus ſtultitiæ philtris ligatum & obſtrictum nonnihil in hunc vſque diem adhæreſcat. Tres has Medicorum ſectas Rationalem nimirum Methodicam & Empyricam Auſonius hoc ſuo carmine complexus eſt.

——— *Triplex quoq; forma medendi.*

Quæ Logos, & Methodos, cuiq; Experientia nomen.

Rationalis autem Medicina cæteris ſectis euileſcentibus per aliquot & multa quidem ſæcula magna tranquillitatis pace triumphãs ſubſtitit, vt quæ rectè agendorum modos & vias philoſophica veritate indagatas ſectabatur, rerumque euentus non à poſteriori colligens ſed à priori cognitas, per certas ac generetenũs infallibiles propoſitiones, cauſas & argumenta certificauit, certificatas adhuc ratione ponderauit examinauitque, examinatas denique ex vniuerſalitatis ſchola (dummodo recta hæc applicatione ſubiectis debito modo conſtitutis adhiberentur, & in diuerſum, noxium & fallibilem vſum non decederent) quamplurima ſingularibus ac indiuiduis modò ſic, modò aliter diſpoſitis profutura eduxit, prodidit, & ob commune ſanitatis bo-

num

num liberè euulgauit: quod omne Methodici per generalia quædam documenta ſeſe obtẽturos, Empirici verò per particularia quædam experimenta ſeſe deprehenſuros ſperauerant, illius axiomatis Dialectici neſcij, ex puris particularibus nihil concludi decernentis.

CAPVT VII.

Medicina luget ſe iam ſenio confectam nunc primum ad cunabula reduci.

NOſtro porrò æuo Philippus Aureolus, Theophraſtus, Paracelſus ex Heluetica eremo oriundus, neſcio quo vel iracundiæ ſeu rancoris Zelo, vel inuidiæ œſtro percitus, vel nouitatis ſtudio flagrans, vel denique Aſclepiadæi iugi impatiens, aut Galenicæ doctrinæ pertæſus, in Medicinam furioſus ſimul & improuiſus inuaſit, cuncta penè annihilans, plurima corrumpens, innumera redarguens, maxima deſtruens, ima ſummis atque his ſuprema commiſcens, ac ſic omnia præmeditato quaſi ſtudio, & inexſpectata artis innouatione confundens, vt cœtus Medicorum ea ætate viuentium, ran-

core, ira, tædio, mœrore, pœnitentia, ac indignatione repleuerit.

Lætabantur iam olim ac gaudebant Hippocraticæ posteritates, non sua modò studia longo vsu, difficili experimento, sollerti indagine, summo labore, ac tam pręcipiti occasione comparata humano generi plurimum opis attulisse, verum etiam ob salutarem vim ac efficaciam eidem grata summoperè fuisse & accepta. Veruntamen nouus hic ex inopinato adueniens artis innouator, omnia ad suam quandam regulam deducens, singula permutauit, ac vniuersas ferè rerum naturas confundens permiscuit. Inprimis enim elementorum facultates & conditiones diuerso modo exposuit, humorum qualitates ac impulsus derisit, temperamentorum ab his genitorum constitutiones posthabuit, prioris medicationis doctrinam sustulit, indicationes medendi à veteri ac consueto modo longè diduxit, nouas in horum locum ac magna latitudine explicatas sufficiens: morborum generationes transitus & degenerationes explicatè quidē, sed inaudito planè modo, tradidit; vndè portentosas quasdam opiniones in Medicinam intulit; sublunaria quæque ex mineralibus introducta mundanæ cuiusdam Anatomiæ obseruatione & animaduersione conflata esse docuit: Microcosmum denique, & magnum

Paracelsi placita.

illum

illum mundum iusta sibi lege & proportione cohærere, naturaliaq́; omnia ex Sale, Sulphure, & Mercurio constare firmiter asseruit, ad quæ tanquam ad tria quædam tam generationis, quàm corruptionis principia, singula reduxit ac reuocauit. Ob hoc Germanus Courtin Medicus Parisiensis sic eius doctrinam ludit ac deridet.

Obruit imbre satas vario de semine formas
Eluuione Deus, supplicioq́ dedit.
Cum caper elatis hyadas grauidataq́ nimbis
Cornibus appellans signa cieret aquas.
Stoicus in cancrum retrò currentibus astris,
Quâ patet orbe locus, dixit abigne necem.
Omnibus at Paracelsus auis æquatus honore
Cuncta liquat flammis, rursus & igne nouat.
Nam tria Mulcibero iunxit qui semina rerum,
Soluit in hæc id, quod vinxerat igne prius.
Quidquid Mercurio conflatur Sulphure, Nitro,
Sulphur & in Nitrum Mercuriumq́ redit.

Germanus Courtin de Paracelso.

Sulphur it in flammas, fumos tenuatur inanes
Mercurius, Nitrum redditur igne cinis.
Fumus, flamma, cinis, tria ſunt exordia rerum,
Extremum fumus, flamma, cinisq́ tenent.
In cineres, flammasq́ ruet, fumosq́ liqueſcet
Sparſa ſeges lolio quæ Paracelſe fuit:
Deniq́ quidquid habet tellus, ſapientia prima,
Quam dedit Heluetius flamma, vaporq́, cinis.

Paracelſus nõ vſq́ quaq́ ſpernendus, ſed prius intelligendus.

Veruntamen laude ſua non deſtituendus eſt Paracelſus, tametſi enim omnem ferè Medicinam priſcorum irriſerit & varimodè perturbarit, imò multis in locis quamplurimas veterum hypotheſes ac enunciata radicitùs extirpaſſe ſit viſus, id tamen nõ eius vel ignorantiæ, vel temeritati adſcribendum, ſed liuore omni depoſito à iudice omnia in bonam partem interpretante ſic definiendum: prædictum Paracelſum multa quidem corrupiſſe, nonnulla penitùs defalcaſſe, non pauca confudiſſe, plurima taxaſſe, carpſiſſe, ac ridenda proſtituiſſe, tandem etiam pleraq; innouaſſe, & eorũ aliqua obſcurè parabolis & ænigmatibus

tibus velata, aliqua lucidè quidẽ, ſed hinc indè ſparsîm, aliqua etiam paradoxè tradidiſſe (quo quidem inconſueto docendo genere nõ eorum modò qui ad Medicinæ ſtudia animũ applicabant, verum etiã in Medica facultate iã dudum exercitatorũ ingenia nouitatem hanc ac inauditam rerum faciẽ intuentium & attonitorum more contemplantium, plurimũ ſuſpenſa reddidit) Medicinã autẽ multis in locis dilataſſe, in aliquibus conſtrinxiſſe, plurima pulchra & vtilia eidẽ intuliſſe, eamq; decoris medicamentis exornaſſe, atq; ſuo hoc ſtudio & labore torpidas Medicorũ mentes haud parũ exuſcitaſſe, prioribus inuentis plus lucis, ſplendoris ac amplitudinis attuliſſe, chymicã artẽ iam pęnè emortuã rurſus in publicũ vſum & vtilitatẽ protuliſſe, exindeq; Medicam prouinciã, ac fines tam præclaræ ſummeq; vtilis & neceſſariæ artis longius extendiſſe, præterquã quod errores nõnullos, in medicatione & circa hanc obortos acriter taxauit, & tanquã peſtes exitiales à Medico foro proſcripſit, imò etiã ſecurius, citius, commodius ac iucundius pharmacandi pręcepta quædam rara tradidit, quæ ad perpetuũ Medicæ facultatis ornamẽtum, vſum, & commoditatẽ cedant, vtut à ſuperbientib. & admonitiones haſce nouas à viro hoc (prout videbatur) rudi, haud ęquè ferẽtibus, ſed ſuã quandã q̃ ſibi ipſis pollicebantur

Paracelſi laus.

nobilitatem ac excellentiam ad pauonis plumarum ſuarum decorem & pulchritudinem contemplantis morem ſuſpicientibus, fuerint & ſpretæ, & reiectæ, aut ficta ſuſpicione repudiatæ. Et verò ſi probè rem conſideremus, ac diligenter ſingula perpendamus, comperiemus eum in maximis & quamplurimis negotijs à vera philoſophorum doctrina quoad rē ipſam vix diſceſſiſſe, ſed nominum ſolummodo nouorum introductis catalogis, eorum animos, ſuam qui mentem attenderent, aut in eius ſcripta inciderent, aliquantiſper ſollicitos detinuiſſe, donec tandem, quidnam ea ſibi vellent, intellexerunt. Vndè facultates noſtri corporis, quas opifex natura attrahendo, retinendo, concoquendo, expellendo, diſtribuendo, agglutinando ac aliter atque aliter agendo ſedulò ac promptè perficit, vno Archei nomine Paracelſus comprehendit, quem diſpenſatorem quēdam & œconomum microcoſmi conſtituit ſingula in familia noſtri corporis diligenter ac ſollicitè adminiſtrantem, eique omnes neceſſarias operationes, præſertim eas quas nos Galenici naturali facultati rectè tribuimus, adſcripſit, humidum radicale ob vim conſeruantem ſibi ingenitam ac cælitùs quodammodo præſtitam, Balſamum & Mumiam appellare fuit ſolitus, pleraq; ab effectu per conuenientem ſimilitudinis rationem

Indociles & Superbi Medici.

Archeus.

Mumia.

nem explicans. Ea, quæ de Sulphure, Sale & Mercurio tanquam tribus rerum omnium principijs tradidit, nõ ita ſtatuiſſe eſt cenſendus ac ſi ex his, prout in ſe ſunt, poſthabitis elementis ſingula naſci credidiſſet, ſed ex his propinquiores ſolum & proximas mixtorum formas, facultates, operationes, coalitiones, ortus & occaſus generationes & corruptiones eorundemq; modos eruit, ignea ſulphuri, terrena ſali, aërea & aquea Mercurio vtplurimum attribuens, exindè maioris cognitionis causâ, omnia ſymbolicè ac parabolicè tractans, ſalſos, acres, aduſtos, melancholicosq; humores corpora humana modò ſcabie, elephantiaſi, lepra, aut phagædenicis ac depaſcentibus vlceribus erodere ſolitos, diuerſis ſalis ſpeciebus ſimiles extra corpus noſtrum effectus præſtantibus comparauit, vt ſic per ſimilium ſub oculos ac ſenſum cadentium cognitionem ea quæ in nobis deliteſcunt & profundius hærent abſcondita, ſolaq; ratione ac altâ mentis indagine percipi queunt, faciliori modo intelligenda proponeret, & à macrocoſmi ac magni huius mundi operationibus microcoſmi & rerum in eo contentarum conditionem ac ſeriem aperiret, non ſecus quàm ſi pictor propoſito ſibi exemplari ad præfixæ ſtatuæ normam poſterioris imaginis lineamenta fingit.

Comparatio humanorum cum Mineralibus.

Paracelſus ſimilitudinibus vſus eſt.

Et ſanè prædictus Parecelſus tametſi multa abſonè, multa inconcinnè, nonnulla fabulosè, ludicrè ac nugatoriè in ijs quæ ad Medicinam ſpectant protuliſſe viſus fuerit, rem tamen ipſam ſeuerè conſideranti patebit eum in medijs ludis ac iocis maximè ſeria nonnunquam tractaſſe, & ea quæ in gratiam poſterûm candidè, ſyncerè ac apertè penitus euulgare voluerat, ſolummodo ob eorum inuidiam, maledicentiam & detrahendi ſtudium, quos antagoniſtas, imò verò oſores habebat, quodammodo retractaſſe, ideóque ne hi ſuis vel inuentis, vel experimentis celebribus facilè compotes fierent, pleraque abſconditè, ænigmaticè, ac ſuo quodam inconſueto & innouato docendi modo tradidiſſe, cum vt ſuperbiam ac vaſtum inimicorum ſuorum nonnihil noua hac ſua methodo, per quam ſecreta ſua in vulgus ſibi addictum & iam ferè doctrinæ ſuæ aſſuefactum ſparſit, deprimeret, & quos veritati repugnare ac reluctari velle cernebat, non per longinquas diſquiſitiones hauſta, ſed à proximo rerum ſtatu eruta indicatione, ac ſic ſimplici medicatione confunderet, hinc etiam ſpreto omni corporis ornatu & Academico decore medicationibus, pharmacorum præparationibus ac adminiſtrationibus manuali ſemper opera incumbendum inſudandum-

Paracelſi Anthagoniſtæ ab eo illuſi.

dandumque censuit, Medicorum quorundam fastum ac insolentiam, aliorum verò negligentiam desidiamque summoperè increpans ac redarguens. Atq; in hoc quidem plurimum Paracelsus præstitisse videtur non immeritò, quod Medicorum illud sæculum ad socordiam inclinatum, & pigritiæ quodam torpore oscitabundum rursus exuscitarit: triumphum iam enim Medicinæ sectatores quodammodo cantauerant, vtpotè qui sese victoriam de omnibus scientijs iam iã reportasse gloriabantur, atque sic depositis studiorum, sollicitudinum, lucubrationum disquisitionumque physicarum armis, quasi apotherapiæ commoditatibus ac bonis sese protinus delectaturi, segnes ac intrepidi absque curis consedêre, non iam altius quidquam rimantes, noui nihil inquirentes, prouinciam suam amplificare non tentantes, nec Medici regni fines ac terminos vlterius propagare & in maiorem latitudinem extendere studentes, imò quod plus est, ne iam dudum quidem parta conseruantes, sed per desidiam obscuris veterum studijs, nihil, vel parum lucis adferentes, imò ex prisca maiorum nostrorum sudoris arbore fructus colligentes, messemque in horrea congregantes, quam multis ac magnis laboribus prædecessores plantauerant, bonis iam partis non vsi tantum, sed ingrato quodã

Paracelsus segnes Medicos rursus expergefecit.

Medicorũ quorundã desidia.

modo abuſi, quomodo perſæpe prodigos filios parentum ſuorum plurimis periculis cõgregatos theſauros temerariè paritèr ac iniquè diſpergere & dilapidare cernimus.

Hanc igitur Medicorum deſidiam ferre nolens Theophraſtus, vtpotè qui perpetuas numerum ſolummodo vel augentium, vel explentium ac fruges abſumere natorum Medicorum ferias contemplatus, ſtomachum ſibi peruerti ſenſit, inconſuetis, nouis, ac paradoxis quibuſdam doctrinis non aliter quam acribus loris ac flagellis, hanc deſidûm turbã ita caſtigans concuſſit, vt hinc indè flagra timentes effugia quærerent, & per vniuerſam Philoſophiam ac Medicinam diſcurrentes latibula aut exitus ſibi ipſis parare niterentur, donec aliqui ſub plagis ac verberibus ingemiſcentes ſuam ipſi fortunam ex inopinato permutatam, & de ſtatu ſuo deiectam plangerent, alij tanquam exules in aliarum diſciplinarum regiones commigrarent; alij deniq́ue in labyrinthis hinc indè vagabundi oberrarent. Sic magna Medicorum pars ſuæ ſecuritati fidens ſubitò turbata, confuſa, fugata, diſiecta & à Bombaſto iſto in exilium fuit acta.

Paracelſus pigros diſiecit Medicos.

Hoc tantæ turbationis inexſpectato impetu confuſæ Medicorum ſcholæ, concuſſæ cathedræ, ac Heluetica quadam ſeueritate non aliter

Heluetica Paracelſi ſeueritas.

aliter quam belli furiâ disiecti quidam triumphales arcus nitidam illam, nobilem, politam ac liberalem Medicinæ formam & speciem exhibebant amplius sed austeram planè, rigorosam, seueram & à lucta quasi pallentem ac contractam, ita, vt eo tempore Medicina ecclypsin pati visa fuerit. Quid igitur? annè vinctas confestim huic manus daturi seruile iugum subibimus (aiebant Archiatri?) minimè gentium: conscriptus proindè miles, productus exercitus instructaq; contra Paracelsum acies, atque hîc quidem acriter dimicatum cũ esset, cumque omni nisu Galenica schola contra Theophrastæam pugnaret, hostilia illa tela, vti sibi videbantur, magna dexteritate in aduersam partem iactata Paracelsus talibus rationibus & experimentis elisit, vt in responsionibus satisfactionibusque eius intelligendis, enucleandis enodandisq; plus magis persæpè sit laboratum, quàm in medijs adinueniendis, quæ ad Theophrastæi ædificij nouas structuras demoliendas infringendasque reluctantes Galenici comparare potuerunt.

Medicina Ecclypses.

Nec refert quod obijcitur, eum ineptè sic multa protulisse, vt à doctis intelligi non potuerit, doctrinamque omnem communiter faciliorẽ esse in ore tradentis quàm in apprehensiua & intellectiua facultate animaduertentis, prout & vnicum stultum plura paucis

horis interrogare, mouere ac proponere quã docti & ſapientes complures explicare valeãt, peruulgato circumfertur adagio. Attamen aliter ſe res habet: tametſi enim Paracelſus alieno planè modo ſuas reſponſiones figurarit, adeoque ex obliquo ſatisfactionis ſuæ præcipua argumenta in oppoſitum deprompſerit, fuêre tamen ea ſic naturalis experientiæ veritate certificata, nihil vt in ijs firmitudinis requiri quandoque potuerit, licet nonnulla inter cætera protulerit quæ in medium adferre ac in lucem ſpargere non debuerat, vtpotè quæ vel cum illicitis ſcientijs ac artibus vetitis participare, vel ſuſpectum aliquid in ſe continere, vel incerti ac dubij nonnihil amplecti, vel denique è crudo vulgi foro profecta & fuerint, & videri potuerint. In id autem eam ob cauſam incidit quod à priſca Chaldæorum ac Ægyptiorum Magorum multas fabulas ac deliramenta veris documentis miſcere ſolitorum doctrina, atque adeò priſca Medicina ſuam traditionem petiuit, quam ſupra paulò poſt ſuam originem ita deterioratam ac taliter contaminatam fuiſſe tradidimus, quando Magi ſuas ei nequitias miſcuêre, inde enim vna cum ſolidis nugatoria ac à fide Chriſtiana, aut Catholicæ Eccleſiæ inſtructionibus & decretis aliena ſuxit, quæ poſtmodum is ipſe præcipitis

Paracelſus non vbiq; purus.

tis

tis ac præcocis ingenij vir Paracelſus vnà cum licitis ac veris per calamum fluere & maioris forſan oſtentationis cauſa in publicum prodire permiſit.

Interea tamen omnem veterum Medicinam non penitus poſthabuit, ſed eorum obſeruata nonnulla, eaque rariora in lucem rurſus protulit, priſcorum Medicorum ex ipſis philoſophiæ naturalis decretis medicantium experimenta nonnulla in ſcænam rurſus producens; quomodo inter alia de Helleboro à patribus noſtris in diuturnæ incolumitatis ac longæuæ vitæ ſuſtentationem & prorogationem adhibito, pulchra tradit, artes eas quæ ab Ægyptijs & Chaldæis, qui primi Medicinam excoluerunt, inuentæ, è tenebris eruens ac noua lucis acceſſione (ad cuius tamen radios plurimi caligabant) nonnihil perpoliens, adeò tamen nonnunquam confuſa, vt nitida fœdis, ſacraque profanis miſcuerit, à pijs ac doctis ſecernenda, qui ex ſtercore gemmas norunt ſeligere.

Lege Paracelſum de Helleboro.

Videtur autem inter priſcos vtplurimum ſemper fauiſſe Hippocrati, quem (quod ſciā) apertè taxauit nunquam, imò Aphoriſmos eiuſdem, commentarijs, ſed imperfecto & non abſoluto penitus opere, illuſtrauit, & venuſtā eius concinnitatem, ſapientiam, ſoliditatē, ac in dicendo tradendoq; preſſam proprietatem

aperto

aperto ſimul ac tacito ſemper aſſenſu appro-bauit: vndè in Epilogo ſeptem defenſionum ſuarum quas contra Medicos obtrectatores accuratè ſatis conſcriptas in lucem emiſit, Hippocratem, Apollinem & Machaonem ſecundùm veram Medicinæ normam ſuas curationes inſtituiſſe, exindè prodigia & dextræ medicationis ſigna edidiſſe, atque ſic naturæ quædam quaſi lumina extitiſſe ſcripſit. Prolixas porrò Galeni doctrinas & ſermocinationes, Auicennæ parabolas, aliorumq́ue Medicorum amphibologias & elucidationes in tyronum gratiam eruditè ac ſtudioſè ab ipſis exhibitas illuſit ac deriſit, ſuis ſemper hærens principijs, per quæ à poſteriori & ab euentu rerum, ſuam certificauit ſcientiam, vt quod alij per philoſophicas ambages ſermocinando indagandum propoſuerunt, ipſe practicam quandam philoſophiam exhibens ſenſus apprehenſione verificandum eſſe conſuerit, ita, vt non niſi per Analyſin res omnes ad prima reducens principia, non vt alij ab vniuerſalibus per ambages digreſſi ad ſingularia deſcendunt, ſed à particularibus ipſe tanquã notioribus (vniuerſitatis tamen nouâ quadã additâ cognitione) atq; ſic inuerſo quidẽ ordine, ſtrictiore tamen viâ ad curationes quæ in particularibus ac indiuiduis patrandæ executioni

Paracelſus Hippocratis amicus fuit.

Paracelſus Galeno aduerſus.

tioni mandandæ obueniunt, breuiter ac succinctè processit.

Præsertim verò duas illas Medicinæ partes, Pharmaceuticen nimirũ & chirurgicen, plurimum excoluit, illustrauit ac perpoliuit. Quæcunque enim olim vnà cum sordibus semicruda & à quisquiliis vix separata exhibita fuisse ipse modernis Medicis obtrudebat, ille à terrestri fœce purgans, purumq; ab impuro separans, extractionum, distillationum, elixiriorum, chylismatum & quintarum essentiarum ab elemẽtari commixtione & diathesi plus magis remotarum formâ propinauit ac obtulit, vndè magnam huius sæculi gratiam nactus ab aliquibus politus, iucundus, acceptus, gratus & opportunus vocari meruitquem alii inconcinnum; austerum, indiscretum, malè feriatum, rusticum, absurdum, rudem tetricum, inimicum, auersabundum, insulsum & periculosum dixere.

Paracelsus Pharcenticam ac chirurgicam exornauit.

Diuersæ de Paracelso hominum opiniones.

Sanè Oporinus, qui famulus quondam Theophrasti fuit, in epistola ad Ioannem Wierium Iuliacensem scripta eum in chirurgia miracula edidisse, & Laudano suo iam pænè mortuos ad vitam reuocasse scripsit. Tanta autem erat aliquorum Medicorum ea ætate viuentium absurditas, vt in eas rancoris & inuidiæ cloacas detrusi ob certa quædam

Oporinus Paracelsi famulus.

vitia

vitia, quorum tamen aliquibus nec ipsi quidem obtrectatores carebāt, tanto liuoris cœno obuoluti, non alitèr quàm sues ad stercora, sic ipsi ad Paracelsi vitia taxanda auidè properarînt, intactis interim, quas culpatis vitijs collaudare debuissent virtutibus, vt sic in personam eius inuecti, dogmata tamen eius, quæ opinioni communi contraria esse videbantur omisisse, ac silentio prætereuntes doctrinam eius & noua principia non refutasse, sed vitam potius ac mores eius carpsisse visi fuerint, nescij interim sese in maiori vitio constitutos ac de festuca ex oculo colligenda sollicitos fuisse, cum ipsi trabe infixa cæcutierint: vndè factum, vt quoties hi inuidia perciti callidè ac mordaciter contra eum scripserint, ille semiebrius, vino & ira succensus syncerè simul & austerè responderit.

Medicorū quorundam liuor.

Sic igitur Theophrastus Agirta, Magus, præuaricator, impostor, omnis Philosophiæ expers, rudis, insulsus, calumniator & nullius frugis homo ab ijs appellatus fuit, quos ipse ob commissos in Medicina errores rectè reprehenderat, quam correptionem ipsi (vtpotè qui de propria doctrina nil quidquam sibi diffisi, imò de rectè factis gloriabunduli semetipsos arroganter suspiciebant) ægrè ferentes tanto, tanquam sortem suam miserati, reprehensionis tædio sunt perculsi, vt vnà cū

Medici Paracelsum carpere.

agre-

agrestibus Paracelsi moribus omnem eius doctrinam reijciendam, culpandam, & abominandam censuerint.

Et verò vitijs Paracelsus non caruit. Plurima enim absurda, ridicula, somnijs simillima, imò etiam magica, & hæretica in scriptis eius contineri nemo non videt. An autem omnes ij libri, qui pro Theophrastæis venditantur, ab ipso fuerint conscripti dubium est valdè. Nam & Oporinus amanuensis quondã eius tot sub ipsius nomine scripta circumferri admiratus fuit, cum Paracelsum suum vix vnquam, aut rarò scriptioni vacasse, sed tempus pænè vniuersum cum Medicę praxi, tum etiam chymicis laboribus, residuum verò conuiuijs commessationibusq; impendisse memoret. Subreptitij itaq; forsan & adulterini sunt multi libri Theophrasti titulum ac nomen habentes. Nam si factum, prout factum ipse Paracelsus conqueritur, vt dum is adhuc in viuis existeret, nonnulli medicationes suas falsò venditarint, quid de libris fieri potuit, quos hianti ore tota Germania tantoperè expetiuit, vt eorum exhibitores multis præmijs ac larga satisfactione donatos dimiserit. Annon eximia sunt quæ in Chirurgia scripsit? Nonnè pulchra quæ in Archidoxis tradidit? Nonnè vtilia quæ de Helleboro, Persicaria, Hypericone, Sulphure Tartaro, itẽ de Pestilitate Carduo Angelico, de

Paracelsus vitijs non caruit

Vide Chirurgiam Magnam Paracelsi.

Magnete Xylohebeno Corallis, Mumiâ ac ſupra Poëmata Macri, & de vitâ Longâ &c. annotauit? vt jam pulcherrima quædam ſilentio præteream, quæ inter longi ſermonis inuolucra ſparſim hinc indè leguntur vtut non cuiq; protinus pateſcant, ſed ab ijs potiſſimùm intelligantur qui chymicam praxin ipſimet multo labore ac defatigatione exercuerunt, pro quibus etiam vtplurimum hæc ipſa annotauit, talitèr ea quidem conſignans, vt non niſi ab artis chymicæ peritis intelligi valeant, vtpotè qui oſores ſuos jam dictam artem chymicam deridentes, & neglectui habentes, eius bonis minimè gaudere, ſed filios ſolùm artis hæreditatem hanc capeſſere, & tanquam peculei jure tenere voluerit.

Paracelſus rarus quidem vir ſed exorbitans.

Ex his clarè patet, Paracelſum virum fuiſſe rari, attamen exorbitantis ingenij, vtpotè qui nemini blandiri, nullis aſſentationibus vti, nihilque diſſimulare potuerit: vndè is rudioribus minuſque excultis moribus præditus, aulicam omnem ceu affectatam modeſtiam aſpernatus, genuinos patriæ ſuæ mores aſſeruandos ratus eſt, eoſque politicæ concinnitati ac elegantiæ longè præpoſuit, candorem ſynceritatem veritatemque, & apertum Germanorum agendi morem omnibus aliarum gentium ac nationum conſuetudinibus præferens, vndè in defenſionibus ſuis ſe cum ijs, qui

qui in gynecæis educati mollibus veſtiuntur, non concordare ſcripſit, eò quod ſibi ruri, & inter abietes fuerit patria, in qua à teneris lacte, caſeo, & pane auenato, nulloque delicato paſtu enutritus in maturitatem adoleuerit, ſeſe proindè ad libitum non cuique reſpondere, nec per verborum ambages & blandiloquia victum quærere vel poſſe, vel inſtituiſſe, liberrimè faſſus eſt, ſuam interim medēdi dexteritatem extollens, per quam licet ruſticus quoad mores, medicationis tamen induſtria cunctis acceptus, gratus & iucundus euaderet: cum tamen alios pleroſq; Medicos de morum concinnitate, per quam hominibus ſeſe amicabiles reddere poſſent, magis quàm de doctrina & auxiliatricibus præſidijs ſollicitos exiſtere reputaret. Vocabatur autem nomine quidem proprio Philippus adiectis poſtea cæteris elogijs.

Paracelſus incomptus, nec aulicis moribus præditus fuit.

M PHI-

PHILIPPVS THEOPHRASTVS BOMBAST HOHEN-HEIMENSIS.

SVEVORVM

EX PANÆGYRIS NOBILIVM.

ARPINAS

CONFÆDERATORVM EREMI, EREMITA, PHILOSOPHVS PARADOXVS.

MYSTERIARCHA, ARTIVM MAGISTER, MEDICINARVM PROFESSOR, ET MVSARVM MECHANICARVM TRISMEGISTVS GERMANVS.

MVltum ſanè huic licet impolito viro Medicina debet, quod non modo magna quædam remedia inuenerit, quædam etiam in lucem rurſus euocarit, nonnulla abdita & paradoxa ad practicam trutinam examinanda propoſuerit, non paucos etiam Empiricorum Medicorum pro Galenicis ſeſe venditantium errores, acerbo ſupercilio taxarit ac ſolidis demonſtrationibus magno multo-

rum

rum applausu annihilarit. Beneficiorum autem cum in se, tum in patriam collatorũ haud immemor posteritas hoc eum Epitaphio cõdecorare non dubitauit, quod tanquam sollemnis cuiusdam statuæ in foro erectæ veterum quondam patriæ benefactorum virtutem memoriæ testatam redderet, sic hoc eius elogia encomiaque continens subsequentibus sæculis eius facta denuntiaret. Spectatur id Salisburgi in Cœmiterio S. Sebastiani lapidi sat magno ad parietem affixo ac erecto insculptum. Etsi licet hyperbolicæ sint eæ Paracelsi laudes, vt qui Lepram curasse memoretur, id tamen non de Leprâ verâ quam Dominus DEVS sibi soli, aut miraculosè per sanctos suos curandam reseruasse videtur intelligendum, tamen quia Paracelsus corpora Venereâ lue turpata, quæ reuerâ species videtur esse Elephantiasis, aut Psora, Serpigine, Impetigine, Scabie, ac salsi seri aut puris per epidermidem erumpentis, ac cutem abominabilibus crustis obducentis, horribiles ac formidandas fœditates adeò promptè sustulit, ideò vulgus, quod eiusmodi Psoras & Phtiriases, Lepras perfectas esse reputat, eum Lepram curasse dixit.

Gratitudo posterum erga Paracelsum,

Epitaphium autem eius sic habet.

CONDITVR HIC
PHILIPPVS THEO-
PHRASTVS INSIGNIS ME-
DICINÆ DOCTOR.
QVI
DIRA ILLA VVLNERA
LEPRAM, PODAGRAM, HYDRO-
PISIN ALIAQVE INSANABI-
LIA CORPORIS CON-
TAGIA
MIRIFICA ARTE SVSTVLIT:
AC
BONA SVA IN PAVPERES DI-
STRIBVENDA COLLOCAN-
DAQVE HONO-
RAVIT.
ANNO M.D.XLI. DIE XXIV. SEPT.
VITAM CVM MORTE
MVTAVIT.

Theophrasti Epitaphiũ quod Salisburgi conspicitur.

FVIT is insuper ob facta quæ præstitit, & doctrinam quam proposuit Philosophus Paradoxus, Mysteriarcha, & Musarum mechanicarum Trismegistus Germanus cognominatus. Theophrastæam hanc laudem æmulo stu-

lo studio prosecuta posteritas, Chymiam iam antè à Mercurio Trismegisto, Lullio, Gebero, Rupescissa, Arnoldo Villenouano, & alijs traditam, sed laboris forsan tædio à posteris sepositam ac neglectam, nunc autē quasi postliminio per Paracelsum reuocatam & suæ dignitati restitutam paulatim Medicinæ cœpit coniungere. Quoniam verò tota ferè Galenicorum Medicorum schola huic reluctari visa fuit, ideò plurimi nè in infamiam quandam inciderent, aut sese de Theoprastæo dogmate suspectos redderent, ab ea abstinuerunt, vel clam in ea versati sunt. Erat enim ea à Galenicis tam exosa apud populum reddita, vt is per hanc non nisi venena, & nescio quæ deleteria, præparari sibi persuaserit. Nonnulli autem artis obscuritate perterriti antiquam suam semitam, in qua iam ferè consenuissent, calcandam rati sunt. Alij laboris magnitudine pertæsi, nihil quod sudore comparandum foret, Medicinæ iungendum sunt opinati. Alij denique partim inuidia, partim superbia ac vastu turgentes Medicinam summam iam perfectionem adeptam esse, nihilque ei decoris aut adiumenti addi posse existimarunt: sic ex tot Medicorum centurijs vix pauci euaserunt qui manum aratro adhibuerint, ijque aliquantisper clanculum artem hanc excoluerunt; cum alios inscitia ab artis chymicæ tam præclaræ

Chymia Medicinæ iuncta.

Causa prægnantes sibi visa, cur Galenici Chymiam non coluerint.

ſtudio repelleret:alios ſuperbia non admitteret:nõnullis inuidia aditum præcluderet;plurimis deſidia fatigationes diſſuaderet: aliquos etiam auaritia, quoniam expenſæ aliquæ faciendæ forent, in propriæ cæcitatis ac miſeriæ ergaſtulis captiuos detineret,& vix pauci, quos ęquus amauit Iupiter,ad doctrinam maiorem & Medicinæ politiorem culturam adſpirarent,è quibus tandem inter cæteros inſignis ille Andernacus emicuit, qui veterem & nouam Medicinam duobus voluminibus cõprehenſam doctè, fideliter, ac clarè,magno multorum applauſu,ac primus quaſi reliquorum Galenicorum ſupercilia excutiens in lucem emiſit,nullo quidẽ rubore ſuffuſus,nullã expaueſcentia timidus,ſed ob pręſtiti inRempub.Medicam beneficij recordationem,multo honore clarus.

Andernacus qui de Veteri & Noua Medicina ſcripſit.

Secuti ſunt hunc nonnullí alij & quidem plurimi nunc Medicum agmen ducentes, inter quos Quercetanus, Crollius, Bayerus, Petræus, &c. ardui itineris tædio non fatigati: quod enim his laboris magnitudo grauaminis intulit, id honoris & gloriæ decor ſubleuauit,videbaturq́ue Medicina laceram ſuam tunicam exuta, & ſepoſitis ſitu ac vetuſtate attritis tegumentis nouam induiſſe togã, qua hæc inter priſcas artes quaſi iuuencula exſplẽdeſcens nouis ingenijs arridebat,primæ tamẽ ſuæ

ſuæ originis ac proſapiæ tã nobilis haudquaquam immemor, nec à patria laude vel minimum degenerans, ſed ſtatus ac celſitudinis ſuæ dignitatem vlteriori honoris additione extendens & amplificans.

Quicunque igitur Galenici, prima illa ab Hippocrate & Galeno propoſita fundamẽta, ritè ac ſcientifico modo tenuêre, & ſecundũ priſcos illos ac longo dierũ numero plus magis certificatos medendi & pharmacandi modos ac rationes, ſuas curationes, vt decet, dextrè inſtituerunt, hi omnes nihil mutatis prioribus artis Medicæ principijs ac fundamentis, ſed additis ſolummodò nouis Theophraſti inuentis ſcientiam ſuam non vtiliorem modò, ſed etiam ornatiorem reddidêre, adeò, vt dubium ſit pluſnè Galenica traditio certitudinis quàm Theophraſtæa decoris ac dexteritatis Medicinæ contulerit. Arebat iam Medicina, quaſi ſolis calore præuſta ſeges, quæ nunc imbre nouo rigata marceſcentes comas rurſus erexit, & non aliter quàm rore perfuſa, nouis foliorum, florum ac fructuum germinibus tanquam à languore reuiuiſcens, intuentium oculis ſeſe exoptata dudum reuireſcentiã rediuiuam exhibuit.

Galenica traditio & doctrina, Paraceſica iungenda.

Turbata eſt autem plurimum Galenicorum cohors, imò quàm maximè terminorum quorundam inſolitorum à Paracelſo intro-

Rari Paracelſi ac noui artis termini.

ductorum nouitate confusa, vt qui singulares quosdam tradendi modos in doctrina sua obseruarit per quos ea, quæ explicata videri poterant, magis intricarit, imò incognitorum nominum appellationibus res cognitas indigitans quasi laruâ tectas, incognitas reddiderit, ænigmatibusq́; cuncta adeò velarit vt suorum (quæ tantoperè deprædicabat) medicamentorum vix vlli copia fieri posset. Quod quidem Theophrasto vitio vertendum non esse reputamus, vt qui nouam doctrinam nouamq; docendi methodum nouis ac suæ medicationi accommodatis titulis & nominibus insigniuerit: nouam enim artem nouis terminis ac vocibus arti illi conuenientibus indiguisse quis non credat? atque hoc quondam priscis philosophis in more positum fuisse nemo vel parum in literis versatus ignorat. Sicut enim Plato Idæas, Epicurus Atomos, Aristoteles suam Entelechiam alijs Philosophis haud vsitatam ac nominis notione consuetam, sic Paracelsus Archeum, Hyle, Relolleũ & similia inculcauit. Inter Medicos verò Hippocrates τὸ θεῖον seu Diuinum deprædicauit. Galenus indicationes instituit. Mesueus medendi Canones descripsit: nostra porrò ætate Hieronymus Capeuaccius noua rursus ac inconsueta methodo horum plurima tradidisse visus fuit. At inquiunt: Theophrasto tria sunt

Noua ars, nouos requirit terminos.

Hieron. Capeuaccius.

solum

ſolùm principia ex quibus cuncta fiunt, Sal nimirum, Sulphur, & Mercurius? Vbi igitur elementorum vel mixtiones vel combinationes, vel denique mutui ab horum varimoda actione reſultantes effectus & operationes? Reſpondendum ſanè; Paracelſum elementa quatuor minimè negaſſe, ſed eorũ ſolum coitus, quatenus hæc inferioribus ac ſublunaribus corporibus mutua coitione deſeruiunt, inque eorum conſtitutionem confluunt, breuitatis obſeruata ratione, præſuppoſita tamẽ priori eorum ſcientia ac cognitione in tres claſſes diſtribuiſſe, vt quod Phyſicus vniuerſaliter in propatulo tractare ſolet, hic tanquã Medicus propinquius ad indiuidui naturam accedens magis contractè & ſuo more ænigmaticè ſeu potius comparatiuè tradiderit, quæ tamen ænigmatica doctrina intelligentiæ magis quàm obſcurationis anſam ſit habitura. Sic etiam Hippocrates ab elementis digreſſus corpus humanum, quod tamen ex quatuor elementis conflatum eſt, his tribus conſtare docuit, Continentibus, nimirùm, Contentis, ac Impetum facientibus, vbi per continentia partes ſolidas, per contenta humores, per impetum facientia ſpiritus hincindè commeantes intelligit: & tamen his poſitis, elementa, quæ primus ipſe calidi, humidi, frigidi ac ſicci notione diuiſit, à corporis hu-

Obiectio.

Obiectio diluitur.

mani constitutione non exclusit, sed ea iam, mutuo contractu confusa, particularis corporis respectu, in strictiorem notitiam redegit. Sic ex Paracelsi doctrina corpora solida Sali, fluxilia seu fluida Mercurio, hinc indè meantia Sulphuri sunt attribuenda.

Ænigmatica Paracelsi doctrina.

Ad id, quod Paracelsum suas medicationes ac pharmaca quoque quorum passim parandi modum docet, ænigmatibus inuoluisse, vel aliter obuelasse ac sic studiosè occultasse conqueruntur Galenici, respondendum videtur: noluisse eum medicamenta tam præclara prostituere, & rudi plebeculæ indoctisque agirtis profananda exponere, sed filijs solum artis, qui & ipsi in Chymici theatri ampla planitie luctatores existerent, multoque in puluere laborum strenuè desudarent, hæc ipsa ne penitus memoriæ exciderent annotasse: quomodo etiam veteres suorum medicamentorum compositiones ænigmatica quandoque circumscriptione tectas posteris tradidisse cognouimus, prout videre est ex carminibus Philonis sui medicaminis virtutes ac parandi modum decantantis, quod ob raritatem & pulchritudinem à Philone Græcè descriptum meritò huc apponendum censuimus. Eius Græcos atque ver-

[...]is sic Latinè reddidit Gorræus, quos in ex-[...]mplum huc traduximus.

PHILONII TARSENSIS DESCRIPTIO.

En ego languores multos mortalibus ægris,
Nobile Tarsensis pello Philonis opus.
Si Colon, aut Hepar, Lapis aut vrina retenta
Infestat, satis est exhibuisse semel.
Et Splenem, & rectâ flatum ceruice trahentes,
Spasmum, & quæ languent corpora, Tabe leuo.
Pleuritim nocuam, Vomitus & Sputa cruoris,
Si quis habet: morti protinus hostis ero.
Quæ mala visceribus latitant Tussim atque Catarrhum,
Singultus, & quod strangulat omne fero.
Me scripsit doctis, si quis me nouerit ingens
Donum habet, in stolidas nolo venire manus.

Philonii Tarsenis vires.

Hæc

Hæc eius medicamenti vires indigitant, se-
quentia porro ad eius constitutionem requi-
runtur.

Philonii Tarsensis ænigmatica Descriptio.

Spirantem & rutilum pueri crinem accipe cuius
Mercurii in plantis, sanguinis vnda mi-cat.
Pondus erunt sensus hominis, notissima res est,
Nauplii & vna drachma sit Euboici.
Quiq; Menatiadem letho dedit illius v-nam
Drachmam, quam clausam seruat ouinus vter?
His albi igniti bis denas adijce drachmas,
Atque fabæ totidem sint suis Arcadi-ca.
Drachmaq; radicis, falsò dictæ vncia na-ta,
In Pissa Iouem vbi delituisse ferunt.
Cumq; Pion scribis Graium, præpone viri-lem
Articulum, drachmas quinq; bis illud agat.
Tum Laticem Tauri natarum Cecropida-rum,
Affinem vt Triccæ clara propago do-cet.

Qui-

Quis quæſo hæc niſi in antiquis hiſtoriis erſatiſſimus & in diuerſis Poetarum traditonibus ac annotatis exercitatus, intelligat? xplicatio autem huius medicamenti nobis hunc vſque diem familiaris, & in Officinis harmaceuticis, ac Diſpenſatorijs proſtantis, c ex his carminibus ænigmaticis eruitur.

Crocus. Primò perſpirantem & rutilum pueri criem Crocum intellige à Croco puero noen habentem de quo plura in Poetarum faulis leguntur.

Pyrethrũ quia ignit. Nauplium Euboicum, Pyrethrum eſt, Naulius enim circa portum Euboeæ, pyros acendit, Græcos decipiens, qui ſeſe ad tuta litora ac ſecuras regiones appellere ſunt opiati.

Euphorbium. Auctores mortis Patrocli (qui ob parentem Ienætium, Menetiades vocabatur) fuêre Euhorbus, Apollo & Hector. Euphorbij ſuccus ob acrimoniam pellibus ouium exceptus ncluditur.

Piper album. Album ignitum Piper album deſignat. Aia deſcriptio vocat Piper album, candida põera, ſolemus enim in ponderibus Piperis ali granis vti, cum viginti grana talia ſcrupuum, ſexginta verò drachmam efficiant.

Hioſcyamus. Arcadicæ ſuis faba, Hioſcyamus eſt ab Aro Erimanthæo nomen habens.

Spica. Radix falsò dicta, Spica eſt, cum magis flos uam radix eſſe videatur.

Opium. PionGræcum præpoſito virili articulo iam ſonat Opion, ſeu Opium.

Mel. Liquores Bouis Attidos ſeu Laticem Tauri quod attinet, Mel Atticum intellige, ita dictum quod Apes ex Tauris putrefactis naſcantur.

Triccæ propago fuit genus Æſculapij, à quo originem ſumpſit.

Atq; hæc ſunt ea ingredientia quæ ad ſtructuram huius medicaminis confluunt, & requiruntur.

Paraphraſtica Philonis traditio. Vides hîc Philonem ſimplicia, quæ ad compoſitionem ſui medicamenti requiruntur, omnia ac ſingula circumlocutoria paraphraſi circumſcripſiſſe, eaq; ænigmatico planè modo ita annotaſſe ac tradidiſſe, vt eius confectio non niſi doctioribus & cultioris ingenij hominibus, qui eius vſum dextrè inire ægriſq́ue commodè per hanc mederi poſſent, pateret: eam enim ab Empiricis temerè abreptam ſine vlla artis accommodatione in ægrotantium magis perniciem quàm ſalutem temerario auſu adhibitum iri præcognouerat, ex quo non modò graue mortalibus damnum emergeret, ſed etiam medicamentum ipſum vileſceret ac poſthaberetur. Et verò quis non videt ipſos etiam Galenicos ſuis quoque ſecretis gaudere, eaq́ue plus magis abſcondere nec niſi intimis ſuis amicis reue-

lare.

are. Vndè Hippocrates vt Arnoldus de Villa Noua refert, ſecreta non vſque quaque probalanda eſſe docuit, ſic autem habet textus Arnoldi in lib. de Simplicib. *Tu audiuiſti quod Hippocrates præcepit Phyſicis quos docebat, quod ſecreta non pandant, quia redundant, in vituperium ſapientûm, & in infamiam, quia ſi homo ſit ſapiens & inueſtigans, benè veniet ad iſta & participabit nobiſcum donum philoſophiæ. Item & ſi ipſe non eſt dignus eo nec inueſtigans, nec intelligens quidquid dicatur ei, perditur, imò dedecus eſt talibus ſecreta pandere.* Hæc Arnold. Verum de hac diſquiſitione aliâs.

Sic igitur ſepoſito omni liuore, excuſſiſque inuidiæ ac æmulationis prauis inſtigationibus, ſi res iuſtè penſitetur, Theophraſti dogmata Medica ſuis fundamentis non carere cernes. Sunt autem ea non ſpeculationibus vniuerſalitatum, ſed particularium contemplationibus accommodata, licet vniuerſalia nihilominus ſuo quodam modo complectantur præbeantque ipſius metaphoræ multum lucis huic, qui rem ad praxin deduxerit. Eſt verò in ſcriptis Paracelſi magnus delectus habendus, cum is complura nugatorio quaſi ſtylo in confuſionem forſan ac deluſionem eorum quos tunc ſibi habebat contrarios, ſcripſerit: vndè etiam tot in eius libris

Delectus in Paracel. ſi ſcriptis habendus.

absona

abſona reperiuntur quæ nec Chriſtianam fidem, nec pietatem, nec vllam penitus doctrinam ſapiunt; multa enim, prout diximus, à Babylonijs ac Chaldæis & antiquis Ægyptiorum Magis eſt mutuatus, quæ in ſuum vſum tranſtulit tali quidem facie prædita, vt à ſaniore Chriſtianorum doctrina plus magis aliena & videri, & haberi meritò debeant: niſi tamen libri ij ſubreptitij ac ſuppoſititij fortè ſint, & ſub Theophraſti nomine falsò diuendjti, qualis ille de Nymphis, Pygmæis, ac Salamandris, de Magiâ eiuſq; ſpeciebus, de Homunculis &c. Quos quidem libros tantum abeſt vt probemus, vt eos etiam penitus reijciendos ac anathematiſandos arbitremur. Prodeſt igitur ex cœno margaritas eruere, & ex fæcibus colligere vniones, idq; ſingulari ſtudio ac diligentiâ faciendum, nec antea rebus fides habenda quàm hæ ipſæ rationis ac ſolertis diſquiſitionis applauſu tutæ, ſecuræ, & vtiles inuentæ & judicatæ fuerint; atque tum demum aliquid experiundum, dummodo vſus à periculo ſit immunis & vlla mali aut noxæ alicuius ſuſpicione vacans. Igitur inter cæteros præcellentia ſingulari conſpicuus euadet is, qui veteris ac nouæ Medicinæ dogmata traditioneſq; coniunxerit, & ab Hippocrate & Galeno vera medendi præcepta didicerit, à quorum norma ne latum quidem vnguem

Vetus & noua Medicina cōiungenda.

vnguem vnquam ſit diſceſſurus, ac interea (tamen obſeruatis nihilominus fideliter priſcorum Medicorum documentis,) nouis hæc inuentis & auxerit, & ornarit: ſic enim ex veterum doctis & longo dierum numero certificatis inſtitutis, ac medendi præceptionibus, ſecurè, ex neotericorum verò inuentionibus dextrè magis, & iucundè medicabitur, prioribus curationis ſalutariter inſtituendæ modum ac viam monſtraturis, poſterioribus verò medicationis materiam vberiorem ac elaboratione ſubminiſtraturis, ita, vt nobis Medicinam facientibus Theoriæ ac contra morbum inſtituendæ aciei lumen à prioribus, à poſterioribus pharmacandi dexteritas petenda eſſe videatur.

Controuerſiæ Galenochymicæ cauſa.

Controuerſiam hanc totam peperiſſe mihi videtur mera illa, quæ inter Medicos Paracelſi coætaneos fuerat, ſuperbia, quâ inſufflati ſeſe omnia noſſe, omnia ſcire, de nulla re ambigere, omnia ſibi certò conſtare, arti maius incrementum accedere & inuentis nihil ſuperaddi poſſe ſunt opinati, quos Paracelſus introductis nouis medicamentorum præparationibus prius deriſos, longo in medicationis itinere poſt ſe interuallo reliquit, adeò, vt eum præpropera tandem feſtinatione ſecuti ſuſpexerint: quomodo Galenicos non paucos, ſi quando ipſis Paracelſici alicuius medi-

caminis notitia constabat, de eo sibi plurimũ gratulatos imò id ipsum secreti loco in sancto quodam silẽtio absconditum tenuisse neminiq; id communicasse aut eius copiam alicui fecisse cognouimus, vtpotè quod reuelasse nefas esse existimarent: vndè eousq; prior ipsorum inuidia euiluit, vt quem vnà cum suis medicamentis prius proscripserant, nunc plenis vlnis excipere sint parati, hoc vnũ interim næui in animis habentes, vt à Paracelso sese quidpiam didisse fateri nolint, cum tamẽ manifestum sit quæ ante Paracelsi tempora fuerit, & quæ nunc Medicinæ facies existat.

Autor se excusat.

Mirabuntur fortasse permulti me, cum Galenicus ego sim, tantoperè Paracelsum eiusque Medicinam defendere. Sciant autem me pro veritate hæc scripsisse adeò, vt quæ Paracelsus erronea habet, reprobem; quæ bona & vtilia, maximoperè commendem, Galenicorum quorundam superciliũ admiratus, quod eum qui bonum aliquod in Medicam facultatem conferre voluit, tolerare nequiuerint eiusque nomen in hunc vsque diem adeò exosum reddiderint, vt non magistri modò, sed etiam medicamentorum ab ipso vel repertorum, vel rursus in lucem productorum? quibus tamen ipsi & vtuntur, & gaudent, imò in absconditis thesauris, si quid ab ipso acceperunt, studiosè custodiunt ac reser-

reseruant) pudeat. Pudeat autem nihil discedere velle, nam ea quæ prius sæculum ignorauit, sequentibus annis inuestigare & addiscere pudor non est, quoniam & discipulus est prioris posterior dies. Quæ Hippocrates habet, quæ Galenus, præclara sunt & omni exceptione maiora: non tamen reijciendus posterûm labor, qui primatûm horũ labores ac studia maiori luce illustrauit, & cumulatiore bonorum accessione ditauit. Sua igitur cuique laus tribuenda; id enim agit charitas, per quam & Respub. & artes crescunt ac incrementum sumunt, cum discordia, inuidia & æmulatio his contrarientur. Ouid. 15. Metamorph. ait.

Non est pudor nihil scire, sed nihil discere velle.

Nil equidem durare diu sub imagine eâdem
Crediderim, sic ad ferrum venistis ab auro
Sæcula, sic toties versa est fortuna locorum.

Iuuat hîc dicere, *omnia probate, quod bonum est tenete.* Proindè non ineptè Germanus quidam Rithmicus nouis semper studijs incumbendum, & inuentis inuenta insuper addenda indicans, sic cecinit.

Kein Mensch hat je in diser Welt/
Seine sachen so weißlich bestellt/
Daß nicht die zeit/das Alter auch/
Die gwonheit vnd der lang gebrauch.

Hetten was newes zugericht/
Vnd dich der sachen besser bericht.
Erfahrung offt verwerffen thut/
Was man sonst lobt vnd helt für gut.
Vnd offt was man hat abgethan/
Nimbt die Erfahrung widerumb ahn.

Quos quidem versus, vtpotè meritò considerandos ac perpendendos, Reuerendus ac eximiè doctus vir P. Mattheus Raderus Soc. IESV presbyter suo hoc labore dignos esse censuit, quos proindè in Latinam linguam conuersos his metris sic concinnè reddidit.

Admod. Reuerendi P. Matthei Raderi Societatis IESV presbyteri Versus.

Soli non errant superi, mortalia nunquam
Censurâ decreta carent, quæ longior ætas
Arguit, indocilis tandem vel corrigit vsus,
Et meliora docet quæ non vidêre priores.
Optima quæ primùm Medicina reperta probauit:
Doctior hæc eadem, bona post experta negauit.
Et bona quæ primùm Medicina reperta negauit,
Doctior hæc eadem, bona post experta probauit.

Quis enim neget diem docuisse & subsequentia tempora, inuenta additis proprijs experi-

perimentis illuſtriora reddidiſſe, cum nō fruſtra tantoperè laboraſſe viſa ſit poſteritas, ac adeo magna ſollicitudine cunctis ferè rebus inſudaſſe.

Vt varios vſus meditando extunderet
artes.

Teſtatur id Manilius ſuis carminibus quaſcunque artes pertinaci ac indefeſſo hominum ſtudio plus magis elaboratas ac cultiores redditas ſic inquiens:

Et labor ingenium miſeris dedit & ſua
quemq;
Aduigilare ſibi iuſſit fortuna premendo.
Seducta in varias certarunt pectora cu-
ras
Et quodcunq; ſagax tentando reperit v-
ſus
In commune bonum commentum læta
dedêre.

Cum enim vnicum eſſe bonum ſcientiam veteres reputarent, vnicum vero malum inſcitiam eſſe crederent, nihil reliquum prætermiſerunt ad cuius indaginem communis vtilitatis cauſa tendere ac animos admouere non ſint aggreſſi, vnde Lucret. lib. 5.

Artes ſu- ——munt incrementa.

Nauigia atq; agri culturas, mœnia, le-
ges
Arma, vias, veſtes, ac cætera de genere
horum.

Præmia, delicias quoq; vitæ funditus omnes,
Carmina, picturas & Dædala signa politè.
Vsus, & impigræ simul experientia mentis.
Sic vnumquodq; paulatim protrahit ætas
In medium, ratioq; in luminis eruit oras
Namq; aliud ex alio clarescere corde videbant
Artibus ad summum donec venêre cacumen.

Hæc enim studia Philosophos, Mathematum Professores, Medicos, ac vniuersæ naturę peruestigatores in lucem extulit, cum hi sollicito planè studio, ac attentissimis contemplationibus intenti animaduerterent.

Virg. 2. Georg.

Defectus solis varios Lunæq; labores.
Vnde tremor terris, quâ vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusq; in seipsa residant
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hyberni vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Etenim vt idem Virg. lib. XI. Æneid. innuit dierum procrastinatione, res non modo mutantur, verum etiam augentur ac consumantur.

Multa dies, variusq; labor mutabilis æui,
Retulit in melius multos alterna reuisens
Lusit & in solido rursus Fortuna locauit.

Atque

Atque hæc de Paracelſo eiuſdemq; doctrina pro nunc dicta ſufficiant, ſciantque cuncti, nos cum ſiue Magus, ſiue Cabaliſta fuerit, prout nec vlla in re alia quæ Orthodoxæ fidei, ac Sanctæ Eccleſiæ interdictis, aut bonis moribus aduerſatur ac repugnat ſequi, quemadmodum nec Hippocratem, vel Galenum vt Ethnicos, ſed vt Medicos imitari.

Capitis epilogus.

Reſtat nunc hoc vnicum, vt Medicinam facturos adhortemur ne in vllius iurent verba magiſtri, ſed veritatem ducem ſequantur: prout apud Matthiam Vazerum legitur.

Dogmata non iuro in Paracelſi, aut ſcita Galeni,

Vera vtriuſq; placent, falſa vtriuſq; iacent.

Sic enim veterum Medicorum Hippocratis & Galenicis præceptionibus inſiſtent, & ſecundùm has noua inuenta, nouaque ſi quæ reperta ſunt, aut reperientur pharmaca, maturo iudicio dijudicabunt, ad quorum limam hæc ipſa vbi reducta, atque ſic antiquis vnita fuerint, tutò, citò ac iucundè medicabuntur, præſtante id Domiuo Deo, à quo (vt Salomon docet) omnis medela ortum ſumit.

CAPVT VIII.

Medicina luget, se beneficam ac salutarem, Pseudochymicorum dolis ac erroribus, homicidii ream effici, &c.

POsteaquam Theophrastus Paracelsus inexspectatâ artis innouatione Medicinam peruasisset, & cœtus Medicorum varimodè disijciens in dubiorum ac diuersitatum labyrinthos præcipites egisset, omnis concurrens populi cohors admirabunda suspexit, tantæ tamque amplæ facultatis excidium non immeritò contemplata. Itaque pars quædam eius, eaque nō minima, commiseratione quadam permota ingemuit, cum antiquam hanc Medicam ciuitatem non aliter quàm Troiam hostilibus flammis, si hanc chymicorum ignibus succensam cremari ac conflagrare putaret, atque hæc quidem antiquam illam maceriem reparandam censuit: altera verò populi pars, cui nouitas magis arrisit, nouam penitùs arcem Medicam astruendam est opinata, inter has tamen intermedij venêre arbitri, qui prisca Medicinæ ædificia nouis columnis fulcienda,

Medici populi distincta partitio.

tienda, parietesque nouâ crusta obducendos censuerunt, vt sic antiquitas stabilimentum, nouitas verò præstaret ornamentum. Interea temporis cum deiectis Medicæ ciuitatis mœnijs omnijs ad illam pateret aditus, tota insanientium ac delirantium imò & maleuolorũ caterua in eam irruens, fastidio simul & confusione vniuersam Rempub. Medicam adimpleuit. Hic itaque Pseudoparacelsistarum ingens numerus, non aliter quàm locustarum ille prædensus imber quondã in mare demersus, ac pestem venturam non præsagiens modò, verũ etiam efficiens, Medicinam est adorsus, aduenêre enim magnâ sui turbâ ciniflones, clancularij, pseudochymistę ac alij id genus ad mactandum magis quàm ad medicandum apti susurrones, qui non aliter tanquam spolia direpturi violentas Medicinæ manus intulerunt, importunum sanè hominum genus, & ad patrandas cædes ac latrocinia fraude, dolo, temeritate, pertinacia, obstinatione, peruicacia ac subsannatione, tanquam ancipiti gladio accinctum, quod & tentare auderet quod tentasse nefas est, & promittere non erubesceret quod præstare se non posse certò sciret.

Pseudochymici.

Viam porrò his hominibus ac aditum aliqualem patefecit Paracelsus, qui breuem medendi normam ac methodum pollicitus, &

prolixæ artis graues labores reijciēs nouis introductis terminis succinctius curationum modos instituit, vndè hi se laboris ac fastidij parum, multum verò honoris ac lucri reportaturos cum sperassent Paracelsi sese titulo vestientes Paracelsicam medendi dexteritatē, cuius inscij planè fuerant, temeritatem effecerunt, omnis enim rationis, omnisque expertes disciplinæ, absque vllo artis ductu aut lumine, suas curationes sunt aggressi, ac stolido, imò insano planè argumento ægros curādos susceperunt, quorū nec naturas, nec constitutiones, imò nec morbos, & quod plus est propriorum medicamentorum facultates, conditiones ac effectus minimè nouerant: arridebat enim eis promissa à Paracelso libertas, quâ is Medicinam excusso Aphorismorum, Canonum, Præceptionum, Indicationumque iugo in immunitatem dimisisse visus fuit, vndè & ij libertatem hanc tam suauem protinus arripientes non aliter quàm effrenes equi, aut iuuenci à præsepio soluti, per vniuersam prouinciam Medicam noxio sanè itinere sunt vagati, quam porcorum instar vastarunt contaminaruntque, quomodo ipsemet Paracelsus suo tempore in similes fraudum magistros grauiter est inuectus. Mens Paracelsi hæc non fuit, vt Medicinam rudi

Pseudochymici Paracelsi titulo sese vestiunt.

Paracelsus aliqualiter excusatur.

rudi vulgo absque vllo philosophiæ studio, aut certarum præceptionum legibus committendam existimauerit, imò in Medico multa ac magna requirit attamen hi, quod ipse magno iudicio & dexteritate præstauerat, non nisi temeritate perficere sunt aggressi, Theophrastique opera artificialia, sine arte magno mortalium damno, & plurima populi clade sunt imitati, quod tamen Paracelso ipsi propriè imputandum non est, vtpotè qui contra eiusmodi nugatores seuero calamo scripserit, cum vel inter famulos suos eiusmodi nebulones complures qui populum tantoperè deceperint, & falsis promissis inescarint, extitisse commemoret, libro Defensionum suarum Defens. 6. vbi commemorat quot suorum ministrorum à carnifice sint sublati cum ait: Der Hencker hat mir zu seinen Genaden genommen/ ein vnnd zwantzig Knecht/ vnd von diser Welt abgethan/ Gott genade jhnen. Pulchra sanè Carnificis gratia, proh pulchrum famulitium?

Paracelsi fraudulēti famuli.

Notum est, Paracelsum in deploratissimis malis multa ac magna præstitisse, quod cum ipsius hæ stultæ simiæ præmij pulchritudinem non autem artis decorem ac exigentiam pensitantes pariter imitari ac efficere conabantur, factum est, vt sub consimili, (prout sibi persuaserant) curâ, dissimiles effe-

ctus

Pseudo-chymicorũ temeritas.

ctus prodierint, vndè qui se paradoxos Medicos vel esse, vel futuros esse pollicebãtur, præposteri laniones sunt effecti. Multi enim ęgrotantium sub eorum manu diro cruciatu frustra excarnificati, complures vna cum pecuniæ iactura, temporis quoque quod veræ medicationi debebatur, eique meritò impendi debuisset, dispendia passi, nonnulli in grauiores morbos præcipitati, plurimi in maiores calamitates adacti, non pauci vita priuati ac crudeli nece perempti fuêre. Atque hi quidẽ errores penè omnes in Paracelsum, qui tantam suæ Medicinæ famam ac fidem conciliauerat, redundarunt, cum plebs non falsarios illos Theophrastæam Medicinam sibi ipsis nõ temerè modò verum etiam iniquè adscribentes, sed magistrum cuius ipsi titulo prægnantes sese populo tanquam miracula præstituri venales exhibebãt, increparet. Theophrastus verò innocens hanc calumniam passus esse videtur, is enim de suis medicamentis rationẽ reddidit, cũ cæteri cæco ac insano planè modo deleteria quandoque venena, quæ nec ipsimet probè nouerant, hominibus offerrent, aut aliter atque aliter contra omnem medendi modum & rationem lethali planè mortalium damno peccarent. Attamen

Excusatur Paracelsus.

Si quid discipuli peccasse videntur inepti
Stultitia capiant præmia digna sua.

Non

Non aliena luat præceptor crimina, cuius
Propositum nulli velle nocere fuit.

Hi autem tam perfrictæ frontis homines, Attico quodam aspectu, quem præ se ferunt, iam satis vniuerso orbi cogniti in Medicinam, ac si hæc ipsa caupona aut lupanar quoddam existeret, tanta impudentia inuaserunt, vt si temerè quid egissent rectè id factum esse asserere nõ dubitarent, imò quos erroris aut peccati vix pæniteret, animositatem sic suam ostentantes. Verum vt Euripides in Medea ait, *hæc non est animositas neq; fortitudo in faciem intueri amicos malè à se affectos*, quanta autem sit hæc obstinatissimorum eiusmodi asinorũ impudentia quis non videt? Quis non intelligit? illotis sic manibus sacram Medicinam nõ modo attingere, verum penitùs profanare, propterea peruetustus ille Theophrastus de characteribus sic rectè scripsit. *Impudentia gloriæ contemptio est, sordidi quæstus caussa inducta. Impudens autem ille qui, quem frustraturus sit, ab eo aliquid mutuatur, quiq; vbi Diis immortalibus sacra mactauerit, apud alium cænat, ipse carnes suas sale conditas recondit, & ministro accersito panem & carnem largitur è mensa, ac audientibus cunctis, vescere ait honoratissimè.* Hæc ille. Annon hic pseudochymicorum proprietates depictæ ac graphicè descriptæ patescunt, opes enim hi omni gloriæ

Impudentiæ definitio.

præfe-

præferunt, & ex ſuis curationibus non laudem ſed nummos ſolummodo quærunt, proindeque hos ipſos vtplurimùm antè curam inceptam de præmio paciſci videbis ac dimidiam ferè mercedis portionem nondum præſtitâ aliquâ ope poſcere obſeruabis, vt ſi curatio non dextrè ac feliciter ſucceſſerit, ipſi nihilominus quod fraudulentêr emunxerunt ſibi reſeruent: annon hoc eſt aliquid ab eo quem fruſtraturus ſis mutuari? Mactant ipſi victimas, cum experimenta per cædes agunt, ſuas autem carnes recondunt, cum, vt prouerbium ait, *ex alieno corio lora, &c.* domi non cænant, id eſt, ex proprio pharmacopolio ex quo venenata vtplurimùm medicamẽta proferunt, ac ex propria ſua officinâ vix quidquam deguſtant, miniſtro panem & carnem largiuntur quando nõ ſuâ modò fraude contenti, ægros varijs expenſis hinc indè erogandis onerant, vt quod ipſi ſoli nequitiei perficere nequeunt accerſitis malitiei ſocijs patrare poſſint, ſunt enim vtplurimùm carnificibus lictoribus ac alijs infamiâ notatis hominibus addicti, in quos belle quadrat illud Lucretij lib. 3.

Pſeudochymicorũ deprehenſio.

Pſeudochymici carnificis ſimiles.

Sanguine ciuili rem conflant diuitiasq́;
Conduplicânt auidi, cædem cæde cumulantes,
Crudeles gaudent in triſti funere fratres.

hie-

qui enim factis inhiant necesque esuriunt vt vel de mactatis exta surripiant, is est eorum animus quos vt Virgilius ait.

——————— semperq́ recentes
Conuectare iuuat prædas & viuere rapto.

postquam enim eos in aurificina quam vltra Insulæ Ophir diuitias (ex quibus Salomoni aurum adferebatur) suis pro opinionum somnijs extulerunt.

Expectata seges vanis elusit auenis

Virg. 1. Georg.

in Medicinam sese protinus ingerũt, ex alembicis nescio quæ spectra phanatica secum deferentes, quibus ingenium proprium tanta artis accessione locupletius futurum sibi imaginantur, quanto plus auri defectum in Chymia prius senserant. Quis iam non cum Theodecte exclamet? *Omnes humanæ res naturâ consenescunt, & ad finem temporis veniunt præter solam (vt videtur) impudentiam, hæc enim quantò magis genus augetur mortalium, tantò fit maior quotidiè.* Proindè cum tantum viriũ impudentia in orbe obtinuerit, vt ingenti vigore terras peruadens vndiq́ue regnum adepta videri queat. Menãder in Carine, *ô maxima Deorum, inquit, hoc temporis impudẽtia, si modò te Deam vocare oportet, sed oportet, nã quod imperat*

Menãder.

perat

perat pro Deo nunc habetur, quantum progrederis? quousq; peruentura mihi videris?

Impudicum hoc hominum genus, Paracelso, cuius titulis iniquè gloriabatur, nec modò ipsi, verum etiam toti arti tam Medicæ quã Chymicæ multum fastidij, tædij, difficultatis, ærumnæ, despectus, ac odij peperit, cum de cogenda magis pecunia quam de mortalium salute sollicitum, & emungendis solummodo crumenis addictum fuerit, nihil autem reipsa vel quod collaudandum foret parum præstiterit. Ac neque hoc adeò condolendum forsan existeret, nisi præter eiusmodi rapinas tot hominum cædes ac homicida Reipublicæ clamarent. Prô dolor, quot ab agirtis his interfecti? Quot in extremam pauperiem simul ac corporis calamitatem acti, quot in florida iuuentute præmaturæ neci sunt traditi? Medicinam in manu inscij positam esse *gladium in manu furiosi* quis nescit? At quid furiosus? mactabit non defendet, occidet non proteget, lædet non sanabit. Ita igitur hi omni arrogantia ac vastu referti, præceptiones omnes Medicas illudentes, indicationes ad curationis viam instituendam necessarias negligentes, concurrentium symptomatum obseruationes despicientes, ætatum, temperaturarum, climatum, anni temporum ac constitutionũ imò & causarum prægressarum vix vllam rationem

Pseudochymici spoliatores.

Latrones.

Mactatores, occisores, tortores, interfectoresq;.

tionem habẽtes vespertilionum more in Medicinam inuolant quam sua vrina ac fœdo lotio deturpent, Harpijs simillimi quæ quidem spurcissimæ aues pro nequissimis mulieribus sunt habitæ ab Apuleio aut viragines nullo fætui ferendo accommodæ, eò quòd omnis rapina sit sterilis & arida, quod prisci Poëtæ innuere volebant, plumis porrò eas circumdatas finxerunt, vt id quod rapuerunt, vel in prædam cessit, tegere possent, volatiles autem effictæ sunt, vt omnis rapina ad volandum sit celerrima, qua de re vide Reuerendi P. Iacobi Pontani Societ. IESV doctissima & accuratissima imo elegantissima Comment. in 3. lib. Æneidos: Sic pseudochymicos plurima rapuisse, rapinam cælasse, ac patrato raptu tandem auffugisse non notauimus modò, verum etiã experti sumus, de quibus dici queat illud Esaiæ Prophet. cap. 3. *Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra.* Sciẽtiam enim Medicam non aliter quam sues vastare hi solent vt ea depopulata in extremis ærumnis habitare, vbi ipsorum furia præcellit, vt eorum dolus exuperat, fuerit quandoque coacta, ita vt in illos quadret eiusdem Esaiæ locus capitis 13. *Non ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi, sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus. Et habitabunt ibi strutiones, & pilosi saltabunt*

Harpiæ.

R. P. Pontanus Soc. IESV presbyter.

O *bunt*

bunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius & in delubris voluptatis. Forsitan quia vt de ijsdem dici potest Esa. 1. *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni.*

Exactores.

Harpyas describit elegantissimè Virgilius 3. Æneid. his versibus, qui in pseudochymicos raptores, ædium fædatores, ac famelicos nec nisi prædæ inhiantes exactores, eximiè quadrant, quos animi gratiâ adscripsimus.

Virg. 3. Æneid. de Harpyis. Vide R. P. Pontan. è Soc. IESV in hunc locum comment.

——— Strophades Graio stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno quas dira Celæno
Harpyæq; colunt aliæ Phineia postquam
Clausa domus mensasq; metu liquêre priores
Tristius haud illis monstrum nec sæuior vlla
Pestis & ira Deûm stygiis sese extulit vndis:
Virginei volucrum vultus fœdissima ventris
Proluuies, vncæq; manus, & pallida semper
Ora fame.

hi enim nulla prædâ contenti, ne grandibus quidem spolijs saturantur, vndè facietenûs quidem virginem faciem inania nugacia pollicitamenta & promissiones præ se ferentes, sed ventris proluuie seu fæda Diarrhæa, vel Lienteria nihil assumpti retinente correpti, vndè liuida eis semper præ fame ac per dolos præstandos loculorum emungendorum libidine nitorem viuifici coloris assequi nequeunt, sed non aliter quam Ictero, Arquato, aut

aut Cachexia correpti, perpetuo ſquallore, liuent. Famis effigiem lib. 8. Metamorph. deſcribit Ouid. tam concinnè vt eos verſus non omittendos eſſe hoc loci putauerim ita affabrè famis figuram & conditiones exprimentes, de qua ſic ſcribit:

Quæſitamq; famem lapidoſo vidit in agro
Vnguibus & raris vellentem dẽtibus herbas.
Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore
Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent
Oſſa ſub incuruis extabant arida lumbis,
Ventris erat, pro ventre locus, pẽdere putares
Pectus, & à ſpina tantummodo crate teneri:
Auxerat articulos macies genuũq; tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

Vides hic pulchrè depictam pſeudochymicorum faciem ſeu potiùs Laruam? *Lapidoſus enim* imprimis *ille ager*, Lapidem Philoſophicum quem promittunt indigitare videtur, qui per agros ſparsîm diſiectus conſpicitur, ſibi nulla firmitudine hærens, *rari dentes* Mercurij fumum ac Realgaris & Arſenici nidorẽ denotant, *hirtus crinis* ob flammas in criſpitudinẽ quandã ſeu criſpaturã conuolutus, vom Fewr zuſamen/vñ in einander geloffen/ oder krauß worden/*ſcabri dentes* ex vaporib. diuerſis aquę Regis, eiuſdemq́; quã fortẽ dicunt, *dura cutis*

Explicatio Harpyarũ Pſeudochymicarum.

quia ex hinc tabeſcunt, Hectici, excocti, Phtiſicique ob varias mineralium venenatorum auras, quas ſpiritu attrahunt effecti, hos affectus ſequitur plerumque malo omine *ventris proluuies* cum ſyntexis illa humorum & colliquatio plerumque lethalis exiſtat, etenim vt Hippoc. 5. Aphoriſmor. 12. ait, *Quibuſcunq; tabidis è capite vna capilli defluunt, ij Diarrhæa ſuperueniente moriuntur*, & eodem libr. Aph. 14: inquit. *Tabe detento profluuium alui ſuperueniens lethale.* Talis ventris proluuies hos fædos artifices corripit, quibus *macies* accedit extrema, à defectu nutricatus, qui coctionis Oeconomiam venenorum halitu deſtructam conſequitur. Fiunt Paretici ac Paralytici, ob fornacûm venena fouentium, ac tetros halitus expirantium & euomentium auras, quibus ipſi, præter continuas inebriationes ſuis operis & operibus ſiticuloſis conſuetas continuò vtplurimum ſunt addicti, vndè vna cum potu concepta in faucibus venenata fuligo tranſglutitur, & in corpus vna cum potu deuoluta in articulos diripitur, quos prima vice tremulos reddit, deindè vero motu omni priuat, vndè vulgo dicitur. Es hat jme das Gifft in die Glider geschlagen, & rectè quidem non omnibus, ſed pleriſque hoc fit, qui curioſitate magis quam neceſſitate ad eiuſmodi opificia præſtanda accedunt, *qui enim amat periculum*

culum peribit in illo, & qui tangit picem inquinabitur ab ea. Infœlix articulorum intumeſcentia, ac talorum & genuum tumores, ex vitiato ſanguine, cuiſque officina (iecore nimirùm) proficiſcuntur, quod ex furuis Mercurialibus, Arſenicalibuſque labem hauſit, toto venoſo generi, poſtea communicatam, quod his fæditatibus coinquinauit. Atque hanc ego famem Pſeudochymicorum dixerim. Etenim ij.

Diripuêre aras, it toto turbida cœlo
Tempeſtas telorum, ac ferreus ingruit imber,
Craterasq; focosq; ferunt, fugit ipſe Latinus.

Atque vt in eorum operibus amplius progrediamur cognita iam illorum facie, ſic vlteriùs pergemus.

Pthiſicos itaque hi, quibus vomitus vt apud Hippoc. habetur, non periculoſus modò verum etiam quandoque lethifer eſſe poteſt, ac quibus ne leuia quidem pharmaca tuta exiſtunt, ſuis vomitorijs mouere nõ erubeſcunt, quorum vi & valido agendi modo pulmones iam antè ſaucij ac lacerati magis dilaniantur, & vlcera eorum dira excarnificatione quaſi violento quodam tractu diſciſſa amplificantur. In Dyſſenterijs vbi inteſtinorum vulneratio ac continui in parte tam ſenſibili ſolutio febrem, dolores, vigilias, & ſitim inuehit, cauſtica & exedentia pharmaca propinare nõ verentur.

Grauiſſimi ac periculoſiſſimi Pſeudochymicorũ errores.

 rentur.

rētur. In Colicâ curationis initiũ à Narcoticis & ſtupefacientibus medicamentis inchoare nō pertimeſcunt illius axiomatis inſcij, quod peruetuſtus quidam Medicus conſcientioſiſſimè protulit cum dixit. *Incipientes ſedare dolorem cum Narcoticis componunt rem magni terroris*, vndè poſtmodum eos qui perbellè ſe ſe curatos eſſe cōfidebant, poſtmodum Apoplexiâ, Paralyſi ac longè grauiorib. malis conflictatos fuiſſe obſeruatum fuit. In peſte cōtra rationem vomitu, ac vomitorijs medicamentis venenum quod in corde ſtabulatur excutere nituntur, vndè ægri hac lue correpti, quibus vomitus grauis plerumq; ac ſymptomaticus non autem Criticus eſſe ſolet, deliquijs magis exoluti fatiſcunt ac decedunt, hinc tot in caſtris moriuntur, quibus imperiti Chirurgi qui caſtra ſequuntur, vulgo die Feldſcherer dicti ſic confeſtîm Antimonium porrigunt vomitu ſubſequente lethali.

Locus Rhaſis.

Latronariam igitur ſimul ac latrinariam Medicinã verſuti, vafri ac malitioſi iſtiuſmodi præſtigiatores inſtituentes pro veris furta ſua paſſim venditare non erubuerunt, imò quod plus eſt, à Lemnijs fornacibus iam primum profecti, cinere, cæno, puluere ac ſordib. pleni, non aliter quàm ex cyclopum antro, aut Vulcani officina prodeuntes, in nitidam illam tam nobilis Medicinæ aulam ſeſe contulêre, in qua

Verſuti ac Vafri, malitioſiq;.

in qua ſophiſticis quibuſdam ſimulationibus, & adulterata fucataq; medicationis facie raritatem artis præ ſe ferentes, curioſum vulgus occæcatum captiuarunt, & populo ad fictam rei nouitatem obſtupeſcenti, neglecta interim vel ignorata veritate, venenum melle circumlitum obtruſerunt, quo eundem ita ineſcarunt, vt omni quodammodo ratione is orbatus malitioſas rerum deformationes non animaduerterit, fraudulentas deceptiones non deprehendere potuerit, peruerſas falſitatum damnoſitates non penſitarit, ac ne propriæ quidem ſaluti ſic conſuluerit, ſed ſimulationis huius dulcedine captum pyrotechnicis ſycophantarum nugis ac verſutijs quibus miſerè ſeſe ludificari non ſenſit, cuncta pænè adſcripſit, ita vt ludicra & ab omni doctrina plus magis aliena ciniflonum commenta ac fabulas veræ ac à Deo inſtitutæ, à Regibus excultæ, à Philoſophis in artem conformatæ ac tot ſæculis per diuturnum vſum certificatę Medicinæ præceptis prætulerit prępoſueritque. Indè verò vulgus in eam calamitatem præcipitatum deuenit, vt quæ à præſtigiatoribus his fieri vidit, rectè & fieri, & facta eſſe ſit arbitratum, quantumuis ſub eiuſmodi exlege medendi arte, quam inſani hi ſomniatores pollicebantur plurimi interirent, vndè tanquam philtris quibuſdam in eius amorem

Exleges.

 obſtri-

obſtricti, adeò ei ſeſe deuinctos nonnulli de-
dêre, vt vltrò hanc inſolentiam ſint amplexa-
ti, cui etiam gratificantur & applaudunt, imò
ſi quid peccatum eſt ignoſcunt, deluſi non
moleſtè ferunt, cruciati non ingemiſcunt,
excarnificati dolorem non ſentiunt, de perfi-
dia ac erroribus commiſſis nunquam con-
queruntur, ita vt priſcam illam veterum Me-
dicorum cohortem his impoſtoribus vinctas
quaſi manus præbituram putare quis valeat.

Noua doli ſpecies.

Sed & alia quâdam doli ſpecie homines cir-
cumuenire didicerunt, poſteaquam enim ſor-
des ſuas venenatas quouis fuco (ad quem dex-
trè parandum ipſimet artifices præ craſſa in-
ſcitia ſunt inepti) velatas obtruſerunt, & ea-
rum laudes multo verbiloquio deprædicarũt
atq; inſuper raritatem, caritatem, pretium, ac
efficaciam tantorum medicaminum infinitis
elogijs ad ſatietatem ægris inculcarunt, ani-
moſque eorum cita reualeſcendi ſpe & phar-
maci protinus auxiliaturi iucunditate ineſca-
runt, nummos cõfeſtim expetunt, antequam
vel minimam curationem ſint aggreſſi, ma-
gni ſibi hæc remedia conſtare, nec niſi multo
ære redimi poſſe ſæpius inculcantes, quando
parare ſe hæc pharmaca non niſi ex Auro,
Gemmis, Ambrâ & ſimilibus pretioſis com-
miniſcuntur. Igitur pecunia in promptu eſt,
& tanta quidem quanta pluribus Medicis ra-
tiona-

tionalibus post perfectam curam vix oblata fuisset, hanc arripiens callidus, in sinum ridet, & socios suæ deceptionis sibi quærens, cauponas inuadit, ibi estur, bibitur, luditur, ac iucunda, vt videtur, ducitur vita, quidquid cum ægro agatur, si enim is spontè aut naturæ adminiculo cedit salua res est, tum enim decu-plum mercedis exigitur, & nullus est vanæ iactationis terminus, sin autem ægritudo inualescit, ac æger morti iam appropinquare incipit clam hi sese ex vrbibus surripiunt haud aliter quam lupus ille à Virg. 11. Æneid. his versibus descriptus.

Callidi.

Iactatores.

Ac velut ille prius quam tela inimica sequantur
Continuò in montes sese auius abdidit altos.
Occiso pastore lupus, magnouè iuuenco,
Conscius audacis facti, caudamq́ remulcens
Subiecit pauitantem vtero, syluasq́ petiuit,
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit, &c.

Quid nunc consilij? vocantur Medici Rationales, vt vel funus parent, vel malæ gestæ curationis infamiam in se suscipiant, interim bonus æger

——tremit, velut agna pauens quæ saucia cani
Ore excussa lupi, nondum sibi tuta videtur,

Ouid. 6. Metamor.

Vtque columba suo madefactis sanguine plumis
Horret ad huc, auidosque timet quibus hæserat vngues.

Plaga hominum. Et reuera plaga est hæc hominum iusti Dei iudicio ijs hominibus irrogata, qui sese à veræ Medicinæ legibus, præceptis, fide, ac experimentis subtrahentes, hisce aucupibus corpora sua credunt. Certè est vt Io. Baptist. Mantuani verbis vtar

Stygia rabies. *——— hæc stygio rabies egressa profundo.*
Perque domos humiles perque alta palatia Regûm
Sæuit, & occultis miseros ferit ictibus artus.
Vt quando incauti vitio pastoris ouile
Incustoditum nox intempesta recepit,
Pseudochymici Lupi sunt. *Si lupus hesterna patiens ieiunia lucis,*
Sollicitusque fame furit, per limen apertum
Ad solas ingressus oues: non mitigat vnum
Ingluuiem funus, sed multa cade madescit,
In totum sæuitque gregem.

Pradones. Vbi iam præda cápta est, sin viuat æger an non, nihil curæ reliquum, hi enim populi prędones clam sese subducentes noctuis sunt simillimi, quas his versibus Naso 2. Metamor. sic describit:

Lucifugi. *An quæ per totam res est notissima Lesbon*
Non audita tibi est patrium temerasse cubile

Nocti-

Noctimenen? auis illa quidem sed conscia culpæ,
Conspectum lucemq; fugit, tenebrisq; pudorem
Celat & à cunctis expellitur æthere toto.

Sunt hi ciniflones ex hoc noctuarum genere, quibus accipitres satis familiares existunt ad omnem prædam intenti, prout & ipsimet hi artifices in accipitrum morem rapinę addicti, de his duabus auibus pseudochymicis emunctoribus simillimis egregiè Plinius. *Noctuarum contra aues solers dimicatio maiore circumdata multitudine, resupinæ pedibus: epugnãt collectaq; in arctum, rostro & vnguibus totæ teguntur. Auxiliatur accipiter collegio quodam naturæ, bellumq; partitur.* Hi vero Nitrosi ac Sulphurei medicastri postquam priorem excoxerunt prædam, rursus famelici agninam alibi pellem mox induunt, cuius specimine ab aliquibus in consilium admissi non aliter quã prius furiunt, aguntq; rabiem haud aliter quã Lycaon 1. Metamorph. qui cum Rex Arcadiæ putaretur in Lupum versus, eadem scelera patrauit, quę dum lupus fuerat exercere solebat, de eo enim Ouid. loco iam modo citato.

Raubvögel/ *Accipitres ac Milui.*

Territus ipse fugit, nactusq; silentia ruris.
Exululat frustraq; loqui conatur ab ipso,
Colligit os rabiem, soliusq; cupidine cædis,
Vtitur in pecudes & nunc quoque sanguine gaudet.

In

In villos abeunt vestes, in crura lacerti,
Fit lupus & veteris seruat vestigia formæ.
Canities eadem est, eadem violentia vultus.
Iidem oculi lucent eadem feritatis imago.

Habes hic omnem horum sycophantarum faciem seu laruam potius graphicè depictam, vt qui sint, qui fuerint, & qui futuri sint cernere valeas, tu modo monitis nostris acquiescere si nolueris, tuo tandem damno vbi prius desipueris (quidem) sed serò cum Phrygibus sapies.

Thrasones & Ardeliones.

Taliter autem ardeliones hi in arte tam præclara versati sunt, vt qui de nouis inuentis, deque obseruatis tam illustribus experimentis omnem fidem ac captum excedentibus superbissimè non aliter quam de Metelli spolijs gloriabantur, sibique præsumptuoso vastu multam ex hoc laudem adscribere non erubuerunt, vt artem Chymicam tam præclarã & veræ Medicinæ famulam seu ministram adeò tandem apud prudentiores exosam reddiderint, vt vel ab ipso Chymiæ titulo ac nomine complures abhorreant: qui enim sese pro politioribus Medicis venditabant, ac inaudita quædam pharmaca singulari dexteritate præparata multo ære ac pretio coëmenda prostituebant, tandem ciuium depilatores, loculorum emunctores, deceptores, Medicæ supellectilis direptores, confusionum machinatores,

natores, errorum magiſtri, ac ſine omni vel ſcientia, vel arte rudes & inſulſi falſarij ac impoſtores ſunt deprehenſi, complures laqueo ſuſpenſi, quorum doctrina meris vigilantium omnijs ſi non mendacijs reſperſa fætet ac ſulphur olens fabulam fatur, cum vt Poeta ait.

——— *immenſi ſpirent mendacia folles.*

Execranda omnino gens, quæ non modo multas cædes edit ſed grauiſſimas arti tam inſigni ac decoræ notas inurit, omnibus finibus exterminanda, etenim, vt Hippoc. lib. de Decenti ornatu ſeu Elegantia ſcripſit: *Ni ars innoxiè exerceatur, proſcribitur. Adoleſcentes enim eos inuadunt ac in eos irruunt: iuuenes autem eos intuentes ob eorum mutabilitatem, quã ſalſis iocis excipiunt, ſudoribus perfundunt, at ſenes præ amarore decretum in hos ſtatuunt vt ex vrbibus pellantur.* Hæc Hippoc. de pſeudomedicis inter quos Plutophiliæ dicati Chymici primas hoc tempore tenent.

Vera autem Chymia eaque à peritis viris ad phyſicarum cauſarum cõditionum diſpoſitionumque normam ac regulam accommodata Medicinæ Galenicæ quæ iam ſenio quodam obſoleto marceſcere videbatur magnum ſplendorem attulit, eamque nouæ frugis acceſſione auxit & amplificauit, præſertim verò Chyrurgicam Medicinæ partẽ ſummoperè exornauit, multiſque magnis ac excel-

lentibus

lentibus medicamentis numerosè locupleta-uit. Erat ea quidem priſcis cum Medicis tum philoſophis quondam haud incognita, ſed neſcio qua ſegnitie aliquãtiſper neglecta, aut faſtidio laboris ſepoſita, aut ſtudij difficultate derelicta, vel deniq; ob eam quã cum mechanicis artibus communem habere videtur cõditionẽ à politulis illis & delicatulis Medicellis, quibus propria arrogantia multiplicibus blandimentis aures deliniuit ac corda in ſuimet complacentiam longè ſeduxit poſthabita & tanquã ſeruilis reiecta. Hanc Theophraſtus Paracelſus abſtruſis latibulis hærentem, ac ſqualido ſitu mœſtam quodammodo, in lucem rurſus produxit, eamq; nouis cum ſuo, tum aliorum labore inuentis adornauit, illuſtrauitque, nouam ei rurſus faciem induens, quam reducta priori venuſtate condecorauit. Fuiſſe enim artẽ Chymicam priſcis antè multas ætates haud incognitam ex Zoſymi Balmidæ Olympiodori & Hebes Meſüei monumentis pateſcit, quod ipſum ex Galeni ad Piſonem medicamentorum per ignem pararorum vſum oſtendentis ac commendantis ſcriptis colligitur. Norunt enim artem hãc Chaldæi, Arabes, Græci ac exteræ nationes aliæ: etenim eam ipſam Arabicè tradiderunt Geber, Habebacar, Markos, Ydidd, Yeſid, Albumazar, Abuhali, Morienus, Alphidius, Calid Babylonius,

Veteres Chymici.

ylonius, Adros, Chora, Sedacerius & cõplures alij. Græcè verò litteris eam mandarunt Osthanes, Heliodorus, Dardanns, Albugazal Platonis præceptor, Demetrius, Zosimus, Synesius, Hamech, & consimiles, indè verò & Latini commentarijs hanc editis illustriorem reddidere: scripserunt enim de ea Rosinus, Ioãnitius, Ephistus, Florus, Almazatus, Ioannes à Rupescissa, Pontius, Durandus monachus, Valerandus de Bosco, Dumbeleius, Aloisius, Marlianus, Ianus Licinus, Petrus à Villa Noua Arnoldi frater, atque ex posteris alij multi. Et quamuis ad aurificinam illam complura horum spectare videantur, nihilominus tamen ex ijs quæ apparent desumi potest: eam pharmaceuticæ ac chirurgicæ Medicinæ parti plurimùm semper deseruijsse, vtpotè quæ ab his in hunc vsque diem separari meritò nec possit, nec debeat, hæc enim medicamentorum dextrè parandorum perutiles quosdam modos tradit ac docet, eque herbis, fruticibus, metallis ac mineralibus olea, salia, extracta, liquores, chylismata, ac in varias formas effigiata, varijsque vsibus Medicis accommodatissima pharmaca prolicit, quæ quidem omnia cum ad vtilitatem tum verò etiam ad splendorem ac amplitudinem Medicæ Reipublicæ confert. Hanc igitur Rationales Medici

Vera Chymia.

non

non ſine ratione amplectuntur, imò in eius cultu magis magisque laborant, vt quæ ſtudium omne ſedulitatis vario fructu compenſet, hiſtrionibus illis ac nullius frugis hominibus iam ante dictis artem hanc tam præclaram patratis tot cædibus ac infinitis per abuſum & inſcitiam commiſſis erroribus nõ modo diffamantibus ac exoſam reddentibus, ſed etiam Medicinæ, cui annexa eſt Chymia, non parum laudis detrahentibus, de quibus Medicina dicere valeat, *Domus mea domus medicationis eſt, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum*. Accommodari huc perbelle poſſet, bonâ tamen Theologorum veniâ, Ieremiæ luctus capitis ſecundi. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua & auerſio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum & amarum eſt, reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te dicit Dominus Deus exercituum. A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea & dixiſti: Non ſeruiam, In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo, tu proſternaberis meretrix. Ego autem plantaui te vineam electam, omne ſemen verum quomodo ergo mihi conuerſa es in prauum vinea aliena, ſi laueris te Nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua*

tua coram me dicit Dominus Deus. Hæc est pseudochymicorum digna absolutio, ac tanquam peruersitatis pæna, Chymico, eoque fermè perpetuo igne digna.

CAPVT IX.

Medicina luget, se munificam & liberalem, sordido quæstu prostitui.

Liberalitatem pro affectu, benignitatem pro effectu beneficentiam dici solitam, (quam Valer. Maxim. lib. 5. humanitate & clementia tanquam duabus comitibus stipatam incedere innuit) virtutem esse beneficiorum erogatricem cuncti norunt: hæc autem Medicinæ adeò & adhæret, & adhærere debet, vt sine eâ nulla penitùs sit futura; hâc enim ipsa sanitas, quæ ad benè beatèque viuendum tantoperè ab omnibus expetitur, & in quam omnis Medici ritè ac decenter operantis actionem tendere oportet, non conseruatur modò, verum etiam amissa restituitur ac reparatur, quod ipsum liberalitas seu beneficentia Medicinæ præstat, ea enim innumerorum beneficiorum tot tamq; insignia dona ab ipsius

Liberalitatis descriptio.

mundi exordio in hunc vſque diem de theſauris ſuis producens humano generi cumulatîm elargita eſt, vt nullus locus tam incultus tamq; Barbarus exiſtat, qui nō Medicinæ hac benignitate, beneficentia, liberalitateque vel gaudeat, vel gaudere poſſit, quîn & ipſi Medici hâc lege tenentur, omnibus vt benè, nemini verò malè faciant, ſed artis tā præclaræ munera fideliter diſpenſent ac diſtribuant.

Auaritia.

Largitionem hanc Medicinæ tam benignam, neſcio quis cacodæmonum introductis auaritiæ illecebris ſordidi quæſtus cupiditate contaminauit, vndè libera charitatis opera in ſeruilem famulatum commutata, tātum non raró Medicinæ dedecoris peperêre, quantum prius, cum ritè ac ex artis inſtinctu aut fine exercebantur, ſplendoris eidem attulerant; complures enim à nonnullis quæſiti ſunt modi, per quos ſi non mederentur ac mortalibus ferrent auxilium, ſaltem nummos emungerent, ac lucri dulcedine potirentur. Etenim non pauci cumulandæ pecuniæ gratia fictam quandam præ ſe ferre ſtuduerunt magnificentiam, vt quod artis dexteritate ſeſe conſequi nō poſſe ſciebant, ementito quōdam faſtu, ac arrogantia adeò obtegerent, vt nihilominus ex veſtitus apparatu, morum ac geſtuum concinnitate, ornamentorum corporis decore, ac iactabundi & ad aures titillantis

Vaſtus quorundā affectatus.

lantis

lantis sermonis aucupio, vel etiã propriæ laudis arroganter sibi sumptæ pomposa prurigine, populo magni fierẽt, maiorq; merces medicationis sibi numeraretur, vndè factum vt hi ipsi Cumano Asino aut purpuratæ Simiæ haud absimiles, oculos quidem hominum sui admiratione non parum perstrinxerint, attamen in medicatione ipsa vel modicum effecerint, vel omninò nihil. Cũ enim multa doctrina prægnantes reputabantur, inani quadã superbia prætumefactos eos fuisse experientia prodidit, vt quos non præstitum opus, sed opinio ad existimationis alicuius culmen euexerat, per quam plus in medendo apud gẽtes ac ignarum vulgus præstitisse aut saltem polliciti fuisse visi sunt, quam scientificè ac veraciter, artem in mortalium commodum & vtilitatem exercendo, quomodo nostris quoq; temporibus circumforaneos illos pennata pileorum vanitate conspicuos, vestitus decore, monilium, torquium, togarum, annulorum, cristarum ac aliorum corporis ornamentorum vastu non sibi modò verum etiam mendacijs suis fidem aliquam ferente, auctoritatem, valoremque conciliare cernimus, de quibus rectè dici queat illud Socratis, *Vtres quidem inanes spiritus distendit, stultos autem opinio.*

Cumanus Asinus.

Circumforanei.

Sunt sanè omnes ij Medici vtres inanes,

qui non ex arte, ſed aliundè auctoritatem ſibi parere nituntur, pro doctis enim ac peritis ars ipſa, & partæ tot hominum ſalutes loquuntur, aliorum autem laudes vna cum veſtitu attritæ conſumuntur, tandemque omne ipſorum artificium ex pomposo quodam vaſtu per exteriora quædam vulgi ſenſibus accommodata placita, non autem ex medendi peritia dependiſſe deprehenſum fuit; vulgus enim communiter inſanos ſapientes, & ſapientes inſanos dicere ſuo iure didicit, quod quidem ideo euenit, quia falſa pro veris veraque pro falſis reputat & reponit. Nihil autem eſt à virtute, vel à veritate remotius quàm vulgaris opinio, vndè Hippomachum tibicinem cum diſcipulum, quem tamẽ ipſe contra artis præceptiones peccare cognoſcebat, à plebe laudari cerneret, baculo tactum deſiſtere iuſſiſſe referunt, anxium erroris argumentum eſſe reputans, quod ab ignarâ turbâ laudaretur; ſicut Diogenes ait, *vaſtus tanquam paſtor quoquô libet vulgus hominûm ducit*, verumque eſt protritum illud adagium, *mundum opinionibus regi.* Attamen hæc ficto quodam modo extrinſecus tantum apparent nulla intus certitudine gaudentia, aut artis præceptione ſtabilita, quam quidem apparentiam accuratè tetigiſſe ac taxaſſe viſus eſt Democrates ille, cuius ſententia non parum huc quadrare videtur:

Ars manet, vane ſcit porrò arrogantia.

Mundus opinionibus regitur.

detur: hic enim cum iam ſenex Athenis in arcem perquam anheloſus aſcenderet, idem ſe agere quod vniuerſa Athenienſium ciuitas facere ſoleret, dixiſſe fertur, nimirum *ſe magnum quidem ſpirare, parum autem valere.*

Accuratū Democratis dictum.

Nec minus & hi, qui proprias laudes cumulato verborum elogio gloriabundi prædicantes, obſtrepero quodam ſono non aliter quàm Syrenes, hominum mentes ad ſeſe alliciunt præmij capeſſundi ſpe, non autem ægri iuuandi zelo (niſi id vel conſolationis, vel exempli, vel conſilij ratione fiat) exagitari videntur, vtpotè qui medendi rationem non in re ipſa aut medicatione ad ſalutem præſtandam neceſſaria, ſed in fabuloſa quadam ſermocinationis amplitudine collocaſſe putari queāt, quam tamen Celſus ad Medicinam parum facere docuit, morbos non eloquentiâ ſed remedijs curari liberrimè & vero rectè aſſerens. Atqui verò vanos hos de ſeſe rumores ſpargentes, ſuasque hinc indè laudes multa amplificatione pro gloriæ ac indè ſubſequentis lucri aucupio decantantes, Seuſippo illi Athenienſi ſimiles planè eſſe videntur non immeritò, qui præmij ſpe in Macedoniam vſque profectus, in Caſſandri nuptijs frigida (vt aiunt) poëmata recitauit. Laudauit Virgilius Iapim antiquiſſimum illum Medicum quod inter dona ab Apolline ſibi oblata Citharæ ni-

Seuſippus Athenienſis.

Iapis. Dona Apollinis.

mirum, ſagittandi peritiæ, ac augurij, Medicinam elegerit, reliquiſq; prætulerit, quam ſine iactantia aut gloriæ ambitioniſúe aucupio exercere voluit, vt ex his verſibus patet.

Ille vt depoſiti proferret fata parentis,
Scire poteſtates herbarum vſumq́ꝫ medendi
Maluit & mutas agitare inglorius artes.

Medicina cur muta dicta.

Vocatur autem ars Medica muta, eò quod tota eius vis magis in dextro remediorum vſu, quam in dicendi peritia, facundia, vel loquacitate conſiſtat, vndè Damaſcenus: *Medicum efficacem eſſe oportere in opere, non loquacem in ſermone* rectiſſimè ſcripſit.

Ex hoc autem quo lucri & non charitatis cauſa medicari cæptum fuit, Medicina tam liberalis & munifica, tanquã ingenitæ ſuæ virtutis immemor, aut à propria ſtirpe deflectẽs, vel degenerans, auaritiæ cupedijs illecta, à priſtino vigore deſciuit, hinc non iniquè Cicero in Oratione pro P. Quinctio memorat, nullũ eſſe officiũ tam ſanctũ atq; ſolemne quod nõ auaritia comminuere atq; violare ſoleat, hæc enim, vt Baptiſta Fulgoſus ait, *vrgens ad omne ſcelus calcar exiſtit*, vndè magna hominũ pars cenſus, honores dare reputans lucrum pudori prætulit, atqui vtinã non in Medicina hoc fieret, in qua & circa quã nonnulli verſantes, ſeipſos dummodo magni fiant non conſcientia tantũ, ſed & proximos exſpectato ſanitatis auxilio,

xilio, quale per Medicorum aliorũ magis forſan peritorum opem prẹſtari potuiſſet, iniquè perſæpè priuarunt, quando in grauioribus periculis, ſibi ipſis fidentes ac ne inani gloriolæ quidquam decederet, aut ob ambitionem, ac proprij vaſtus cupidinem, doctiores ſibi adiungi non modo non poſtularunt, verum etiam oblatos non admiſerunt, ſed à conſilio remotos, repudiatoſque, tanquam ſibi ſoli ſufficere poſſent, excluſerunt, ac ſi nullius vel admonitionis in tanta iudiciorum difficultate, vel reprehenſionis in tam magna experimentorum incertitudine, aut ſubſidij, in tam præcipiti occaſionis lubricitate, vnquam neceſſe ſint habituri, auctoritatem quæ ſcientiæ ac arti poſt DEVM debetur, ſibi adſcribentes, propriam verò laudem, ex qua deceptio præſumitur ſine verecundia & virtutis amore vaniſſimè imitantes, neſcij illius peruulgati adagij *propria laus ſordet*, quod erudito carmine ſic concinnè expreſſit, Verinus Michael,

Medicorũ ambitio.

Propria laus ſordet.

De te alii narrent, proprio ſordeſcit in ore
Gloria, ſi taceas plus tibi laudis erit.

Fuêre etiam, & adhuc fortaſſe ſunt importuni ſimul ac immodeſti pecuniarum exactores, qui ægros continuis ſuis non modo ſordidis, verũ etiam odioſis petitionibus plus magis fatigarunt, ægroſque morbi magnitudine

Odioſa quorundam Medicorum petitiones.

ac ſymptomatum grauitate iam antea preſ-ſos, anheloſis ſuis exactionibus ab inſigni vel ſorditie, vel auiditate profectis, in maiorem calamitatem agere non erubuerunt, cum de morborum curationibus paciſcuntur, vndè plus quandoque ægros cura hæc cruciat, quomodo medenti mercedem præſtare, quã quâ viâ à morbo euadere valeant. Talem quondam Medicum indeſinenter efflagitantẽ Philippus, cum ex vulneratâ clauiculâ malè haberet, nactus fuerat, cui, cum muneribus expleri non poſſet, Imperatorem inſuſurraſſe ferũt, *cape quantum libet, quandoquidem clauem habes.* Tales ſanè extremæ ſordis homines etiam Medicinæ obtigêre, qui in petendo ſemper parati nil niſi rapinas meditantur, vtpotè qui nihil ſuauius eſſe opinantur quàm accipere.

Philippus Imperator.

Sed & lucri quadam cupidine in extremam turpitudinem nonnulli adacti, quo plus ſibi mercedis numeraretur, ægrorum morbos vel mirabili dæmonis inſtinctu, vel auaritiæ illecebris pulſi protraxerunt, adeò, vt quam ægritudinem paucorum dierum ſpatio depellere potuiſſent, ac debuerant, ipſi curationis prorogatione in longius tempus diſtenderint, vt qui ampliora præmia ac largiora ſtipendia exindè ſeſe percepturos ſperarint, ſi diutius ægro (cui ſuam non vti decet feſtinam opem,

Morborũ protractio dilatioq;.

opem, ſed fallacem præſtarunt operam) inſeruijſſent, quem tamen ipſi diutius dilato auxilio, doloris perſeuerãtis diuturnitate, mortis formidine, ac ſalutiferæ ſpei, conſolationis demptâ dulcedine, atque inſuper carentiâ voluptatis illius quæ per ſanitatem obtinetur, excarnificarunt, quorum quidem vitium non fraus tantum ſimplex, ſed furti, imò & latrocinij principium aut ſpecies exiſtit.

Atqui verò eouſque progreſſa eſt hominum proteruitas ac petulantia, vt morbos & pericula fingere nõ dubitarit, vndè credulum vulgus, plerumque autem diuites, inani metu percellere nonnunquam ſunt aggreſſi, Apoplexias, Epilepſias, Hydropes, aliosque grauiſſimos morbos hominibus imminere mendaci planè linguâ præſagientes, à quibus pro præſeruationis conſilijs magna pręmia extorſerunt, cum enim ab imminentibus periculis ſibi metuerent, auxilium ab his petendum aut magno pretio ab his coëmendum rati ſunt, quos pro prophetis ac nuntijs futurorum periculorum ſuſpexerant, adeò in Medicinam ſeſe dolus ac deceptio intruſit, vt ſub boni ſpecie fraudes diuenditæ, ac ſub auxiliandi facie depilandi & loculos emungendi rationes ac modi vagari fuerint deprehenſi, vtinam nõ permiſſi, vndè ſi quando vel leue ſabulum in vrina conſpectum fuit, mox lapidem, noua-

Incuſſi à Medicis hominibus inanes timores.

culis exſcindendum ſubeſſe comminati ſunt. Quod ſi verò vilis ab empta Medicina vtilitas affulget, his omnis Thraſonũ turba applaudit, cum tamen medicamentũ vix ſemen quoddã Lappæ, aut Bardanæ, vel aqua aliqua ſine lege exhibita, multo tamen pretio ab his expilatoribus redempta, extiterit. Hoc igitur medicamentũ ne ſabulum in calculum concreſceret vel in veſicæ lapidẽ coaleſceret præcauit, hoc ægrũ tot annis ab Iſchuria, quâ nondũ laborare cæperat, præſeruauit, hoc nõ alia miranda præſtitit, quã ea Medicina quæ trabẽ ex oculo depulit, quæ nondũ feſtuca fuerat. Mira profectò perſępè admiratio nos ſubit, quando non ſolũ hos ac eiuſmodi prædones, adeò effrenes, inuerecundos, temerarios, & audaces eſſe cernimus, hominibus mortes vt comminentur, vt oblatis inanibus periculis, mentes eorũ perculſas captitent, quo ad vitã ſeruandã, nullo adhuc in periculo conſtitutã, tã inania, & nõ niſi ad lucrũ parandũ excogitata remędia, tantis ſumptibus cõparent, nullo ſibi vſui futura, cum in alios (quã hi falſificatores prædixerant) morbos ſint proniores, euenit enim vt cui Hydropẽ venturã, aut Tabẽ periculũ laturã pręmẽtiti ſunt, is ipſe Paralyſi, Colica, aut Maligna febre, vel Apoplexia aut alio aliquo morbo poſtmodũ perierit. Scimus homines eò deueniſſe, vt cũ ſibimet omniũ optimè

Pſeudo-medicorũ temeritas.

nè proſpicere vellent, nunquã magis contra propriã vitam ac valetudinẽ decertarint, nouimusq́; nõ plebeios,nõ ignaros, ſed magnates,& multa rerũ perſpicacitate ac prudentia celebres ac claros adeò hoc caſu dementatos fuiſſe,vt corpus dũ ſani eſſent plus afflixerint, quã cum grauibus ægritudinib. premebantur, multoq́; tunc maiora in pſeudomedicos & emunctores hos præmia locaſſe, quã in ſuos fidos ac peritos Medicos,(quorũ opera auxiliãte Deo è lethalibus morbis emerſerunt,) contulerint. Exempla prout otioſa ita etiã odioſa prætereo, ſufficiat hic non improbitatem ſolum eorum pſeudomedicorum,verum etiam eorum puerilem credulitatem taxaſſe, qui cũ ſani eſſent,vt nummos numerarent, ad pharmaca ſumenda perſuaſi, deteriores longè quã antequam his vterentur effecti fuerunt ſumptis pręſertim purgationibus,aut paſtillis turbatorijs,vel aliter aluum enormiter mouentibus medicamentis,dicente Hippocrate, ſanos à pharmacis purgantibus facile exolui,Medicina enim corpus alterat ac immutat,cùm ſano corpori non debeatur niſi nutritio ac conſeruatio, vndè non mirum, ſi mihi qui prius ſani fuerant,à talibus medicationibus reuertentes haud ſani, ſed minus quam antea ſani obtingant,& pluries obtigerint.

Et verò, neſcio quo fato, tantum ius in Medi-

Medicinam obtinuerit auaritia, vt in ipsos quoque Deos excursum fecerit, eorumq; laudes ac titulos non parum obscœni præconij turpitudine coinquinarit, tametsi enim Æsculapius inter Deos semper fuerit habitus, cum tamen auri cupidine detentum fuisse Pindarus tradidit, sic de eo canens,

Æsculapius auarus.

Aurum illi nimium, pretiosaq; munera curæ

Horrendâ indè pater diuorûm concitus irâ

Contorsit fulmẽ, animamq; è corpore vulsit.

Nec tamen in his auaritiæ insatiabilis malitia conquieuit; reperti sunt enim complures, qui experientiolas aliquas nullis forsan rationibus innixas nacti, easdem studiosè custodire, celare, velare, ac abscondere studuerunt, non quò arti honorem, sed quo sibi lucellum aliquod maius compararent, vt quod sine speciali eorum consensu, voluntate, ac deceptoriæ liberalitatis munificentiâ remedium obtineri non posse putabant, ægri præmijs ab ipsis celatoribus tanquam ex captiuitate redimerent. Atque hi quidem omnem veterum Medicorum morem ac modũ penitus exuisse videntur non immeritò, qui vt apud Strabonem, Herodotum & Plutarchum in libello λάθε βιώσας legitur, ægros suos in publicũ protulerunt, eosque sic vicis ac plateis expositos publicisque in stratis locatos deposuêre, quos præ-

Veteres ægros persanatos in vicis ac plateas exponebant.

præterire piaculum erat, nisi quis prius simili morbo correptus qua ope, quoúe remedio aut medicamine conualuisset, ægros iam dictos in lectica decumbentes edocuisset, erudiissetque, erantque tunc temporis optima, quæq; securissima & vsu quàm maximè probata medicamẽta in delubris ac templis Deorum publicè consignata vt quilibet salutis ac incolumitatis suæ argumentum indè capessere posset. Contrarium autem nunc planè hi faciunt qui si aliquod adepti sunt medicamẽtum, vni, vel duobus ægris quod profuit, id vel omnibus pari ratione profuturum ineptè sibi pollicentur, vel vt nulli amplius prosit, celant ac abscondunt, & sunt quandoque talia eorum secreta vix secreto cloacæ ergastulo digna, apparetque eiusmodi experimentatores aut inuidos, aut auaros semper existere; inuidos quidem quia si ars ea, quam tenent, bona est, scimus bonum esse communicatiuum, quod si inuidi esse nolunt, auaros vt sese fateantur necesse est, vt qui non aliâ quam lucri ratione remedium celent, cuius adminiculo præ cæteris ab ægro aliquid emungant, cum tamen veri Medici pluris faciant, ægrorum vtilitatem honestamque famam, quam lucrum, satis præmij se tulisse credentes si infirmos iuuerint ac ad pristinam sanitatem reduxerint.

Medicamentorum celatores.

Atqui

Atqui aucupum horum quidem patria inſcitia eſt, domus autem ſordities, qui enim inprimis auxiliorum obtinendorum modi à Rationalibus quæſiti ac adinuenti fuêre, ijdem, ab Empiricis poſtmodum obfuſcati & ſtudioſa inſcitiæ aut petulantiæ caligine tecti deliteſcere cœperunt, & quæ ratione duce partæ ſunt Medicinæ, quarum indagines & effectus pro communi mortalium vſu & publico cōmodo creſcere debuiſſent, eædē ab Empiricis iam dictis planę mechanicis operarijs clam retentæ multiplicem frugem nō attulerunt, ſed tanquam lucerna ſub modio poſita, & ſicut talentū abſconditum nihil ſupererogationis aut lucri peperêre, ſic inepti hi pro ſui forma pumiliones nutrierunt, qui gigantes educare potuiſſent. At dicent fortè, medicamina diuulgata non modo profanari, ſed etiam exindè vileſcere: quæro ego, vtrum ſit melius, medicamentumnè vt multorum, qui hoc vſi ſunt, commodo vileſcat, an verò vt plurimorum detrimento ſuam auctoritatem retineat? non hoc, medicamēta enim ſunt propter homines, at propter vnumquodq; tale eſt illud magis tale; non illud: quia ſi multorū vtilitate paſſim vſurparetur, non vtiq; vileſceret, imò gloria ac rumor eius plus magis augeretur, reſtat igitur vt vel per inuidiam ſecreta ſua opinatiua quandoq; & imaginaria, (quæ ſecretis,

Medicamēta ſunt propter homines.

id eſt

id est cloacis debentur) tanta diligentia recō-
dant, aut ob auaritiam, quæ Empiricæ sectæ
cognata quædam est ac nutrix, eadem tanto-
perè celent. At quæ quæso hęc est sordities? ob
triobolare lucrum amici ac proximi charita-
tem negligere, boni viri officium deserere,
publicum commodū voraciter deglutire, bo-
numq́;, quod commune esse debet, quodam-
modo suffurari? Dicunt insuper, fieri posse, vt
homines sibipsis mederi volentes periculum
incurrant, propterea se sua arcana & medica-
tiones adeò studiosè sacco conclusas custodi-
re: respondendum his, prudentes vtpotè qui
non amant periculū in quo sint perituri, nun-
quam sine exercitati Medici suasu, aut doctâ
deliberatione hæc adhibituros stultos verô,
non nisi Medicorum instinctu & persuasione
pharmaca sumpturos, vt qui aliâs non modô
ab hac pharmacandi lege, sed ab omni disci-
plina sint alieni.

Et reuera nullos esse hos Medicos, patescit
ex ipsa cum Medici tum Medicinæ descriptio-
ne, si enim verum est physicum illud axioma,
cui conuenit definitio conuenit & definitium,
prout est verissimum, fieri non potest, vt hi
homines adeo nummis ac plutophiliæ addi-
cti, Medici nominari queant, cum Hippo-
crates verum Medicum non velit esse aua-
rum, sed philosophū opum contemptorē, sic

Plutophilia.

enim

enim libro de Decenti ornatu ſeu de Elegantia ſcribit. *Oportet ſapientiam transferrè ad Medicinam & Medicinam viciſſim ad Sapientiam: Medicus enim Philoſophus eſt DEO ſimilis. Non enim magnum diſcrimen inter ipſos eſt. Etenim cuncta quibus ad Sapientiam opus eſt, Medicinæ inſunt: Pecuniæ ſcilicet contemptus, turpitudinis fuga, erubeſcentia, modeſtia in veſte & habitu, auctoritas, iudicium, quies, obuiamitio, puritas, ſententiarum elocutio, cognitio luſtrationûm ad vitam vtilium & neceſſariarum, fuga mercimoniorum, & ſuperſtitionis, dignitas diuina. Habent enim quæcunq; requiruntur ad coercendam intemperantiam, deceptionem, ex ambitioſâ & ſordidâ profeſſione inſatiabilem, concupiſcentiam, rapinas, ac impudentiam.* Hæc Hippoc.

Elegantiſſima Medici ex Hippoc. deſcriptio.

Neq; verò his ſolus abuſus vt periculũ aduenit, ſed & alijs rebus quàm optimis ac ſecuriſſimis. Vndè ſorditiem hanc deponẽtes magni olim Reges, Duces, Principes, Magnates ac Sacerdotes arcana ſua Reipub. Medicæ reuelarunt, æternam exindè nunquamque interituram gloriam & memoriæ famam adepti. Hi autem nummorum expiſcandorum modi, & tot diuerſæ ſordidi ac dolo perſæpè parandi lucelli rationes, cum iniquis iſtiuſmodi prædonibus non ſatis ſufficere viderentur, non modo figmenta ſua (nullius vtpluri-

mum

mûm vtilitatis) celanda censuerunt, ne vel à prudentibus examinata è publico foro ac Medica aula proscriberentur, vel deprehenso dolo ipsi infâmiæ nota polluerentur, aut prodita propria inscitia cunctis despectui fierent, ac ab omnibus ludibrio haberentur, verum etiam medicamenta ipsimet, vt nullorum iudicium subire teneantur, præparare cæperunt, vndè noua protinus saccatorum quorundam Doctorum schola enata, innumera penè furta, rapinas, ac deceptiones intentans, milleq; circumueniendi præceptiones quasi documenta colens. Eius enim asseclæ morborum cognitionem vel minimam quandoq; tenentes, sese auxilium ægris præstituros, ab omni veritate aliena ac mendaci planè lingua inprimis polliciti, & Empirico supercilio nescio quas occultas experientias magno præconio ac multa honoris præfatione decantantes vana cumprimis spe ægros lactarunt, eosque non conuenientia tantummodo remedia, quibus exoptata salus reparari potuisset debuissetque, verum etiam iustas ac commodas medendi occasiones negligere fecerunt: atque interim ipsi nummis ac præmiorum aucupio inhiantes, pharmaca sua, quę sacco plerumque conclusa secum circumferre consueuerunt, à sese parata esse affirmarunt (eò quod de pharmacopæorum & seplasiorum

diligentia plurimum diffidant) eaque singulari studio, ac multis non tam diurnis quàm nocturnis laboribus & vigilijs, maximis sumptibus, ingenti periculo, innumeris fastidijs, ac præparationum sudoribus infinitis sint comparata, quibus hyperbolica laude (vti sibi videntur) condecoratis, vel ignota penitùs nomina fingunt, adscribunt & indunt, vel prægrandibus titulis, vt sic deceptioni opinionem aliquam concilient, & furto suo obtegumentum præparent, ea condecorare nituntur. Vndè alius Turbethum minerale tõsoribus, balneatoribus, ac in triuio habitantibus notum, pro Mercurio vitæ magno pretio diuendit. Alius Corallium in calcem redactũ pro opifera quadam Panacæa magna mercede coëmendum proponit: hic aquam vitæ croco tinctam pro auro potabili proclamat: ille ferri præustam lanuginem, quam Crocum Martis appellant, addito aliquo fucco pro auri tinctura inscijs datam, pro multo ære paucа dosi venundat: alij alias fraudes comminiscuntur, atque sic Medicina, vt cum Ierem. Proph. ca. 1. Lamentationum suarum loquar, *princeps prouinciarum, facta est sub tributo.* Factum enim, vt quo quis in dolis inferendis promptior extiterit, eò plebi euaserit gratior, imò etiam habitus sit doctior, vndè meritò cum Ouid. 6. Metamorph. exclamandum.

Plebis deceptio.

Pro

Pro superi, quantum mortalia pectora cæcæ,
Noctis habent, ipso sceleris molimine Tereus
Creditur esse pius, laudemq́; à crimine sumit.

Fouentur hi à magnatibus impostores, ac in aulis in hominûm pernitiem nutriuntur, cumulantur honoribus, præmijs amplisque afficiuntur stipendijs, vbi se Principes deceptos sentiunt, nullam eis pænam irrogant, ne sese deceptos fuisse agnoscere ac fateri cogantur, vndè illa tanta sceleratorum propago germinat.

Principes decepti.

Contemptrix superûm, sæuaq; auidissima cædis.

Quibus singulis Virgilianum illud 4. Æneid. meritò obijci ac insussurari debeat.

Non tibi diua parens generis, nec Dardanus auctor,
Perfide, sed duris genuit de cautibus horrens
Caucasus, Hircanæq; admorunt vbera Tigres.

Veruntamen mundus in maligno positus, ita tractari & vult & debet, vt consimiles cum asino problematico habeant labra lactucas.

CAPVT X.

Medicina luget, ſe ſanitatis quondam reſtauratricem, nunc loculorum emunctricem alieno & prauo hominum affectu effectam.

HVmanum genus ob primi parentis crimen in lethi neceſſitatem actum, variarum calamitatûm interuentu, morti tandem ſuccubiturũ, cum ſine principio rerum principium DEVS cognouiſſet, ne iuſtitiæ deeſſet miſericordia, ſed hæc illam nonnihil temperaret, ac mortalium ærumnas ſolaretur, pro pellendis quibuſcunque morbis placandisq́; doloribus, ac leuandis omnis generis infirmitatibus ex infinitis bonitatis ſuæ adytis Medicinam produxit, & remedia extare voluit, quæ hominibus in periculorum anxietatibus conſtitutis auxilio eſſe, & ad quæ hi vrgentibus malorum tædijs confugere poſſent. Hinc igitur primo ſæculorum æuo Medicina ſibi vniuerſum mortalium genus beneficiorum multitudine in tantum deuicit, vt poſt Deum nihil magis quam hæc ipſa quæ annexam ſibi ſem-

Dei miſericordia.

ſemper ac famulantem habebat philoſophiam coleretur, erat enim ea vt Claud. Poeta ait:

Publica morborum requies commune medentûm
Auxilium, præſens numen, inempta ſalus.

Nouerat hanc eximiè in ſua adhuc innocentia perſiſtens Adamus, cunctarum plantarum vires tunc temporis eximiè callens, eius autẽ ſcientiæ licet aliquam, rudem tamen tantummodò & adumbratam cognitionem poſt lapſum retinuit, quam eandem multa poſtmodum induſtria, ſtudioſiſq́ue animaduerſionibus redintegrare conatus eſt, & in quantum humanæ mentis acies, terreni corporis pondere depreſſa ſeſe extollere potuit, in abſtruſis naturæ negotijs ac facultatibus rerum naturalium indagandis, multo labore deſudauit, & indefeſſa quadam diligentia vna cum poſteris ſuis verſatus eſt, à quibus quæ cuiq; rei vis ineſſet, multum ſtudij eſt inſumptum donec medicamentorum vires, ſaltem aliquas, rurſus perdiſcerent,

Adamus Medicinã calluit.

——— & ſuccos atq; auxiliantia morbis
Gramina, quo nimius ſtaret medicamine ſanguis
Quid faciat ſomnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibẽda lues, quæ cederet herbis.

Stat. 2. Achill.

Fama Medicinæ solennis.

Itaque Medicina reperta familiariter cum humano genere adoleuit, maiores ſibi vires per experimentorum multiplicium fidem adſciſcens, eratque hæc eo comitatu adeò decora, vt omnium votis ac optatis expeteretur, nam & Barbaras gentes plurimum ſibi deuinctas reddidit, vt quas vel doloris acerbitas ad eius amplexum impulit, vel ſanitatis perfruẽdæ ſuauitas ad eius vſum hortata eſt, ac incitauit, poſtquam quo bono carerent, vel qua commoditate f. ui poſſent ex aduerſis didiciſſent, etenim vt Firmianus libr. 2. cap. 9. ait. *Vt opulentia bonum videatur, auctoritas egeſtatis facit, & gratiam lucis commendat obſcuritas tenebrarum, valetudinis & ſanitatis voluptas ex morbo ac dolore cognoſcitur.*

Medicina ab auaris Medicis nauus inuſtus.

Veruntamen Medicina iam dicta non diu in hoc ſuo decore perſtitit cum enim primûm auaritia, ac hominum temeritas proteruitati iuncta, vna cum vaſtu ac æmulatione ſeſe arti intulit, abolitis charitatis legibus, mortalium plurimorum animos à ſe alienos reddidit quos ſibi prius benefactis deuinxerat, qui enim Medici ægros olim ſolabantur ac morbi vel malitiam, vel magnitudinem fidis præſidijs tutò ac ſecurè reprimi poſſe veraciter pronunciarunt, nunc quo maius accipiant præmium, aut plus opis præſtitiſſe videantur malè feriato quodam laudis ac æris aucupio,

cupio, leuiores morbos ſummo haudquaquam periculo carere falsò aſſerunt, ac facilem ægritudinem aut ſimplicem ſolûm alterationem, cui vel ſola Diæta ſubuenire ac pro medela ſufficere poſſet, ita exaggerant, ita extendunt, & neſcio quibus ambagibus conquiſitis amplificant, vt non magis comminatæ mortis metu, vitam ac valetudinem, quam ampliorem mercedem ab ægris extorſiſſe videantur, qui in bonam ſpem erecti, promptius mercedem numeraſſent, niſi inani hoc metu perculſi, timoris moleſtias magnam metus anxietate tolerare ac ſufferre coacti fuiſſent, in quos Medicos fruſtraneum terrorem ægris incutientibus quadrare videtur illud Martialis lib. 11. in Teleſphorum.

Quid ſi me tonſor cum ſtricta nouacula ſupra eſt
Tunc libertatem diuitiasq; roget?
Promittam: nec enim roget eo tempore tonſor,
Latro rogat; res eſt imperioſa timor.

Sed & alius expiſcandorum nummorum modus ab eiuſmodi plutophagis eſt repertus quo Medicinam decore ſuo priuent ægroſq; in inutiles ac ſuperuacuas expenſas præcipitēt vix vnquam è pharmacopæorū cautionibus, emerſuros, hi enim cum primū ad ęgrū vocati

Medicamentorum caritas seu pretium.

nondum ferè cognito morbò tot tamq; cara medicamina confestim præscribunt, vt æger eorundem assumptioni non modo non sufficiat, sed & pretium eorum haudquaquam ferre queat, vndè plurimi à Medicina sunt alieni eamque tanquam depilatricem auersantur, vt quæ loculis ipsorum insidias struxisse sit visa, complures enim qui prius morbo angebantur hoc ipso adhuc surgente, progredienteque, nedum absoluto, nunc debitis ob pharmaca persoluendis magis, quam ægritudine quandoque premantur, cum tamen luxus ille medicamentorum non tantum sit inutilis, dummodo non esset vel superuacaneus vel nociuus, præsertim cum naturæ sæpè gratius sit medicamẽtum simplex aliquod, quam farrago pharmacorum sine ratione congesta, etenim vt Ouid. 2. de Rem. Am. ait:

Auxilium multis succus & herba fuit,

Inutiles ac superuacua expensa.

Et sanè plurimum sese præstasse nonnulli arbitrantur, si ægrum tantillo morbo leuantes, in maximas expensas præcipitem dederint, ac si omnis medicandi dexteritas in præscriptorum multitudine & caritate foret posita, vnde maximum morbum expugnasse videri possit Medicus, qui tot tamque præclaris remedijs tanto sumptu comparatis sit vsus, vt tantæ molis fuerit, ægritudinem eam, quæ vel obuia quædam febris fuit, aut ventriculi cruditas,

ditas, tantis præſidijs eliminaſſe. Non video id ipſos ab Hippocrate didiciſſe, qui pauculis radicibus, ptiſana, aquâ mulsâ, ac vilibus quibuſdam herbulis grauiſſimos morbos, quos hi licet tanto medicamentorum cumulo circumdati aggredi necdum auderent, depulit, & tamen immortalem gloriam ac perennem famam indè nactus, vniuerſo orbi innotuit. Adeuntur regna diſtantiſſima, & regiones orbis extremæ, ex quibus non leui crumenæ diſpendio ignota medicamina petuntur ac trãſportantur, quæ magna ſollicitudine, ad appulſionem Barbaræ ratis expectantur, his obtentis, remedia proſperæ valetudinis ſtatu ac tempeſtate conſumuntur (quod Cornelius Celſus vetuit) per quæ in caſu neceſſitatis miracula præſtare licuiſſet, deuoratis tempore ſecuritatis tot virtutibus, quibus in grauiori periculo conſtitutus æger poſtmodum indiguiſſet. Videtur autem tantus medicamentorum cumulus, ſæpiſſimè nõ ad ægrum iuuandum, ſed ad oſtentationem potius comparatus eſſe, vt Medicus ſuam inſcitiam multitudine remediorum facilius tegat, quando eum nihil non tentaſſe, cuncta ritè decenterque, & ad binam nauſeam pro ſuperflua cautione præſcripſiſſe vulgus opinatur vndè nihil non ad manum fuiſſe ſed copiosè cuncta præſtita reputat, quia ſanationis dexteritatem in re-

Hippocratis vilia remedia.

Cornelius Celſus.

Oſtentatio Medicorũ per copioſas Medicinas tentata.

mediorum pluralitate plebs ponit, Medici interim consilio nō in rectà medendi intentione, sed in plurimis præceptis ægrum quãdoq; morbo grauius habentibus persistente, atque indè eius per pharmacorum multitudinem tecta delitescit inscitia, qui quãdoq; vix vnius quod præscripserat Medicamenti, veram, genuinam & è veris fundamentis Medicæ artis erutam rationem reddere posset. Inutiles hæ expensæ ægrum plus morbo quandoque grauant, exhorrescuntque suptuum pauore languentes, quoties Medicinam cogitant, quam semel forsan experti, tanti sibi constitisse reminiscuntur, maluntque nonnulli sine medicamentis mori, quam cum tanta pharmacorum suppellectile ac hæredum suorum dispẽdio perire.

Inutiles expensæ.

Quid si etiam reperiri possent nonnulli in ægrorum præjudicium cum seplassarijs ac pharmacopęis pacta quędam circumuentiosa instituentes? quorum intentum non ægri salutem sed propriam vtilitatem concernens, magno ægrotantium dispendio, fraude ac auaritia nutriretur. Etenim vocatus Medicus, in tanto tamq; numeroso pharmacorum in officinis contineri solitorum cumulo delectũ habens, cui Terra Lemnia ad ægro salutem comparandam sufficere potuisset in pharmacopæi gratiam, cuius lucri is quoque quandoque

doque compos fieri creditur, lapidem Bezoar, aut medicamen aliud maximo ære redimendum præſcribit, neq; hîc juuare videntur radices illæ cordiales Dictamni, Pimpinellæ, Doronici, aut Carlinæ, ſed expetuntur eorum loco Margarittæ, Smaragdi, Rubini, Hiacynthi, aut de cornu Monocerotis nondum fermè à nobis viſi ramenta.

Quod verò præſtare poſſet Iuniperus, Terebinthus aut Larix, id ex Cedro, Platano aut exoticâ Paliuro (vtpotè ſua raritate non ægro plus vtilitatis ſed pharmacopæo plus lucri allatura) medicamentum petitur, vt ſic ſanè ſpeciosè (ſi tamen id fortuna ac virtus tam ambiguorum pharmacorum concedit) æger ſaneſcat, pingueſcat, ſimul autem ſpeciosè medicamina parantis aut diuendentis ſeplaſiarij loculus ſeu crumena tumeſcat ac fermè crepet. Sic aliquando ab Indis, Perſis, Græcis, Arabibus ac extremis Garamanthis deuecta medicaměta expetuntur, quorũ vires aut itineris injuria attrittę, aut ſitu diuturno euaneſcibiles effectæ, aut teredine corruptæ, aut diuturni tēporis tractu extenuatæ, atq; ſic à natiua ſua facultate plurimũ degeneres redditæ curationē ritè licet inſtitutã ſuo fructu defraudãt, eoq; emoluměto ꝙ indè exſpectari debuerat potueratq;, priuãt. Vileſcit nobis Acetoſa quia frequens, Abſinthiũ quia cōmune,

Fuma-

Fumaria quoniam copioſa, Sambucus quia vulgaris, Saluia quia popularis, Ruta ac Iuglans quoniam in triuio ſita reperitur; Æſtimatione verò pollent Citri, ac Limonum ſucci vt peregrini, ita plus nobiles, Scordiũ Creticum vtpotè nobis haud ita familiare, cum noſtrum ſit longè amarius ideoq; potentius, Myrobalani quia longè petiti, Lignum Rhodium, ac Aſpalathus vt peregrè allatus, Stæchas vt Arabico ſtemmate oriunda, Chyna, Scorzonera, ac Contra Ierua, prout aliena ita alienis viribus præ noſtris patritio adhuc ac natiuo robore gaudentibus efficaciora pleriſque putata. Nolim autem hic Medicinæ, cui totus terrarum ambitus famulatur ac maris abyſſi miniſtrant in conquirendis omnis generis medicamentis diligentiam reprehendere, ſed eos tantummodo perſtringere, qui popularem morbum popularibus remedijs pelli non poſſe ſibi perſuadent, eaque medicamina pedibus conculcant, quæ ſucculenta ac recentia iam dudum ſunt, eliguntq́ue ea, quibus aridet nonniſi longinqui itineris æſtimatio, aut nomen aliquod peregrinum vel incognitum fidem aut potius opinionem ignotam conciliauit.

Et iam verò diſquiſitioni huic præcipuos Medicæ facultatis vaſtatores, deturpatoreſq́; auaros reprehendenti finis imponendus, ſi modo

modo examinati prius forent Seplasiarij, A-
romatarij ac Pharmacopæi pro veris medica-
mentis falsa, pro genuinis adulterata pro pre-
ciosis vilia, pro raris communia, ac deniq; pro
vtilibus & tutis inutilia, haud parum tuta vel
secura, imò noxia substituentes, atque sic nō
Medicum modò sua intentione, verum etiam
ægrum magna valetudinis iactura ac dispen-
dio, suo commodo, ad quos ouans adspirat,
priuantes, vt sic vita persæpè hominum ambi-
guo pharmaco sit credenda: vndè cum ex ta-
bula illa, *Quid pro quo*, vocata, medicamenta
petuntur, persæpè euenit vt etiam ea Quid
pro quo agant, vndè non raro cum morbum
pellere debuissent vitam depulisse videri pos-
sint: est autem fraus ea tam consueta, vsitata,
ac popularis vt eam iam vilipendant pharma-
copæi, & ex longinquo merces Apothecario-
rum deuehentes, Materialistæ nonnulli, Bar-
baro vti merentur titulo insigniti, tanquam
dolum agere virtutis sit futurum, igitur Bryo-
niæ radices pro Mechoaca, pro Zingibere, Py-
rethrum, pro Turbetho Esulam, pro Scamo-
nea Cucumeris agrestis ac Tithymali succum,
pro Rhebarbaro radicem magni Lappathij,
pro Opio succum Mandragoræ, pro Leuisti-
co Pastinacæ semen, pro Balsamo mixturam
ex Terebinthina distillata, aut Laurino oleo
ac Gummi Hederæ, pro lapidibus Bezoar la-
pides

Fraudes & adulteria Medicinarum.

pides ex factitia quadam pasta confictos, politos ac leuigatos, pro vnicornu asini Indici cornu, aut ossa balænarum ad littus reiecta, & arenæ attritu ac sabuli teredine striatam formam adepta, atq; alia ferè innumera multiplici dolo, fraude ac astutia adulterata diuẽdere non dubitarunt, quod longè antè nostras ætates aduertens Saladinus de Æsculo Aromatarium probum describit, has sequentes in eo conditiones requirens. Sic autem ait.

Aromatarius non debet esse puer, nec valdè iuuenis, neq; superbus, pomposus, aut mulieribus & vanitatibus deditus. A ludo etiam & vino sit alienus & sobrius, non intendens crapulis & conuiuiis vacare, sed sit studiosus, sollicitus, placabilis, & honestus, timens Deum & conscientiam suam, Sit rectus, iustus, pius & maximè ad pauperes. Sit etiam benè doctus & expertus in arte sua, non nouellus & rudis, quia habet tractare de vitâ hominum, quæ est rebus omnibus mundi carior. Non sit cupidus, nec auarus, nec extremus amator pecuniæ, ne videatur omnia pro pecuniis facere, vt auari faciunt. Non etiam vendat res cariori pretio quâm competit. quia melius est modicum iustè quam multum cum maledictione à pauperibus extorquere. Sit & Aromatarius fidus, maturus, & grauis, bonæ conscientiæ, vt prædixi, vt nec amore, timore, vel pretio

Aromatarii seu Pharmacopæi fidi descriptio.

præsu-

præsumat aliquid facere contra conscientiam. Et paulò post inquit, *nec præsumat Syrupos qui debent esse de saccharo, de melle facere, & similiter de confectionibus, quia ex hoc infirmus læderetur, & intentio Medici per contrarium verteretur.* Et iterum infra ait. *Quando etiam non habet aliquod simplex in Apotheca, & Medicus indigeat eo in aliqua recepta, nõ debet Aromatarius præsumere loco illius aliud simplex ponere, sc. ponendo quid pro quo sine licentia peritissimi Doctoris vel Medici.* Hæc ille: vbi pijssimum virum auaritiam in Aromatario penitùs damnasse repudiasseque cernis, vtpotè quæ ad omnis generis vitia viam sternat. Pharmacopæus enim ac Medicus conscientiam non aduertens, basilisco ac dracone existit perniciosior: hic quidem in præscribendis, alter in comparandis præparandisque pharmacis, quæ pro sua vtilitate non probè purgata, non selecta, non ritè digesta, nec deniq; iusto modo sese habentia venundat, proprio magis lucro quàm ęgrorũ saluti & attẽt⁹ & intentus. Sic igitur natiuũ Medicina decorẽ ex parte amisisse videri potest, vt quę antè hæc secula solis fidis Medicinarũ cõfectorib. ac pharmacopæis gaudebat, vtpotè qui nõ in artibus solũ, verũ etiam in virtutibus à Medicis instruebãtur exercebãturq;, prout videre est apud

Fides Medicorum ac Pharmacopæorum.

apud Mesueum, Saladinum iam dictũ, ac Bulchasin Benaberazerin, cuius medicamentorum fideliter præparandorum doctrina sub titulo libri Seruitoris à Simone Ianuensi interprete Abraham Iudæo translata, ad nostra peruenit tempora. Nihilominus tamen haud pauci reperiuntur qui sese nullis conscientiæ vrgentis stimulis à somno malitiei suscitari, nulla fide seruari, non vlla morum ac probitatis pietatisque doctrina instrui, nec vllas honestatis vias ac limites à fraudum tramite deduci permittunt, suis sedulò lucris inhiantes, quibus pecunia idolum, & opulentia Dea effecta est, quam omni honoris titulo præferendam censent; vndè nomen illud in Medicam quoque ignominiam cedens haud immeritò sunt sortiti, vt de ijs rectè dici queat, Medicos olim patres fuisse patriæ, nunc autem esse prædones.

CAPVT XI.

Medicina luget, se olim decoram extitisse, nunc lotio perfusam rancescere.

SOrdidi etiam Vromantes ac hircum olentes complures medicastri Medicam familiam

liam auaritia ac lucri cupidine polluerunt, aliud quodpiam idque ſatis fæcundum nummorum aucupium inſtituentes, quô de hominum ſalute ac vita ludendo, ſuum ipſi augerent peculium, atq; hi quidem magnâ turbâ in Medicinam ſunt ingreſſi, quam mendacijs, deceptionibus, dolis, fucis, cædibus atque innumeris nocendi modis ita deteſtabilem reddidêre, vt dubium ſit pluſnè damni ac noxæ, an verò opis & auxilij ab hac exſpectandum ſiet: quod ſanè hominum genus præ cæteris hoc habet vt Rempub. circumueniendo, deuaſtet, atque vt Virgil. 2. Æneid. verbis vtar, natum ſit:

Criminibus terrere nouis, hinc ſpargere voces
In vulgum ambiguas,

vndè factum, vt tam nobilis ſcientia, ac ars tam magnifica, meritò cunctis ſuſpicienda & honoranda in deſpectum abierit, & eius auctoritas apud plurimos euiluerit. Fœtidi namque hi artifices, cum Hebræis vſuras partientes, neſcio quod vaticinium omni ratione carens produxerunt, cuius ipſi profeſſores non, vt Apollo ex Tripode, ſed ex cloacis & matulis oracula ederent, cum qui cuique affectus inhæreant, quaué corporis parte languores deliteſcant inſpecto lotio ſeſe non diuinaturos, ſed veracitêr pronunciaturos promittũt.

Impudentia Vroſcoporum.

Vndè depoſita omni verecundia, ac proprij quoque honoris obliti, ſpretis etiam ac neglectis conſcientiæ ſtimulis, ob triobolaris lucri ſpem ex vrinæ intuitu non aliter quàm anus fatidicæ ex criſtallo præſentia ſeſe cognoſcere, præterita nouiſſe, futura præuidere ſimulant, cum tamen verborum ſolûm ambagibus ac loquacibus amphibologijs hominib. tamdiu blandiantur, donec damnum ijs inferant, & ad prurientes vulgi aures, multiſona garrulitate inſtar cymbalorum beneſonantiũ tinniant, cum tamen clangor ſermonis quẽ proferunt vix nolis ſtultorum ſit æquiparandus, etenim ex vaniloquijs, confictionibus, phraſibus hyperbolicis, iactantia ac mendacijs, & garrula verborum mole vtplurimum, omnis eorum Rhetorica conſtat, eò autem negotiũ hoc produxerunt, vt iam vulgi opinione & ſupercilio effectum ſit, vt ſolus iam pro Medico fermè habeatur, qui in hac ariolandi arte fortunatiſſimè, ac cum paucis mendacijs verſatur, in qua quo quis eſt indoctior, eo exiſtit ardentior, factaque eſt res hæc ex conſuetudine peſſima, vt quæ malefacti vſum temporis procraſtinatione introduxerit.

Atqui vt ex fundamento fraudem hanc vroſcopiæ detegamus, quidnam ex vrinæ inſpectione, ac quantum indè ſciri per artem queat diſquirendum. Eſt autem vrina *excrementum*

mentum aqueum ſecundæ concoctionis, vel vt Iſaacus, Actuarius, & Gordonius volunt, *colamentum ſanguinis & cæterorum humorum qui ex naturæ actionibus proficiſcuntur*. Serum hoc, ſeu aquoſa ſanguinis ſuperfluitas, à renibus per venas emulgentes attracta, per eoſdem tranſcolatur ac obliquo demum itinere per vreteres in veſicam defertur à qua poſtmodum excernitur.

Vrina quid.

Excrementum hoc aqueum ſui quidem fontis ac ſcaturiginis, locorumque per quæ deceſſit ſignificationem aliquam præ ſe fert & ferre poteſt, licet hoc ipſum non rarò ambiguè, deceptioſè, incertè, ac inconſtantèr euenire deprehendatur; decernit enim vrina propriè ea tantùm quæ in venoſo genere, iecore, renibus, vreteribus, ac veſica continentur, non item quæ in neruis, muſculis, capite, ventriculo ac inteſtinis hærere ſolent. Atque hoc cum ita ſe habeat prout meridiana luce clarius omnibus Medicinam facientibus innoteſcit, qua quæſo ratione tam quiſpiam ſtolidus reperiri poterit, qui vrinam cæterarum corporis partium ſtatum ac habitudinem cum quibus ipſa communicationẽ vllã nec habet, nec habuit, ſignificare credat? Idem enim eſt, ac ſi à nuncio ſcire cupias quid in Gallia, Belgio aut Hiſpania agatur, qui

Germaniæ fines non excessit, nihil is sanè respondebit, nisi vel fingat, vel mentiatur, vel ex aliorum relatione audita proferat, quæ omnia vel mendosa sunt, vel incerta.

Protestor autem me Rationales Medicos, nullatenùs hic perstricturum, ij enim non ex solâ lotij inspectione rem iudicant, sed ex alijs iudicijs, ad iudicium de morbo quouis ferendo requisitis, vndè vrinas ferentes fæmellas examinant & lustrant, quæ si culpam ægri spontè fateri noluerint, propriæ loquacitatis dictatione sese (etiamsi peruicaces fuerint) produnt. At vero Medicus prudens hæc facilè discriminat, namque accedunt Ephemerides quasdam petituræ, præteritorum factorum insciæ, vel culpam non fatentes, de futuris autem anxiæ, ideoque prædictiones à Medico, quem ad mentiendum persæpè cogunt extorquentes, si modo probum virum nõ deciperent, veniunt enim ad tentandum Medicum nûm ad vaniloquia paratus existat, hîc qualis crinis, quale capillitium, quis vestitus? quæ membrorum conformitas ac syntaxis, an æger claudus sit vel loripes, an mutus vel sonorus, an glaber vel hirsutus, an primigenius vel posthumus, an barbatus vel imberbis sit exigitur? idque à mulierculis, Medicum, virum publicum, & honestum, ac magnificum, sic examinantibus, qui earundem mulierculas

larum

larum obloquijs famam ſuam ac fidem quaſi pro falſa quandoque moneta proſtituere cogitur. Proindè peruetuſtus ille Gordonius in Lilio Medicinæ ſuæ, Cautelas circa Vrinæ inſpectionem aduertendas tradidit, quinimò Medicos quomodo ſeſe fallere vel decipere volentes eliminare, & dolo vel aſtu ſaltē prudenti eludere poſſint ac queant, docuit: *magnus enim eſt honor Medico ſi ſibi cauere ſciat,* quia multoties *interrogatur,* proindè eiuſdem conſilio *Medicus debet eſſe in cognoſcendo ſtudioſus, in præcipiendò cautus, & ordinatus, in reſpondendo circumſpectus, & prouidus, in prognoſticando ambiguus, in promittendo iuſtus, & non promittat ſanitatem, quoniam extirparet tunc dictum officium, & faceret Deo iniuriam, ſed promittat fideliter & adhibeat diligentiam. Et ſit in inueſtigando diſcretus, & diligens, in ſermone modeſtus, & etiam in aſpectu beneuolus: patiens vero debet eſſe in omnibus obediens.*

Gordonius de Cautelis Vrinarum.

Nihilominus tamen lucriones illi nihil opibus amplitudinem allaturam (quantumuis honorem perderent) intentatum relinquentes, credulo nimis ac proindè leui popello ſua ex vrinis vaticinia venditarunt, ex quibus curioſum vulgus non ſolum ſeſe ſtatus ac valetudinis ſuæ certam deſcriptionem & hiſtoriã habiturum, imò vrinam ad Medicum allaturum, relaturum verò ſanitatem certo eſt ar-

Vrinæ vaticinia.

bitratum, veruntamẽ quam graui errore eam in deceptionis foueam deciderit, is noſſe poteſt qui ex tam fraudulenta lotij inſpectione anceps perſæpè pharmacum, ac certam nonnunquam mortem reportari cognoſcit, vndè ad iam dictam vroſcopiam calamum acuere, & craſſos hos vromantûm errores conuellendos conſcientia ducti ſumus, vt quæ ne ab ijs quidem, qui glorioſo quodam titulo ſibi in hac profeſſione potiores partes tribuunt, eã non ſine animarum periculo, corporum detrimento, & magno Medicinæ contemptu, exerceri poſſe cognoſcant.

Atqui verò vt exemplis ab experimento fidem habentibus res demonſtretur, quis quæſo Medicorum vnquam extitit, qui luem Veneream etiamnum conſummatam ac ad extremum faſtigium deuectam, qui Podagram, hæmorrhoides, ſcabiem, condylomata, Arthritidem, Ramices ac hernias, vulnera, percuſſiones, oſſium fracturas ac contuſiones, Paralyſin, Dyſenteriam, Hæmorrhagiam narium, ac alia complura grauia & lethalia mala ex ſolâ lotij conſideratione ac intuitu cognoſcere & intelligere potuerit? Nemo certè, nam nec vtrum fœtus in vtero ſit vrina monſtrare poteſt. Pectoris porrò morbi quam paucam ac ieiunam cognitionem ex vrinis præbent? Nonnè Phtiſici laudabili manente

Multi morbi Vroſcopiæ non ſubiacent.

nente vrina intereũt? Nonnè hydropici (quod plus eſt) interdum benè ſeſe habente vrina moriuntur? Fuerunt qui ex vrinæ nigredine mortem portenderent, cum in quartanæ declinatione criſeos loco ſalutem hæc non modo polliceretur, verumetiam præſtaret ac morbos ſpleneticos effuſo per vreteres humore melancholico ac atrabiliari finiret. Quam quæſo ſæpè in peſte id & animaduertitur, & animaduerſum fuit ægros laudabili ac à ſanis vix differente effusa vrina morbo ſuccumbere atque ex hac vita decedere? His tamen omnibus poſthabitis deceptores illi præſtigiatoriam ac hiſtrionicam Medicinam exercẽtes ad vrinarum temeraria ac planè periculoſa iudicia ſunt prouoluti quibus nummorum expiſcationem non ſine maxima ægrorum clade, ſuarum porrò animarum iactura vel inſciè valdè, vel malitiosè nimis inſtituerunt.

Vromãtia Hiſtrionica arti cõparata.

Veruntamen fraudulenti hi Vroſcopi, qui (vt Latomi voce vtar,)

Mendaci certant inter ſe fallere linguâ,

depoſita omni verecundiâ non ſolum alios, verum etiam ſeipſos plurimùm decipere non ſunt veriti, eaque negotia tractare temerario auſu ſunt aggreſſi quorum ne prima quidem principia cognouerunt, aut quid quantumué vrinæ in morbis monſtrare poſſent

intellexerunt. Obseruabis enim, ac si attendas, planè comperies, vromantiam istam illegitimam penitusque inertem ac dolosam ab indoctis tantummodo, ignaris, ac nullius vel philosophiæ vel Medicinæ peritis, à docto autem nemine exerceri, proindeque eam potissimùm fouent Vetulæ, Iudæi, Circumforanei, Balneatores, Carnifices, aut qui absque conscientiâ imposturarum professionem facere, atque sic pecunias astutè emungere instituerunt. Et verò non tanti æstimaretur eorum malitia, nisi de humanâ vitâ tam audactêr, & quo audaciùs eo perniciosiûs luderent, atque diræ pestis instar tantam hominum cladem ederent, vt qui salutem ab ipsis sperabant, ijs mors obtingeret. Tantas autem Vroscopia istiusmodi radices in Medicina egit, vt iam penitùs in morē abierit, nec vulgus vlla dehortatione ab eius vsurpatione diuelli queat, sed quasi cupedijs quibusdam inescatum ac irretitum, aut philtro captum, in mēdaciorum amorem exarserit, quo occæcatum quo modo decipiatur, quibusuè illusionibus prematur, ac quot quantisuè discriminibus expositum periclitetur non videat, nec, quod plus est, commonefactum sibi, suæque saluti ac prosperitati attendat. Hâc arrepta ansâ, Vroscopi ad mendacia sese accingunt, & confictionibus sibi viam munientes tantoperè hominibus impo-

Vromantiæ professores.

Vroscoporum confictiones.

imponunt: expedit autem vt qui nequitiam hanc exercere voluerit, callidus ſit & aſtutus valdè, quiq́ue loquax ac garrulus exiſtat, vt ſic eloquentiam præ ſe ferens ſermocinando tergiuerſari queat.

At verò (dicunt Vromantes) doctiſſimos quosq́ue Medicos vrinas inſpicere, deq́ue ijs iudicium ferre, quod quidem vt verum, non eo inficias, longè autem diſpari ratione id eos facere aſſero; vrinam enim haudquaquam ſolam conſiderant, ſed examinatis omnibus circumſtantijs, ponderatisq́; ſingulis rebus quæ ad morbi cognitionem facere poſſunt, vrinã inter tot ſigna, à quibus curandi ratio petitur, vt ſignũ coindicans perpendunt, illi ſoli haud vnquam fidentes: cum tamen inſulſi ac omni doctrinâ verâ carentes, ſed ſolâ ſua temeritate ſuffulti Vroſcopi difficillimos morbos quibus cognoſcendis ægri ipſius inſpectio, pulſus exploratio, vomitus, ſudoris, ſputi, excremẽtorum alui, reſpirationis, ſomni, atque adeò totius vitæ ſtatus diligens obſeruatio vix quãdoq́ue ſufficit, ſolo vrinæ intuitu ſeſe deprehenſuros ineptè nugentur, ãtque ſic euenit, vt ſcientificè vix quidquam proferant, ſed ſi quid vnquam veri ab ijs excutitur, id caſu ac fortè fortuna vtpotè diuinando aſſequuntur, quod cum animaduertiunt allata aliqua vrina

Excuſantur Medici Vrinas inſpicientes.

ſymptomatum recenſent agmina, atque vt Ouidius ait.

Miſtaq́ cum veris paſſim commenta vagantur Millia,

ex quorum numero ſi vnum atque alterum ita ſeſe habet, de cęteris ſeſe mentitos fuiſſe nō erubeſcunt, imò vulgus ijs adhuc congratulatur, eosq́ue benignè fouet, tanquam nugarum ſuarū procuratores & œconomos, quibus peſtilens illa vox Veſpaſiano Cæſari attributa ſemper in ore eſt, *lucri bonus odor ex re qualibet*: is enim quamuis aliorum Principum ſcelere effectum eſſet vt inter bonos annumeraretur, tamē inter alias nummorū cogendorum rationes ac modos è lotio vectigal inſtituit; quod quidem vt ſordidum cum filius ægrè tuliſſet, patremq́; ſuper hoc admonuiſſet, parens diſſimulans, reſponſum diſtulit, donec prima penſio eſſet ſoluta: eam igitur pecuniā tunc filij naribus admouens ſciſcitabatur, nū eius odore offenderetur, negante illo, atqui *hæc*, inquit, *ex lotio eſt*. Haud aliter Vromantes ac Vroſcopi faciunt, qui vtrum cum ægro benè vel malè agatur, atque vtrum ipſi mentiantur nec ne, parum curant, dummodo ſuū ex lotio lucrū conſequantur. Rationales porrò Medici tametſi vrinas inſpiciant, ex ijsq́ue morbos dijudicent ijs tamen ſolis non fidunt ſed rem aliter examinant: cum è contra Vroſcopi

Veſpaſiani ex lotio vectigal.

Rationales Medici excuſantur.

scopi ex fabulosâ prognoſticatione fabuloſum ſæpè imò ſæpiſſimè peſtilens medicamentum, vtpotè ex vnius tantummodo ſigni conſideratione, cæteris neglectis, profectum, præſcribant. Quis enim quæſo Vroſcoporum Phrenetici ſummè febricitantis, ac ex bilis in cerebrum raptæ incendio deliri vrinam aqueam, ac limpidæ formam præ ſe ferente à otio cruditatibus & obſtructionibus à frigido ac craſſo humore ſubortis diſcernet? Quis inter vrinam Colici rubicundam, ac febricitantis facile diſcrimen reperiet, ſi alia præter eam ſigna non expenderit? qui tamen morbi prout eorum diſſimilis cauſa eſt, ita diſſimilia remedia poſtulant. Veruntamen indignum eſt longius in Vroſcoporum fraudibus detegendis verſari, eos enim doctiſſimus Langius acerbo taxauit ſupercilio, ac præclariſſimus quoque Foreſtus, libro eum in finem conſcripto, ſolidiſſimis rationibus conuictos extra veræ Medicinæ aream indignos ac inutiles proiecit, eorumque nugas varimodas detegens vt Rebuſpubl. exterminandas meritô cenſuit.

Habet, habet ſanè vrina ſuas in morbis ſignificationes eaſque certas, in quibus dignoſcēdis Medicum exercitatiſſimum eſſe neceſſe eſt, attamen talia ex vrina præſagire, qualia Vroſcopi præ ſe ferunt, mendacium eſt, cum vt ſu-

vt ſupra dictum eſt nec Peſtis, nec Lues Venerea, imò ne ſexus quidem ſeſe per vrinam prodat, etenim an vrina maſculi ſit vel fæmellæ nullus Vroſcoporum adhuc niſi diuinando dicere potuit. Id autem omnium peſſimum, quod artem tam nobilem præter damnum, quod ægris indè per cæca conſilia præſtita infertur adeò temerè diffament, ac ob tenuis lucelli cupidinem, tanto famæ periculo exponant, ac ſi tota ars Medica ex diuinationibus & fallacibus eiuſmodi coniecturis (quales ipſi copioſè effutiunt) penderet. Videntur proindè vroſcopi in perniciem populi ac artis ipſius excidium nati, cum ea prædicere fruſtra tentent, ac inſuper ſuâ pro inſaniâ temerè pharmaca præſcribere audeant, quorum rationem non magis quam ſomnio patefacta noſſe queunt, quocunque conſilia non niſi ſola imaginatione magis autem falſa quam vera ſubſiſtunt.

Auctoris ſuper hoc proteſtatio.

Proteſtor autem ſyncerè, ac profiteor, me Rationales Medicos nullatenus hic tangere, vel conuellere, qui miſericordiâ moti pauperibus (quibus ea facultas non ſuppetit vt Medicum perſonaliter accerſant, ac iter eius debita remuneratione perſoluant) hac in parte ſubueniunt: impoſſibile namq; eſt Medicum vbique locorum humanitûs verſari, ideo homines Medicos conſilia ſaltem ſanitatis vel fulcien-

fulciendæ vel recuperandę petituri accedunt. Et vt locus sacræ scripturæ habet, cogitat Medicus cor Deo deuotum habens: *Qui venerit ad me non eijciam eum forâs*, id autem ex charitate non lucri cupidine fieri oportet, siquidem *cætera adjciuntur* vltrò si Dei obseruantia, ac Charitas (*quæ Deus est vt Euangelista ait*) non fuerit vel neglecta vel prætermissa.

Rationales autem Medici Dei honorem habentes, non circa has fabulas versantur, sed conscientiam suam tutantes, in opificio Medicinæ sanè sacro, cautè, ac piè (vti decet) versantur. Nullatenus igitur ijs irrogetur id: sese ex sola lotij inspectione diuinando quasi sancita ac decreta salutis aut mortis protinus depromere, & quasi plumificata quædam consilia quæ leuis ventus in aliam regionem transfert, aut aura quædam Etesijs ac parum spirantibus flatibus vix absimilis disijcit sed non nisi excogitata, ruminata, decocta, repetita, pluries ad limam reducta emittere. *Rationales Medici.*

Siquidem Rationales Medici hæc vel interrogant vel interrogare debent. Videlicet.

1. Vtrum vrina sit vel viri vel fæminæ ex hoc intelligitur sexus. *Sexus.*

2. Num æger sit senex, vel iuuenis, ex quo cognoscitur ætas. *Ætas.*

3. Quamdiu morbus durauerit, ex quo discitur tempus. *Tempus.*

Inuasio. 4. An cum rigore horrore, vel laſſitudine aliqua ſingulari inceperit, atque an calor vehemens hunc ſit ſubſecutus, ex hoc inuaſio morbi notatur.

Inclinatio. 5. An prioribus annis ſimili morbo laborauerit, vel in talem affectum extiterit pronus, ex hoc intelligitur propenſio.

Temperamentum. 6. Cuius ſit habitudinis, nûm hirſutus vel glaber an ſiccus, inſufflatus, Cachecticus, aut ægrè ſpiritum ducens ad Hypoſarcham pronus atq; ex hoc tẽperamentũ aliqualitêr emergit.

Victus ratio. 7. Qua Diæta vitæ ſuæ decurſu hucuſque vſus fuerit.

Status & ægri Conditio. 8. Vtrum & in quo ſtatu viuat, nũ mechanicus ſit, ſeu operarius? & quidem qualis? alia enim textoribus obtingunt, alia aurifodinas colentibus, diuerſa verò triticum verſantibus, nonnulla etiã ijs qui piſcinis addicti ſunt, alia obſonariis, coquis, veredarijs ſuo pro ſtatu & cõditione (& ſic de reliquis) morbi obueniunt.

Stemma. 9. Obſeruat Medicus Rationalis ægrotantis ſtemma num morbo hæreditario hoc malum in poſteriorem ſit translatum progeniẽ, quod in Podagra Epilepſia, Nephritide, Calculo, & ſimilibus animaduertitur.

Vires. 10. Num ſit æger debilis ſeu infirmus, an verò robuſtus, ex quo habet Medicus vrinã dijudicans hoc iudicij, quod ſciat pharmaci ordinandi Doſin ad ægri vires accommodare, &c.

11. In-

11. Interrogat Medicus Rationalis, quibus æger vitã agens prius per annorũ defluuiũ prætergreßum morbis laborauerit? ex hoc colligit inclinationẽ & Recidiuarũ pręcautionem.

Morbi pragreßi.

12. Petit num ſanguinem prius miſerit, vel ſolitam ac conſuetam aliquam euacuationem ſolennem per cucurbitulas, Venæ ſectionem, purgationem, ſudores, hęmorrhoidas, exercitiorum validos actus, vel intermiſerit, vel pręterierit, aut penitus neglexerit.

Euacuationes ſolennes ac conſueta.

13. In qua prius aura fuerit verſatus, & vndè aduenerit?

Aër.

14. Nũ ſit ad medicinãdũ vel purgãdũ aptꝰ, an forſan nõ exoluatur, etenim aliq̃ Roſas nõ ferũt, & peculiaris quædã eſt inter aliqua diſcriminatio, ob occultã quandã vim nobis nondũ cognitã, de quib. vide caput huiꝰ libri de Sympathia, aliꝰ enim Helleborũ tolerat, q̃ Mannã vix ꝑfert vel Syrupũ de Cichorio aut de Polypodio vel Diaſereos vocatũ Andernaci tutiſſima cognita, ac multiplici vſu ꝓbata remedia.

Proprietas ſingularis.

15. An (ſi mulier fuerit) grauida exiſtat, & quot menſibus vtero gerat, intra quartum enim & ſeptimum, Hippoc. ijs aluum ducere permiſit.

Grauidas

16. An æger nullis, vel quibus hactenus remedijs vſus fuerit? & quænam ea effecerint?

Medicatio pragreßa.

17. An ſit aliquo medicamento ſufferendo compar, vel hac parrte impotens?

Poteſtas virtutis.

18. An is vel ea Vrinam ferens fideliter omnia referat aut retulerit?

Fidelitas Vrinam ferentis.

19. An

Cautio homicidii. 19. An si ab innupta lotium feratur, quæri[t] Medicus quoto tempore menses ab fuerint? Volunt enim sese semper purgari debere, alioquin intumescere, vt non rarò ventrem cælando nec vteri tumorem patefaciendo fætu[m] abigerent, ac falsò Medicum circumuenien-do eundem latronem efficerent, cui scriptum est. *Festinatio est homicidij prohibere non nasci.* Proindè Medicum cautum esse decet præser-tim hâc in occasione, quandoquidem non fa-tentur suas culpas, sed in menses retrogrado[s] errorem omnem conijciunt, vt quod debit[o] tempore non profluxerint vel apparuerint, sed restiterint retrogradi, nunc Icterum al-bum ab Hippocrate vocatum, anhelitus gra-uitatem, pectoris compressionem & simili[a] causantes.

Cauenda deceptio. 20. Disquirit Medicus Rationalis, quem fæ-minæ ac anus edentulæ decipere cogitant, & multoties angunt, num vrina sit lotium, au[t] decoctum hordei, vel Caricarum, aut alicuiu[s] rei aquam tingentis, vel ex bestia desumpti. De quibus fallacijs vide Gordonium in Lili[o] Medicinæ, atquî hic ego præuijs tutoribus firmus subsisto.

Medici diligentis circumspectio. Talia quidem centena circumspectus Me-dicus interrogat, ac non curiosè sed sanct[è] scrutatur. Falsò igitur Medicis irrogatur ho[c] nomen Vromantûm, quod Iudæis ac Carnifi-

cibu[s]

:ibus debetur, qui primi ſibi hanc ex vrinis a-
ciolandi facultatem adſcribunt tanquam V-
roſcopi, ſeu Germanicè dicti die Saichge-
ſchawer/quibus ab infirmo iudicio profecto
conſilio, infirma fides quoque eſt habenda.

Saichgeſchawer.

Veruntamen, qui lucri ſolûm cupidine ſuas
mentitas, nec præmeditatas medicationes ita
proſtituunt, non pro Medicis, ſed pro Lotio-
phyſicis ſunt habendi, etenim rerum tempo-
ralium vſus tantum eſſe debet, æternarum ve-
rò deſiderium & concupiſcentia.

CAPVT XII.

Medicina luget, ſub Sympathiæ & Antipathiæ naturalis prætextu, quàm plurimas nugas venundari, &c.

EFfectus quoſdam eſſe in naturâ re ipſa
quidem manifeſtos, à cauſis tamen oc-
cultis profectos, quorum probabilis ratio à
naturalibus principijs erui ac euocari nequit,
quiuis rerum operationes & euentus accura-
tè conſiderans intelliget, vtpotè latentē quen-
dam rerum cōſenſum diſſenſionemq; (quam
vulgato nomine ſympathiam & antipathiam

Sympathia.

S nomi-

nominare consueuimus) vel ab ipsis naturæ primordijs Dei omnipotentis nutu sic ordinatis, vel à substantifica forma & substantiæ ipsius ratione (vt Fernelius voluit) non autem à qualitatum primarum secundarumque coitione, & hinc nato temperamento procedente deprehensurus. Huius autem exercitationis præ cæteris artibus & scientijs cum Medicina sit compos facta, pro sua hæc solertia & indagandi studio, rerum affinitates, amicitias, familiaritatesque, dissidia & contrarietates, ac id genus alia (quæ nos sub sympathiæ & antipathię naturalis symbolo complectimur) attentè pensitans, in hoc præcipuè studium incubuit, vt euidentium operationum & effectuum, euidentes quoque, imò palpabiles infallibiles ac è physicis fontibus depromptas rationes reddere posset. Opus hoc arduum, Medicina quidem summo studio aggressa multum in eo operæ locauit, efficere tamen hucusque tantum non potuit, vt sympathiarum antipathiarumque præmemoratarum conditiones (quæ abditæ prorsus & abstrusę sunt, & à vulgari philosophandi methodo longiùs remotæ) penitiùs rimatæ perciperentur, ac intellectum subeuntes, rationi satisfacerent, adeò vt eas natura nos magis mirari quàm scire voluisse visa sit. Etenim, vt res exemplis apertior fiat, quis quæso Ma-

Fernelii opinio.

ſo Magnetis, quem vt ait Lucretij lib. 6. *Quem Magneta vocant patrio de nomine Graij*, ferrum mirabili naturæ fædere attrahentis, & pecus ferratum crepidis ferreis exuentis, & altera extremitate in polum Arcticum, altera verò in Antarcticum ſeſe contorquentis vim non ſuſpiciat? quis non miretur lapidem eum Herculeum fæminas impudicas lecto excutere, ſi capiti ſubſtratæ culcitræ ſupponatur? Etenim

Magnes & eius vis.

Lapis Herculeus.

——— cadit omnis adultera lecto
Tanquam pulſa manu.

quis ad medicamentorum electiuè, vt vocant, purgantium facultates non obſtupeſcat? quando Rhabarbarum præ alijs humoribus ſolam bilem, Turbethi radicem & Agaricum inter ſuccos Pituitam, Helleborum verò nigrum atram ſingulariter bilem euocare ac educere cernit, velut intelligentiæ cuiuſdam hunc vel illum humorem educere volentis inſtinctu ducerentur. Cenſura proindè graui & ſedula penſatione digna res eſt, videre humorem eum (qui loco magis diſſitus, & lentore proprio tenacior, & ad medicandum vel crudior, aut ad euacuandum ineptior extiterit) pro medicaminis propinati conditione natura, ſpontè præ cæteris leuioribus & ad excluſionem paratioribus

tanquam vi aliqua imperiali iussum & ad parendum adactum prodire, & sic vinctas huic pharmaco manus dare, quod ipsum ad sedem suam mutandam compellebat; de quibus nos (si quando, dante Deo, victuri ac integram corporis & sensuum structuram obtenturi erimus) fortè nonnulla super Mesuei Canones in lucem emittere cogitamus. Non autem hos euentus à primarum qualitatũ diuersa coitione combinationeque, neque ab operationum manifestarum (quantum id quidẽ à priori nobis scire datum est) effectu, sed ab occultâ quadam vi ipsi agentis substantiæ ac illius modo ingenitæ prodire meritò censendum est. Igitur plus magis admirari oportet illas medicamentorum facultates absconditas, per quas hæc diuersis membris certa & occulta naturæ lege opitulantur, prout nonnulla capiti & cerebro, quædam pulmonibus, alia iecori, lieni ac renibus mederi & auxiliari creduntur. Vndè ad cordis robur augendum Boraginem, Melissam, Buglossamque, ad Hepar recreandum Rhabarbarum, Spicam, Santalos, ad ventriculum firmandum Mastichen, Absinthium, Aloën, ad lienem verò Cappares, Tamariscum seu Myricam, Scolopendriũ & Ceterach ad pulmones Pulmonariam ad pectus Scabiosam, ad Pleuram Carduos, vetus simul ac recens Medicina celebrare solita est,

Modus substãtiæ.

non

non quidem quod hoc vel illud medicamentum simplex, calore, frigore, aut alia quacunque à temperamento prodeunte operatione id ageret perficeretque, sed quod huic vel illi membro hoc aut tali modo profuisse, sicque à specifica quadam forma opem conferente auxilium attulisse deprehensum sit.

Specifica forma.

Multa in rerum natura reperiuntur quorum effectus nobis perspecti, causæ autem incognitæ sunt, ita vt earum rationem vix vllus reddere valeat, nisi hanc ad occultã proprietatem referat, quam substantiæ quendã modum (per quem hæc talis existit, & hoc vel illud efficere nata est) paulò ante esse diximus. Sic, quando terribilem Leonem galli gallinacei aspectu, incessu, & cantu terreri, Adamantem hircino sanguine mollescere, Taurum ferocem ad Ficum religatum confestim mansuefieri, Electrum seu Succinum paleas, pilos ac surculos ad se trahere, Aurum spretis reliquis liquoribus argento viuo se protinùs cõmiscere, Rutam & Brassicam sese inuicem nõ tolerare, Echeneidem piscẽ naues remorari, & Cucumim iuxta se posito oleo se recuruare cõspicamur, non immeritò huiusmodi rararũ & insolitarum operationum cõsideratio nos in extremam admirationem adducit. Quàm porrò miranda sunt, quæ in Medicâ facultate non raro notantur, similes abstrusos effectus

præſtantia, & à reconditis cauſis longo occultarum virium itinere profecta? ſicut oſcitante vno alterum etiam (ni ſibi diligenter caueat) ſimiliter oſcitare cernimus, atque erumpentibus menſtruis ſpecula maculari, nitorẽ amittere ac næuorum inductione fœdè pollui, & ſanos oculos ad infirmorum ophtalmiâ, rubore, epiphorâ aut lippitudine fœdatorum conſpectum ſpontè illacrymari, aut aliter offendi obſeruamus, iuxta illud Poëtæ,

Cum cernunt oculi læſos, læduntur & ipſi.

Cataplephas.

Stupendum etiam (ſi tamen verum quod ſcriptis proditum eſt) Cataplepham animal, hominem ad mille paſſus conſpectum enecare; quod itidem efficere poſſe in Triballis & Illyria quaſdam effaſcinantium familias Iſigonus ſcripſit, Serpentes à Marſis & Pſyllis ſecurè tractari, Cretenſes quaſdam familias & Theſſalos laudando faſcinare: qualem quoque faſcinandi modum anus quædam ſolo intuitu aut afflatu circa infantes præſertim adhuc teneros vſurpare creduntur, qua de re Martialis Epigrammate in Mamurram locutus eſſe videtur, inquiens,

Inſpexit molles pueros oculisq; comedit,
Non hos quos primæ proſtituêre caſæ,
Sed quos arcanæ ſeruant tabulata cataſtæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

Ad

d quod ipſum alludens Virgil. in Bucolicis c ait:

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat a-
gnos.

Nonnullas item vetularum ex Palethebæo- um Pontum incolentium familiâ in adultos tiam faſcinorum virus effundere Philarchus efert. Quid multis verbis opus? tanta olim e- at faſcinationis in ſanorum corpora excur- io, vt à plerisque remedia contra hanc ſum- no ſtudio quæſita fuerint. Vndè Ariſtoteles ect. 20. Prob. 34. Rutam comeſtam faſcina- ionis vim obtundere tradidit, prout etiam Maro Bacharem fragrantem herbam faſci- ium tollere innuit, cum ſic canit,

—— —— Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Ad quod item veneficium fugandum maxi- moperè celebrabatur Corallium rubrum de collo geſtatum. Dioſcorides autem lib. 3. cap. 97. Alyſſum in hoc caſu commendat. Eundẽ in finem veteres luporum capita ædium ac villarum portis affixerunt. Cicuta vini aſper- ſione emoritur. Saphyrus Anthracem curat. Cancrorum fluuialiũ cinis à cane demorſos perſanat. Fraxini vmbra ſerpẽtes arcet ac abi- git. Selenites lapis ſanguinem cutis contactu quacũq; corporis parte emanantẽ ſiſtit. Terra

Lemnia aduersus Cantharidum & marini leporis venenum virtute sua pollet. Alia aliud quiddam mirandum efficiunt, quod nõ à primis vel secundis qualitatibus, sed ab occulta quadam vi & causa longiùs remotâ ortũ ducit, qualia à Plinio, Dioscoride, Tralliano, Aëtio, Rhase, Chyranno, Theodoro Prisciano, Marcello Empirico, Gordonio, Fracastorio, Fernelio, & alijs autoribus copioso numero recensentur, suntque ea planè naturalia, nempè ipsius naturæ neutiquam fallentis opificio edita, atque ex illius abditis potentiarum thesauris profecta, de quibus absoluta ac euidens ratio reddi non potest: sunt enim ea densis naturæ tenebris inuoluta, vt multoties in Medica facultate obtingit, propter quod non iniquè priscorum aliquis dixit, *quærere à Medico rationem est quærere à traulo sermocinationem*, quia hæc quidem experimento constant, rationi autem minimè patent.

Hominum curiositas.

Hos igitur effectus à causis tam reconditis prodeuntes, homines mirari & suspicere cum cerneret diabolus, vt quiddam persimile huic rei astrueret, per quod & ipse mirus haberi & videri posset, curiosum quoddam hominum genus exsuscitauit, quos disciplinas extra naturæ limites quærere, eas tamen naturalium qualitatum titulo adornare, & physicarum causarum prætextu venales exponere docuit.

Hinc

Hinc tantus nugarum cumulus subortus, vt
non aliter quàm culices in armenta, sic hæc in
Medicinam gregatim inuaserint. Proindè si
quid superstitiosum, anile, & fraudulentum
vsquam extitit, quod similitudinem veri in-
duere & fuco quodam certitudinem ac eui-
dentiam mentiri potuit, id omne magno cum
applausu in medicum forum asportatum est,
& pro tritico paleæ venditatæ sunt, artifici-
bus hisce subdolis non semetipsos solùm, sed
etiam alios in fraudem agentibus, qui com-
plura diabolica, superstitiosa, inconuenientia,
absurda, irrita & flocci facienda (de quibus
non secùs quàm de portentis insignibus glo-
riabantur, sibique ipsis tanquam de arcanis
secretioribus nec facilè reuelandis gratula-
bantur) multo supercilio sparserunt, & vbi-
que fraudum chiliadas disseminarunt.

Fraudes superstitiosæ.

Itaque quidquid nugarum attulêre, id om-
ne occultis naturalibus tamen causis adscri-
bserunt, ne cum magicis artibus participare,
aut cum superstitionibus quid commune ha-
bere viderentur, atque hoc prętextu, spurcam
suam supellectilem in Medicam domum in-
tulerunt. Exindè oracula sua velut ex Tripo-
de fundentes ad grauissimos quoscunq; mor-
bos ineptissima ac vilissima, imò ridicula, non
dicam medicamenta, sed vana & fabulosa so-
mnia produxerunt. Vndè si quis lethali pleu-

ritide correptus decubuit, confestim laniorum cultros è carnificinâ ægrotantis potui immerserunt, vt (quoniam hi cultri confossionis sunt instrumenta) crebrior lateris punctura horum virtute pelleretur ac cessaret. Si quis alius per hæmorrhagiam copiosiùs sanguinem fundebat, sceptri à iudice supra necis rerum sententiam ferentis diffracti frustum in manibus tenere iubent. Ad spasmum, annulos è ferreis suspensorum furûm armillis fabricatos digitis inserunt. Ad capitis dolores & hemicraneas, multis & magnis cæremonijs plumbum liquefactum per chartam duplicatam minutis foraminibus peruiam effundunt, atque ex illa figura frustulorum, & particularum casu effictarum multa præsagiunt, sicque acutos & punctorios seu pungitiuos capitis dolores (quos ipsi ineptè sagittarios & iaculatorios cruciatus, das Hauptgeschoß / nominare consueuerunt) sese tollere posse arbitrantur: aut forficem agnis tondendis destinatam sub ægri culcitra seu puluinari religiosè collocant. Catarrhos autem nouis aut recens lotis & mundatis indusijs imprecantur. Gibbos cum certâ quadam præfatione ad Lunam exponunt, eique super isthac sua miseriâ conqueruntur. Atrophiam membrorum resecta è mem-

Magamenta varia superstitiosorum.

Haupt-geschoß.

membro marceſcente particula Salici ſuo
mpore includunt, & ſic morbum ab ho-
ine in arborem transferunt. Ad aphthas
omi arboris germina, per os diducta fumi
pore ſiccanda ſuſpendunt. In febribus vn-
ues certâ lege abſciſſos fluuialis cancri dor-
alligant, quem rurſus in amnem demit-
unt. Perſicariam torrentis liquore prolu-
m vulneribus pauliſper adhibent, quam
eindè magnoperè occupati profundè ſepe-
unt. Morbum regium auferre aggrediun-
ur Icterici vrinam cauo Sambuci trunco in-
entes, eamque ſic ad ignem donec in va-
orem abeat & omninò abſumatur, exco-
uentes: Alij ex hac pultes addita farina co-
uunt, aut placentas canibus obijciendas
inſunt, vt ab homine id mali in beſtiam
ranſeat. Ad Eryſipelata Sambuci flores trinâ
ebdomade ſemper die Veneris eſitatos ce-
ebrant. Singultum inuerſo pane ſeu cultro
quietant. Contra ramices teſtudines rubras,
contra mariſcas verò Scrophulariæ radices
umo ſuſpendunt. Febres itidem obolari pre-
io diuendunt, aut ex ægri vrinâ parata pulte
cterum vna cum febre in canem qui hoc pa-
tus fuerit, transferunt, paroxyſmorum nu-
merum à leproſis ſtipem petentibus ſciſci-
tantur, quid multa? nullus ferè morbus eſt,
ad

ad quem curandum ſordidi hi artifices paratiſſimi ac liberè non accedant, ita vt etiam nugas ſuas maria tranare, aëra petere, regiones peruolare, compita verò quàm facillimè tranſire, & ſaltus omnes leui modo tranſilire, poſſe arbitrentur ſibiquc penitùs perſuadeant.

Friuola artes.

Quoniam verò eiuſmodi friuolæ artes quia in naturalis veritatis latitudine nullo fulcimento & ſtabilitate nitebantur, à peritioribus & ſaniorem doctrinam ſectantibus viris, vanitatem falſitatemque hanc oppidò notantibus, vel deriſæ, vel neglectæ, & à legitimarum medicationum ſtructurâ penitùs excluſæ ſunt. Igitur polypragmones iſti ac prodigiorum magiſtri has artes ſuas putatiuas ad occultarum proprietatum actiones reducere conati ſunt, ſub quarum tegmine diutiùs offucias ſuas velarunt, donec tandem deprehensâ fraude, non ſecùs quàm ſicarij clandeſtinas inſidias molientes in publicum protuſi ſunt, vt ab omnibus ſua pro decentia exploderentur. Verùm curationes iſtas Magneticas ac Sympatheticas appellare ſolebant, vtpotè in diſtans operantes, eratque Magnes lapis quodammodo Lydius, ad quem nugas ſuas examinabant. Tum verò altiores quidam philoſophi contactu quodam virtuali & fluidâ efficaciâ, imaginaria tamen illâ (vti nobis vide-

etur) effectus mirificos sua medicamina præstare ac edere posse contenderunt, quæque omnia naturali modo, nullâ superstitionis suspicione, tam concinnè ac ritè procederent, et nullam his virtutem è primis qualitatibus emergentem quoad nobilem ac eximium operationis & agendi modum æquiparari posse existimarent.

Absurdus medicandi modus à superstitiosis introductus.

Nouam ergò & à veterum statutis longè diuersam medicandi rationẽ ac viam ingressi, operas medicas non ægris aut infirmis, vel aliter læsis corporibus, sed tertio cuidam insensibili applicare cœperunt, qui quidem pharmacandi & opitulandi modus, è factitia, ficta, adeoque stulta horum absurdissimorum philosophia pullulauit. Itaque quamprimùm aliquis crus fregisset, non ei quidem opera chirurgica (prout per tot sæcula decenter hucusque actum est) subuenire studuerunt, sed tanquam vltionis quodam instinctu, tripodis aut scamni cuiusuis obuij pedem è sedili euellentes, eundem velut ægrum tractarunt, & fascijs obligarunt, ac si hic emplastratus ad ferruminationem coalitionemque reducendus esset. Atque hi quidem dum scamni ligneo posti curando impigrè deseruiunt, eiusque magnam curam gerunt, hominem illum realiter læsum (cuius corpori medicatio necessariò ac de iure deberetur) derelinquunt, vtpotè

vtpotè qui ſponte ſua; modò quietus iaceat, ob medicationem ſtipiti ſtudioſè adhibitam ſit conualiturus. Quis quæſo hanc ſummam hominum ſtultitiam non rideat? quis non commiſeratione ductus cum Poëta taliter exclamet?

O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca?

eò quod mortales maximis iſtis fraudibus occæcati in eam ſtultitiæ abyſſum inciderint, vt rem inſenſilem & nullius vitæ participem mollitêr habeant, eamque inſtar ægri ſuauiter tractent, ſicque homo vitæ ac rationis compos demortui trunci & muti ligni ſeruus factus videri & haberi meritô debeat. Et verò quis me non iuſtè derideat, imò ſtulteſcere aut delirare exiſtimet, qui (ſi ad Theſeum, vel Socratem malè habentem vocatus forem) non hunc, ſed tertium quendam curatione non egentem perſanare ſtuderem: & ſi Platone decumbente non huic, ſed Ariſtidi aut Philoxeno pharmaca porrigerem, nil enim te id remedij iuuabit, quod ego ſumpſero, nec illud medicamentum mihi proderit, quod tibi fuerit exhibitum.

Quod ſi verum, prout eſt veriſſimum, quid quæſo ea medicatio ſtipiti aut pedi Tripodis adhibita Tullio, qui crus vel tibiam fregerat, conducere poterit? in qua nec veritatem vllam,

m, nec scintillam naturalis alicuius virtutis, qualitatis aut potentiæ deprehendere licet. Ego nugatores hos magnam cum stultis sympathiam, maximam verò cum prudentibus antipathiam habere non temerè iudicauerim. Atque hæc aliqualiter de curis Magneticis in distans operantibus, sed enim plura postmodum.

CAPVT XIII.

Medicina luget, se Simplicem & Rectam, curiosis quibusdam superstitionibus à veritatis via seduci.

SImplex id est & dici meretur, quod alienæ rei admixtione caret: rectum verò, quod secundùm Dei ac naturæ legem sese habet. Talis planè est Medicina; hæc enim simplex existit, proprijs nimirum principijs, rationibus, fundamentis, auctoritatibus & experimentis constans: quòd si verò vnquam aliarum artium adminicula quærit, non ea quidē vt inquilina, sed vt aliena adhibet; nec circa ea aliter versatur, aut secùs ijs vtitur quàm instrumentis licitis ad finem suum consequēdum

Medicina simplex est & recta.

dum idoneis. Recta item Medicina est, à Diuinæ legis tramite non deflectens, sed propria Dei dote gaudens: vndè operationes & effectus suos naturali modo perficit, easque potestates exerit, quæ sibi à summo rerum omnium conditore sunt insitæ ac inplantatæ. Eadem dolo non vtitur, fraude caret, imò singula ad physicam trutinam pendit & examinat, & à naturalibus ac physicis causis physicos & naturales effectus expectat, syncerè cuncta proponens, dilucidè singula explicans, candidè res omnes administrans, ac eorum quæ agit solidam, infallibilem, & veram rationem reddens; licet paucula sint quorum vires quãuis omni ex parte cognitas non habeat, habet tamen compertas, eaque omnia ad sua reducens principia nihil noui fingit, sed quantum naturalibus causis tribuendum est, tantum ijs impertit; nec nisi Deum & naturam per hunc operantem agnoscit, & alienis ac illicitis artibus abiectis suis semper in natura positis præsidijs confidit.

Medicina Dei dote gaudet.

Medicina naturalibus vtitur medijs.

Simplicitatem hanc, simul ac rectitudinem Medicinæ confundere atque intorquere cum infensissimus humani generis hostis cacodæmon attentaret, vt qui characterismos exorcismosque, ac diabolicas cantilenas, rationi haud consonas, imò purioribus cordibus suspectas esse, ideoque parum aut nihil fidei eis

amplius

amplius haberi animaduerteret, togam quodammodo inuertens, aliamq́ue faciem effingens, pietatis quodam prætextu, alia non minùs absurda in Medicam facultatem intulit, quibus maximam mortalium partem mira fraudum calliditate deceptum ac perditum iret. Itaque certis precibus (quibus pias dictiones immiscuit) ad variorum morborum malignitates profligandas homines instigauit, & sanctitatis specie signa edens eos ita lusit, vt ij, qui in numero maximè piorum haberi voluerunt, meritò inter impijssimos fuerint numerati. Sic ad eductionem eorum, quæ faucibus ac gulæ inhæserunt, ad dolores dentium placandos, Febrem arcendam, Epilepsiam ac Comitialem morbum pellendum, vaga ac vana excogitarunt eloquia, pietatis ficta specie cõuestita. Alij ne istis quidem contenti, etiam certa tempora & dies obseruant, & quod fieri imperant, id vel die Solis, Veneris, aut Martis vel Iouis perfici iubent: aut cum certis quibusdam suorum Dæmonum cæremonijs negotia sua peragenda censent, non attendentes hoc ipsum, quod apud priscos à quib. hi præstigiatores suam doctrinam hauserunt ipsa numina scelerum custodiam egisse sint obseruata, quo quidem prætextu audacia nouorum facinorum in Deorum infamiam prostituebatur, quando vel ipsi Dii adulteri, fures, ac

Dæmon tergiuersator ac versipellis.

Dii gentiũ infames.

flagitio criminum patratores, quibus pictas omnis credita putabatur in eas vitiorum aerumnas praecipitata deflexit, quae non nisi infamibus attentatis in populi perniciem excussa, sui tunc temporis moram praestolabatur. Hac infectione quoque nonnulli Christiani primitus polluti fuêre, quae vtinam contagio nonnisi ad nostra vsque saecula permeasset.

Talibus figmentis & commentis, imò sacrae scripturae vocûm ac verborum abusionibus totus paenè orbis nequissimè deceptus, & integrae gentes contaminatae fuerunt; quarum multas Goëtici daemonibus vtentes, deindè verò Hebraeorum Mechabales ex literarum, punctorum & apicum simplicitate, tortuositate, cōpositione, coronatione, apertura, ordine, colligantia, reuolutione, abundantia & defectu omnia explicare sese posse promittētes, in lucem seu potiùs luem populi protulerunt; caeterae autem à gentilibus illis erronibus ac Cingaris, vagabundis, & Ægyptijs mulieribus maleficis ac impostricibus in vulgus disseminatae sunt. Tales Cingaros, excocto sole, immundos veste, intentosque furtis ingentem mortalium turbam falsa sua chiromantia circumuenientes, iure optimo Carolus V. Caesar, cùm Brabantiae inauguraretur sub poena capitis & bonorum proscripsit. Hi san

Goëtici, & Mechabales.

Cingari.

Caroli V. Imperatoris in Cingaros seuera animaduersio.

ſanè geſtire diabolus ſolet, quando tot homines (qui Dei donis liberaliſſimè pro ſe conditis commodiſſimè frui poſſent) ſibi ſeſe totos vltrò dedere ac mancipare, tantamque fidem ſuis pellacijs ac impoſturis habere videt. Deridendi igitur meritò pluribus de cauſis omnes, vana eiuſmodi documenta ſectantes, & impijs hiſce ac falſis traditionibus adhærentes: cumprimis enim vanitatem diabolicæ doctrinæ vel hoc manifeſtat, quod ea à mendaci doctore, nullis neque veræ fidei vel philoſophiæ naturalis fundamentis, aut præceptionibus vllis certitudinem aliquã aſſerentibus nixa, ſit profecta. Præterea præuaricator ille ac ſubdolus ludificator diabolus nihil boni vel præſtat, vel præſtare potis eſt: vndè colligitur, quòd (cùm ſanare, ſit ęgro corpori ſalutem ac opem adferre, ideoque eidem benefacere) is ipſe ſanare nequeat, cùm à malo nonniſi malum ſit expectandum. Et licet quandoque per illicita hęc media nonnihil iuuare videatur, id tamen non facit vt beneficium in eum, quem ſanauit, conferat, ſed vt ſibi faciliorem viã ad maiores nequitias perpetrandas paret, & hac bonitatis ſpecie velatus malitiam ſuam tegat, per quam latere ac vlteriùs ſeſe inſinuare queat: nec enim vel apparens bonum facit, niſi ea intentione, vt indè mala eueniant.

Sed erunt fortè dicturi aliqui: videmus ab his *Obiectio.*

effectus prouenire prosperatos ac fælices, quis ergò consimilis medicationis vsum vetet, aut damnet? Respondet his apposité Aristotel. 3. Metaph. *non omne quod videtur & apparet, verum esse*, asserens. Deindè quoque experientia & obseruatio talium medendi modorum vsum nunquam excusat; etenim (vt D. August. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 23. ait) *fit occulto quodam iudicio Diuino, vt cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi & decipiẽdi pro meritis voluntatum suarum illudentibus eos atq; decipientibus prænaricatoribus angelis. Quibus illusionibus euenit, vt multa obseruantibus secundùm obseruationes suas eueniant, quibus implicati curiosiores fiant, & sese magis magisq; inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestiferâ societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, Christiano penitùs sunt repudiandæ ac fugiendæ.* Sed ecce, quàm callidè ac pestilenter suos sequaces chartis & schedulis quibusdam de collo pendulis gestandis dæmon ludat, vt etiam horrenda & absurda proferat, eosq; ipsemet irrideat, qui delirationibus suis fidem faciunt, & fraudulentis medicationibus sese credunt. Contigit enim, vt, cũ tempore quondam Ophtalmia homines affligeret & inpopulo

S. Augustini pulcher locus.

Schedula Amuletica.

pulo

paulo vehementiùs graſſaretur, quæſitumq́ue
foret de remedijs huic malo pellendo idoneis,
furcifer quidam repertus ſit, qui ſchedulas de
collo ſuſpendendas in vulgus diſtribuit, forti
comminatione præmiſſa, ne quis ſub graui
periculo vnam ex iſtis aperiret ac legeret. Cũ
autem id ſchediaſma nonnullis opem tuliſſe
oculorumq́ue dolores mitigaſſe videretur,
quidam ſpreto inſani auctoris præcepto (quo
is, ne ſchedam quis legeret, vetuerat) vnam
ſchedularum aperuit, & quid ſcripti contine-
ret luſtrauit; reperit verò in ea hanc ſordidam
exaratam ſententiam. Die Rappen beiſſen dir
die Augen auß/ vnd der Teuffel hoffier dir die
Lucken voll. Latinè ſic: *Corui oculos tibi eruant,*
& diabolus ſuo ſtercore cauitatem repleat. En
tibi, qualis ſit iſthæc benedictio? quæ tamen
aliquibus auxilio fuiſſe credebatur. Quidam
alius aſſerere non veritus eſt, ſe à febre libera-
tum ex amuleto, cui hæc verba inſcripta erãt:
Alius ſe hoc amuleto conualuiſſe opinatus
eſt: *Rapiat eum dæmon, & ſimiles eius.* Quis nõ
ridiculum cenſeat hoc ſcriptum, ad dentium
dolorem appendi ſolitum, *Strigiles, falceſq́;*
dentatæ, dentium dolorem perſanate? An non
ſatis ex recenſitis humana impietas perſpici-
tur? quæ temeraria audacia res inanimatas in-
uocat, earumq́ue auxilium implorat. Dubium
ſanè, vtra hic potiorem partem obtineat, ſtul-

Dignum patella operculum.

titia aut impietas: siquidem homini ratione gaudenti indignum esse, res insensibiles ac inanimatas alloqui, & idololatrarum more ab ijs opem flagitare vel ipsa ratio monstrat. Veruntamen ab atheismo & ethnicismo parum absunt ij, qui sese spontè sua eiusmodi nugis & vanis cultibus implicant, licet quamcunque sanationem ab illis sperent & consequantur. Vndè rectè de ijs doctissimus Fernelius de abdit. rer. caus. lib. 2. cap. 16. sic disserit. *Potest quidem dæmon quosdam integrè persanare, vt tantum beneficium in hominem, quem perpetua cõsectatur inuidiâ, conferre haudquaquam velit. Fictam duntaxat simulatamq; sanationem exhibet, cuius admiratione peruersas hominum mentes irretiat, sibiq; infidelitate subiuget, hoc vnum cumprimis adnitens, vt ab his quos seduxerit, diuino cultu & honore dignetur: simulat enim astutus nequam ac persuadet, se his sacrilegiis in alloquia & obsequia cogi.* Vndè etiam Gentiles se conceptis verbis Iouem de cœlo trahere ac elicere posse arbitrati sunt, quem proindè Elicium nuncuparunt. Quam artem forsan non probè tenens Tullius Hostilius Rex, è Numæ libris, eodem quo ille sacrificio Iouem cælo deuocare cum conatus esset, fulmine ictus vnà cum æde conflagrauit.

Fernelius.

Iupiter Elicius.

Tandem verò fallacem ac inanem diaboli sanationem existere vel hoc probat, quod ne-

me

io aliquis per ipsius remedia integrè persa-
escat: vel enim prior morbus depulsus mox
n alium altero longè grauiorem nō sine ma-
no sæpè ægri detrimēto abit ac decedit, pro-
t Medicinā exercentes non semel tantū de-
rehendimus: vel tempus sanationi opportu-
um huiusmodi nugis impēditur, vndè mor-
us quandoq; non congruis ädhibitis præsi-
ijs, aut commoda medendi occasione negle-
ta deterior euadit: vel deniq; incantamento
liquantisper pacata ægritudo, mox recidiuā
nuehit; sicut etiam præfatus Clarissimus Fer-
elius se Icterum subnexa cū inscriptione col-
o chartula vna nocte detersum, & febres ver-
bis ac cæremonijs quadantenus profligatas,
sed quæ identidē & fortè peiores recurrerent,
vidisse commemorat. Proindè non iniquè An-
tonius Caracalla, teste Spartiano, eos qui cō-
tra Tertianas & Quartanas amuleta gestabāt,
damnauit. Tales quondā Ephesiæ literæ fue-
runt, fælicitatem prosperitatemque promit-
tentes, quas Anaxilas Athenæum quendam
in consutis scutatijs & minutis corijs habuis-
se tradit. Hac superstitione deceptus præstan-
tissimus ille dux Græciæ Pericles, in atrocissi-
ma illa Peste Athenas vastante, cùm ea lue
correptus sensim contabesceret, morbusque
vim animi superaret (inquit Plutarchus) a-
mico qui visendi gratia eum accesserat, in-

Ephesiæ literæ.

Pericles Dux Græciæ.

cantationes quaſdam collo pendentes à mulieribus alligatas oſtendit, argumento ait, animum tunc in eo ægrotaſſe dum eiuſmodi inſanias ferret ille vir, qui tanta prudentia rempub. habuit, vt nullus propter eum nigrã veſtem induerit vnquam. Cauſam eius calamitatis reddit Theophraſtus, quia mores acti corporis doloribus, à virtute fortè deſciſcunt.

Proindè cùm incantamenta & excantamenta, exorciſmi, coniurationes, conſtellati lapides, ſigna & ſigilla, characteriſmi, ſchedulæ, & alia ſimilium nugationum, vanitatum & impietatum genera, diuinę legi & S. Matris Eccleſiæ Catholicæ præceptis aduerſentur, nec philoſophiæ aut rationi conſona ſint, nõ minùs quàm funeſta lues fugienda, imò execranda & abominanda ſunt: ſiquidem eorum omnium (quorum aliqua ad diaboli ſolùm pellaciam detegendam, & hominum cæcitatem cum ſtultitiâ ac impietate cunctis aperiendam in medium adduximus) autor exiſtit princeps ille muſcarum Beelzebub.

Princeps muſcarum Beelzebub.

A Deo autem quæcunque medela eſt, per remedia licita, phyſica & naturalia ab ipſo benigniſſimè condita, nec non infinitis muneribus, facultatibus, virtutibusque dotata; ad quæ nobis ſemper confugere, ijsque ad tuendam vitam naturamq; vti licet; fucis iſtis non modò per ſe vaneſcentibus, ſed etiam homi-

mines in extremum malorum exitium prę-
citantibus.

Huiuſmodi ſuperſtitionum ineptias vel i-
Ethnici ſaniore mente præditi, & philoſo-
pica veritate inſtructi, penitùs deſpexerunt
à liberali ſtudio proſcripſerunt: vndè Cice-
ad rem agendam non ſuperſtitionem, ſed
ionem ducem habendam eſſe cenſuit, qui
in ſuperſtitioſos inuehitur. *Non habeo de-*
, nauci Marcum augurem, non aruſpices vi-
nos, non de circo Aſtrologos, non Iſiacos conie-
res, non interpretes ſomniorum: non enim ſunt
ut ſcientia, aut arte diuini, ſed ſuperſtitioſi
tes imprudenteſq; arioli, aut inertes, aut inſa-
aut quibus egeſtas imperat. Qui ſibi ſemitam
n ſapiunt, alteri monſtrant viam. Quibus di-
tias pollicentur, ab his drachmas ipſi petunt,
de his diuitiis ſibi deducant drachmam, red-
nt cætera.

Ciceronis locus de ſuperſtitioſis.

Effectus omnes qui in natura eueniunt, à
ontrarijs in eodē genere poſitis ac in ſe mu-
iò agentibus procedunt, vndè neque color
odorem, neque ſapor in frigus, neque ſo-
us in figuram agit, ſed genericis quæque li-
itibus coërcita ac circumſcripta ſuas ope-
tiones edunt: ex quo nec literas, nec figu-
s, nec characteres, aut ſuſurramina quid-
uam in morbis efficere poſſe contendimus.

Sed aniles & friuolæ fabulæ pro veris ha-

Vetulæ has fabulas nutriunt.

ctenùs historijs à nonnullis habitæ, & à nutricibus vetulis in humani generis nouercatum custoditæ sunt, quibus ingens lamiarum & sagarum cohors se coniunxit, vt eò faciliùs & armatiore manu furcigeræ in Medicam, prouinciam tanquam satellitibus stipatæ pleno impetu irruere possent. Medicina tamen earum potentiam quantamcunq; parui pendit, sed sua semper cum simplicitate, tum iustitia contenta, Dei omnipotentis munera, passim distribuit, & veritate velut gladio fallaces magicarum artium technas abscindit; atque id suo labore piè, tutò, concinnè, ac fœliciter consequitur, quod alij diabolo sese mãcipando, corporis simul & animæ periculis exponendo, ac se ab illo illudi patiendo adipisci conantur.

Quod si quis in primitiua Ecclesia sacrosanctæ Crucis signo, verbis, precationibusq́ue Sanctorum, quàm plurimas ægritudines depulsas esse obijciat; sciat velim, metaphysica & supernaturalia ea fuisse opera, in fidei attestationem miraculosè à Deo & ministris eius præstita: quomodo inter signa credentes subsecutura in Euang. Marci cap. 16. inter cætera promissio hæc legitur. *Super ægros manus imponent, & benè habebunt.* Hinc pro infirmis piæ à pijs hominibus preces, quotidie debito tamen ac licito modo, nulla necessariæ certi-

tudinis

[..]inis regula sibi præfixâ, aut numerorum, [..]arum, dierum, & aliarum curiosarum cō[..]onum obseruatione funduntur, vt quæ [..]pliciter ac solûm Dei opt. max. misericor[..]m & opem salutiferam implorēt, nec certi [..]quid sibi quasi suo iure indè statuant, sed [..]ino iussui liberè subscribant, ac de cætero [..]atoris voluntati non reluctentur.

Verùm incantatores characteristicis inuo[..]cionibus & precatiunculis suis certo nume[..]o, loco, hora, die, ac corporis positu recitan[..]s, & conceptis certis quibusdam vocabulis [..]c & illo modo efferendis, alijsque innume[..] superstitiosarum nugarum appendicibus [..]ncta nequiter polluerunt. Sunt item huius[..]odi & consimiles medicationū ritus aniles [..]anè ac inanes, siquidē de his cur & vndè has [..]l illas vires sint consecuti, nulla ratio reddi [..]otest: non enim à qualitatū temperamento, [..]ec ab vlla naturali, aut diuina vi hasce opera[..]ones nactos esse credendū est. Vndè eos neq; [..]. Mater Ecclesia approbat, sed seuero inter[..]icto rescindit, cū non nisi boni specie diabo[..]us homines perstringere, ac sese tali inuolu[..]ro insinuare soleat: cuius astutiam notans [..]amblicus, *Dij* (inquit) *Angeli, boni, nō appa[..]ent phantastico modo, sed proprio prorsus & ve[..]ro: Spiritus verò mali phātastico fallaciáque simu[..]lant Deorū præsentiā Dæmonūque bonorū, ideoque*

Iamblici locus.

culto-

cultorum suum iubent esse iustum, vt ipsi videantur boni, sicut & Dij, &c. Hinc liquet etiam Ethnicos hunc fucum dæmonis sub imagine boni ludentis deprehendisse: nec obstat quod Ecclesiastes adiungit cap. 38. nimirum Medicos operibus suis preces adiuncturos inquiens. *Da suauitatem & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum Medico: etenim illum Dominus creauit, & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria: est enim tempus quando manus illorum incurras: ipsi verò Dominum deprecabuntur vt dirigat requiem eorum, & sanitatem propter conuersationem illorum.* Hic autem Medicos nil exorcisaturos, nil incantaturos excantaturosque, sed Dominum pro salute ægrorum deprecaturos Salomon tradit, vt (quoniam hi τὸ θεῖον, id est, diuinum quiddam ac supernaturale in morbis vel Hippocrate, quamuis Ethnico, monitore edocti agnoscunt) quod vel vltio quædam sit scelerum, vel voluntatis diuinæ certa quædam executio supplicando remoueant, & sic suis pharmacis in ægri prosperitatem valetudinemque recuperandam, optatam exspectatamque operationem à Domino Deo, qui agens primum est, & sine quo nihil efficere possumus, obtineant: cuius posteà petitionis non solùm ægri, sed etiam Medici cõpotes facti requiem animorum hac obtinendi ope

ſpe diu obtentorum fæliciter Deo dante
nſequantur.

Exulent igitur à Medica prouincia quàm
ngiſſimè incantationes, coniurationes, ſu-
rſtitiones, exorciſmi, ſchedulæ amuleticæ,
cinationes, ſortilegia, carmina maleficijs
rcendis deſtinata, characteriſticæ inuoca-
nes & precationes quæcunque, non ad
i laudem directæ, nec eius legi conformes,
d ad hominum opinionem per curioſam &
piam credulitatem ad certo certius hoc vel
d efficiendum confictæ, & accurata incan-
orum attentione, pietate, ſollertia ac reli-
ne prolatæ; ſiquidem his omnibus magnã
tatem quandoque ſpirantibus tergiuerſa-
: diabolus non ſecùs quàm alienis plumis
natus in ſcenam prodit, & pſittacum aut
uonem ſimulans, ac turturis voce vtens i-
rapax coruus oberrat.

Aſtus Diaboli.

Verùm natura ipſa hæc omnia tanquam
ilia reijcit & aſpernatur, vtpotè nullâ na-
rali vi, aut qualitate phyſica, vel ratione
iloſophica medicaque, nec Dei donatione
priuilegio, ſed permiſſione eius ſola (ſicut
pſe latrocinia, furta, periuria & ſimilia
la fieri permittit, quorum tamen ipſe, quia
rna ac infinita bonitas eſt, autor & impul-
non exiſtit) conſtantia. Nihil autem Me-
ina recipit, vel recipere debet, quod legi di-

uinæ

uinæ ac S. Matris Ecclesiæ Catholicæ documentis (per quæ hæc fraudes diabolicas circumspectè exterminat & auertit) obsistit & refragatur; vel quod in natura nulla ratione nititur, quantuscunque effectus hinc prodeat; ea enim omnia licet nonnnnquam vera esse reputentur, meræ tamen vmbræ sunt, & adamantes factitij aut gemmæ mangonisatæ boni specie ludentes fallentesque, vtpotè nec diuina neque humana aut naturali ratione certitudinem & veritatem perfectã demonstrante gaudentes, sed ex cloacali antro principis tenebrarum harum profectæ, vt quibus corporibus opem sanitatem & auxilium præstare nequeunt, animam tamen longè præstantiorem, & quandoque vtrumque simul enecent, ac in diabolicam prædam surripiant. In hos probè quadrat illud Hieremiæ Prophetæ cap. 2. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Numquid seruus est Israel, aut vernaculus? quare ergò factus est in prædam?* Fida itaque salutis præsidia à domino Deo petenda ab eo effluente natura quam ipse bonorum omnium largitor tantis dotibus pro humanarum calamitatum miserijs pellendis ditare voluit qu[...]

Hierem. cap. 2.

opt

ntimus, & in tãtum locupletare potuit quia omnipotens, perfectissimus aut ditissimus, cui honor & gloria in sæculum sæculi.

Cælius Calcangninus libello de Amatoria magia superstitiosas has vanitates, quasi sacco conclusas & in vnum compactas, sic vno quasi fasciculo comprehensas generatîm & fabre describit, inquiens.

Vanitas olîm iuncta Miraculo, furtiuo concubitu genuit Magiam, reformidansq́;, ne forte veritas, cum qua perpetuas inimicitias gerit, à qua etiam paribus signis congressa sæpius profligata est, suum partum enecaret, illum Impudentiæ ac Timori, iunctis, connubiali fœdere commendauit. At illi in sinu Incomprehensibilitatis, è vestigio collocarunt, mandaruntq́; furtim sub Præstigiarum crepundiis educandam. Quæ mox in grandiorem ætatem adulta iamq; pinnulis præmunita, euolauit in fatuorum artes, ibiq; nidulans Credulitatem peperit, quæ vtpotè parentis, beneficiis grata illam mutuo enutriit alioquin breui interituram. Hæc ille.

Calii Calcangnini locus.

Sanè superstitio totas copias sub impijssimis signis educit, vt rectè monet Ioannes Binsfeldt. Diuinatio in iniquæ mentis asello locum sibi iuuenit. Onirocretica quæ thesauros somniorum deliramentis fert acceptos. Præstigiæ quæ profundam lupinæ famis

famis voraginem nulla dape impleri ſinun
Necromantia quæ & ſubterraneos & aquati
cos ſpiritus ſic amicè tractat, vt palam & aper
ta fronte edoceat, quemadmodum cum i
conuerſandum. Idololatria porrò cuius ſu
loco meminimus cæco furore Saturnum, Io
uem, Venerem, Palladem & neſcio quos Le
mures ac ſpectra in diuinitatis ſolio collocar
fuit ſolita, ex ijs felicitatis omnis ſpem ſuſpen
dens.

Veruntamen reſpuit hæc omnia Chriſtia
na perfectio, non aliena & illicita potius auxi
lia, in Domino DEO ac Saluatore noſtro IESV
confiſa.

CAPVT XIV.

Medicina luget: vnguenta olim ſanitatis ſanctitatisque fuiſſe compoſita, nunc autem nonnulla diræ deteſtationis linimenta confici.

CEleberrimum fuiſſe apud priſcos vn-
guentorum vſum, nemo eſt qui neſciat,
cùm apud eos hæc ipſa, non modò ad viuo-
rum

Diuersus vnguentorum vsus.

um corporum vel vanitatem præstandam, el compturam ac ornatum conciliandum, nulto sæculorum studio cogitata, dehinc verò comparata, sed etiam cadaueribus in longam diem ac æui posteritates asseruandis, & à putredine vindicandis adhibita fuerint.

Post primi namque parentis lapsum in præcroperas hasce calamitates præcipitata morlitas, ad sui cum conseruationem, tum repaationem ea conquisiuit remedia, & ad ea auilia adspirauit, quæ obuijs doloribus solatio sse possent: vndè extrinsecùs primùm medicata est, antequã quæ internis visceribus conenirent explorasset, ignobilia tutiùs memra, quàm eas partes à quibus vitæ vis tota ependet ambiguo experimento committi osse rata, vt si exteræ partes exindè leuamen ntirent, interni quoque languoris spes non eesset.

Parata autem olim fuêre diuersi generis vnienta, quorum aliqua sanctitati dicata, alia anitati addicta, in hominum vtilitatem comunis vsus extulit. Primi generis vnguentum lud sanctum erat, quo Moyses tabernaculum fœderis Dei iussu inunxit, de quo Scriptura Exodi 30 cap. sic habet. *Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Sume tibi Aromata, primæ Myrrhæ & electæ quingentos siclos, & Cinamomi optimi medium, id est, du-*

centos quinquaginta siclos: Calami similiter ducentos quinquaginta; Casiæ autem quingentos siclos in pondere sanctuarij: Olei de oliuetis mensuram hin: faciesq; vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarij. Ex quo elicitur consuetum iam, imò familiarem fuisse vnguentorum varij generis vsum, cùm iam vnguentarij existerent, singularem vnguentorum conficiendorum artem professi in Ægypto præsertim, quam terrarum omnium vnguentis accommodatissimam esse Plinius libro 13. capite tertio, testatum reliquit.

Vnguentum hoc sanctum non in solius tabernaculi consecrationem, sed etiam in Aaronis sacerdotis sanctificationem fuit adhibitum, etenim Leuitici 8. sic legitur. *Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili suâ: cumq; sanctificans asperfisset altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa eius, labrumq; cum basi suâ sanctificauit oleo. Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum & consecrauit.* Iucundissimum porrò fuisse illud vnguentum colligitur ex Psal. Dauidico 132. vbi Propheta fratrum concordiam extollens, iucunditatem fraternæ vnionis huic vnguento comparat, inquiens: *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum, sicut vnguentum in capite*

Aaron Vnctus.

quod

quod descendit in barbam, barbam Aaron. Quod descendit in oram vestimenti eius sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion. Sanè sacerdotes, ipsique reges pro solij sublimitate vngebantur, & filij sacerdotum vnguenta ex aromatibus conficiebant, prout 1. Paralipom. cap. 9. legimus. Quin & ipsi DEO inter cæteras oblationes vnguentum adolebant primitùs, etenim Exodi 39. scriptum habetur. *Et obtulerunt tabernaculum, & tectum, & vniuersam supellectilem, candelabrum, lucernas, & vtensilia earum cum oleo, altare aureum & vnguentum, & thymiama ex aromatibus.* Et Leuit. 2. mandauit Deus omnes oblationes aspergi oleo. nam & Iacob Genes. 28. lapidem quem dormiturus capiti supposuerat, oleo vnxit & experrectus, Deoque consecrauit. *Tulitq́; lapidem & erexit in titulum fundens oleum desuper.* Sanctorum porrò vnguentorum vsus in Ecclesia Catholica, vel ad nostra vsque tempora perseuerauit, quomodo sancta hæc mater filijs suis trino semper vnctionis oleo prospicit: quorum primum Oleum Salutis, alterum Chrismatis, de quo Prudentius,

Sacerdotes & Reges vncti sunt.

> *Vnguentum regale datum est, & chrisma perenne,*

tertium verò, oleum infirmorũ appellari consueuit, de quo in Epistola S. Iacobi Apost. c. 5.

Extrema Vnctio.

sic legitur. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* Nam & discipulos Christi vngendo multos persanasse ex Marci cap. 6. didicimus, sic enim textus habet. *Et exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eijcierent; vnguebant oleo multos ægros, & sanabant.* Atque hæc quidem sancta erant vnguenta, & adhuc sunt in diuinum maximè cultum relata. Sed & alijs quoque in corporis præcipuè commodum paratis vnguentis antiquitas gauisa fuit, vtpotè à quibus morborum solamen non exspectaret modò & speraret, verum etiam experiretur, monente Ecclesiastico Ca. 38. *In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera eius.* Istiusmodi vnguentum sanitatis parasse legitur Samaritanus, Lucæ 10. quod vulneribus hominis sauciati, qui in latrones inciderat, applicuit, sic enim de eo scriptura loquitur. *Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum.* Defectum porrò vel neglectum tam salutiferæ vnctionis ac olei plangit Isaias Propheta cap. 1. inquiens. *Vulnus & liuor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Et

Vnguentū Samaritani.

Dauid

David Rex 2. Reg. cap. 1. obitum Saul deflens, ait. *Neq; sint agri primitiarum, quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo.* Videbatur autem inunctio nō minùs necessaria quàm vel cibus, vel potus, vndè inter maledictiones, quas Dominus Deus ijs qui legem seruaturi non essent, hanc Deuteron. 28. recenset scriptura. *Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo, quia defluent & peribunt.* Promittebat autem vnguento vnctum iri electos suos Isaiæ cap. 28. *Et faciet Dominus in monte Sion conuiuium omnibus gentibus: bibent vinum, bibent lætitiam, vngentur vnguento.* Et David Psalm. 22. gloriatur inter cætera Dei beneficia de vnctione à Domino sibi præstita. *Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quā præclarus est?* & Psal. 45. *Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*

Pretiosiora verò vnguenta à Regibus inter thesauros reposita fuisse historiæ memorant: etenim castris Darij regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexander vnguentorum scrinium cœpit: & Herodotus in Thalia inter munera, quę Cambyses per legatos ad Regem Æthyopum misit, recenset ἀλάβαστρον μύρου id est, Alabastrum vnguenti misisse, capiebat autem Alabastrinum tale Vasculum quorundam opinione libram vnam: & Ezechias rex

nuncijs regis Babylonis inter theſauros ſuos vnguentum oſtendit, abſque dubio præſtantiſſimum, prout ex Iſaia Propheta liquet cap. 39. *Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias, & oſtendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa quæ inuenta ſunt in theſauris eius.* Veteres Cedria chartas illinebant vt à vetuſtatis corruptione vindicarentur. Et quidem mirum non eſt tanti vnguenta olim æſtimata fuiſſe, cum hæc ipſa magna pars medicæ materiæ extiterint, quam ſoli ferè Reges ac Sacerdotes (prout alibi monuimus) tractauêre. Dominus porrò noſter IESVS filius Dei viui, Chriſtus, id eſt, vnctus vocatur, de quo Dauid Pſal. 44. *Myrrha & gutta & Caſia à veſtimentis tuis.* De cuius vnctione multa ex ſacris literis habet Thomas Bozius in libr. de ſignis Eccleſiæ. Et nos quidem horum plura in Aloëdario noſtro ante triennium in lucem emiſſo, abundè ſignificauimus. Eximij licet ſat ſordidi vſus eſt vnguentum illud plauſtrium, quo aurigæ itineraturi axes, ad moras ſuæ profectionis accelerandas vtuntur, nec carere poſſunt officinæ pharmaceuticæ vnguento ad tineam necandam confecto, quo pediculorum integræ acies fugantur, vulgo Lauß-ſalb dicto neque vero negligenda vnguenta

IESVS Chriſtus Vnctus.

illa

lla ad ſcabiem Styracem Terebinthinam, Butyrum Citri ſuccum, Sulphur viuum & Camphoram recipientia communiter Rauden-ſalben dicta, & vnguenta ex Frangulæ corticibus leproſis accommoda, quinetiam vnguenta ex Rhamno ac alia, ad Meliceridas & capitis fauos, itemque ea quæ ex Lappathio acuto ad cutis eroſiones & pruritus parari conſueuerunt, vulgo Straifſſalben dictæ. Taceo nunc de cæteris quorum complura ad ictus, contuſiones, præcipitationes ac caſus ab alto, hæmorrhoidum dolores vulnera, vlcera, cruciatus colicos, articulorum tormenta dentium & capitis afflictiones, laſſitudines, abſceſſus, hydropos, anthraces, hæmorrhoides, Eriſypelata, inflammationes, tumores, conuulſiones & innumera penè alia corporis damna, antiquitas experimento nixa excogitauit. Itaque ſanctitati partîm dicata erant vnguenta partim ſanitati, alia ad vulgares alios vſus, ſine tamen peccato ac vllâ Dei offenſa licitè parabantur & adhibebantur.

Veruntamen in ſuâ hac ſanctitate ſanitatisque præſtandæ fiducia non diu vnguenta perſtiterunt, ſed alieno vſu deprauata in luxum & luxuriam traducta ſunt, ita vt ad voluptates admiſſa, honeſtiſſima vitæ bona turbauerint, & ad amores conciliandos, & nequitias alia longè diuerſas eliciendas expetita

 fuerint,

fuerint, cùm vel in veteri Testamento vnguēta meretricia extitisse legamus. Vndè 2. Paralipom. Asa rex vnguentis meretricijs sepultus perhibetur. *Et sepelierunt eum in sepulchro suo quod foderat sibi in ciuitate Dauid. posueruntq́, eum super lectum suum plenum aromatibus & vngueutis meretriciis, quæ erant pigmentariorū arte confecta.* Quin & Iudæa gens ijs in delicijs est abusa, cuius Propheta Amos cap 6. meminit, exitium vitam in voluptatibus agentibus præsagiens. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Quid quod Iudith cap. 10. Holofernem deceptura vnguento se tinxit? *Et lauit corpus suum, & vnxit se myrto optimo, & discriminauit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis iucunditatis suæ.*

Iudith.

Tamen etiam pro gloriâ ab vnguentis quæsitâ regna decertarunt; optimū primò in Delo extabat, secundas tenebat Mendesium; placuit autem Corintho Irinum, postea Cyzicinum ac Rhodinum; quorum gloriam æmulata est Neapolis, Capua, Præneste. Laudatum verò Crocinum in Cilicia, Oënanthinum in Cypro, Amaracinum ac Melinum in Coo. Ægyptus Metopio gaudebat, prout Athenæ Panathenico. Pardalium aliud in Tharso extiterat, prout Sampsuchinum in Mytilenis. Telinum ex oleo, Cypero, Calamo, Meliloto, Fœ-

Concertatio de præstantia Vnguentorum.

nugræco,

...graeco, Maro, & Amaraco confectum Me-
...andri Comici poëtæ ætate celebre erat, cui
...ccessit Megalium propter gloriam nomen
...sortitum, ex Balsamo, Calamo, Iunco, Xy-
...balsamo, Casiâ, Resinâ, & oleo Balanino
...ratum: nec contemnendi vsus erat Nardi-
...um spicatum ac foliatum, quibus prodigio-
... Cinamomi pretia accesserunt, ita vt eorum
...iqua trecentis & decem denarijs venirent.
...ræcipua verò vngentorum materia oleum
...rat, idque optimum & præcellentissimum,
...uale Venafranum erat, de quo Martialis lib.
...Epigr. 93.

Hoc tibi Campani sudauit bacca Venafri:
Vnguentum, quoties sumis, & istud olet.

...tenim vt Plinius lib. 3. cap. 2. docet, vnguen-
...a & odores oleo faciliùs seruabantur, vndè
...irg.

Nec Casiâ liquidi corrumpitur vsus oliui.

...ic igitur vnguenta in luxum superuacuum
...raducta sunt, prout Plinius libr. 13. cap. 3. ait.
Margaritæ gemmæque ad hæredem transeunt, vestes prolongant tempus, vnguenta illicò expi-rant, & suis moriuntur horis. Summa commen-datio eorum, vt transeuntem fœminam odor in-uitet, etiam aliud agentem, exceduntque qua-dragenos denarios libræ, tantùm emitur volu-ptas aliena, etenim odorem qui gerit, ipse non sentit. Hæc Plinius.

Plinius de Vnguentis.

Eousq; autem vnguentorum voluptas processit, vt ea prisci poculis admiscere non dubitarint, nec iam satis erat vnguentis sese imbuisse, sed & ijs penitùs perfundi gaudebant. *Vidimus*, inquit Plin. loco citato, *vestigia pedum tingi, quod M. Othonem monstrasse Neroni Principi ferebant. Quæso, vt qualiter sentiretur, iuuari ab ea parte corporis? Nec non aliquē ex priuatis audiuimus iussisse spargi parietes balnearum vnguento, atq; Caium Principem solitum lauari.* Hinc forsitan Martialis lib. 13. Epig. 121. monet, ne vnguentum pro luxu hæredi relinquatur, inquiens:

Vnguentum hæredi nunquam, nec vina relinquas,
Ille habeat nummos: hæc tibi tota dato.

Vngebantur veteres post balnea, ac guttur vnguentis proluebant, imò ea potabant, præcipuè verò ante cœnam eorum vsum inibant, vndè idem Mart. lib. 3. Epigr. 9. conqueritur, se à cœna Fabulli vnctum quidem, sed incœnatum abijsse, cum ait:

Vnguentum, fateor, bonum dedisti
Conuiuis here: sed nihil scidisti.
Res salsa est benè olere, & esurire,
Qui non cœnat, & vngitur, Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

Etenim veteres in conuiuijs, ac propinationibus vnguentis, quæ tamen Iliacis temporibus

[...]ibus nondum extitisse, vel suis (si eum re[...] [i]ntelligas) oris nondûm cognita fuisse vult [...]ius, plurimùm vsos fuisse memorant ve[...]m monimenta, non quidem vt oblecta[...]ata tantum, sed vt ebrietatem arcerent, [...] crapulam depellerent, eorum tamen vsum [Soc]rates in Xenophontis conuiuio repudia[uit]. Parabantur autem vtplurimum odora[...] præsertim mixto Balsamo vni Iudeæ con[cess]o, apud Hierichonta nascentè, de quo Pli[ni]us lib. 12. cap. 25. & lib. 16. cap. 32. id enim mi[ra]m snauitatem præstabat, de quâ fragrantiâ [Iu]uenalis.

Socrates Vnguenta repudiauit.

Hirsuto spirant Opobalsama succo.

[...] Iones primos luxuriosorum vnguento[ru]m, ad voluptatum irritamenta suscitanda [co]mparatorum, inuentores ac repertores [ex]titisse Valer. Maxim. libr. 2. prodidit, vn[de] *Ionici risus* prouerbium in voluptuarios [e]t molles est deuolutum, qui ijdem choreas [&] saltationes lasciuas, in conuiuia introdu[x]erunt, prout refert Martinus Tyrius in o[p]ere cui titulus est. Quis sit Philosophiæ [f]inis.

Iones luxuriosorū vnguentorum inuentores.

[...] Athenæus libr. 15. Sardianos & Athenien[s]es adeò vnguentorum fuisse auidos scribit, [v]t eorum pretia in immensum excreuerint. [Æ]gyptus tamen hos fermè superauit, cum ea in

Ægyptus vnguenta olim complura suppeditabat.

ea in natione vberrima olei & vnguentorum copia proſtet, à quibus primitùs ad Iudæos, Perſas, Græcos, & tandem ad Romanos, ad alias nationes, vngendi hic vſus eſt propagatus.

Heroës tamen ob frugalitatem & parſimoniam ab vnguentis abſtinuerunt, vt qui neque ſuffimentis, vel coronis, vel vnguentis delectati fuerint, cum ſola Paridis facies, à Venere vnguento fuerit delibuta, quâ de re Homerus & Athenæus lib. 1. cap. 4. & 12. Antiqui tamen ſingulis membris ſingula vnguenta accommodarunt, pedibus nempè & cruribus Ægyptium, Phænicium maxillis ac mammis, Amaracinum ſupercilijs & cæſariei, Serpyllinum collo & genubus, Siſymbrinum altero brachio, Martiaton ventri, Arêgon artubus, Arthaniticum hypogaſtrio, &c.

Vnguenta diuerſis partibus accommodata.

Seruabantur autem vnguenta, præſertim odorata in Onichijs conchilijs, ad vnguentorum cuſtodiam probatiſſimis, de quibus Hermolaus Barbarus. Hæc enim conchilia in Indiæ paludibus Nardum ferentibus nata, gratiſſimum odorem ſpirant, eò quod Nardo ſeu Spica veſcantur. De vnguentis his menſarum delicijs adhibitis Propert. lib. 3.

Onyx.

Sit menſæ ratio, moxq; inter pocula currat,
Et Crocino nares Myrrheus vngat Onyx.

De huius Nardi diuerſis generibus, quibus

vel

per quæ Conchilia hæc victitant, multa in Guilielmo Tigurino in comment. Maris Erythrei leguntur. Onychis mentionem facit Horat. Ode. 12. lib. 4.

Nardi paruus Onyx eliciet cadum.

An ſan vnguenta maioris æſtimationis tunc erant quam epulæ, attamen Catullus cænaturum apud ſe Fabullum inuitare videtur, vt dapes ſecum ferat, ſe enim vnguentum daturum, quod ſic innuit.

Cænabis benè mi Fabulle apud me
Paucis ſi tibi Dii fauent diebus,
Si tecum attuleris bonam atq; magnam
Cænam, non ſine candidâ puellâ,
Et vino & ſale, & omnibus cachinnis.

Deindè paucis interpoſitis verſibus ſic ait:

Nam vnguentum dabo quod meæ puellæ
Donarûnt Veneres, Cupidineſq;.

Vngebant autem veteres capita, poculaturi, ratione, vt præfatus Athenæus lib. 5 ex Myrtidis libro de Vng. refert, ne aſſumendum vinum, in caput ſtatim feratur, vndè tempora humectabant, ne vinum meracius hauſtum ſuperiora tendat, vndè Plutarch. in libr. de Iſide & Oſyride ex Ariſtotelis ſententia, vnguenta non minùs ad ſanitatem quam ad voluptatem facere, nitidam enim faciem oleum praeſtat. Adſtipulatur operi adagium oleo nitidus, quia id vel capillis humanis, vt teſtis eſt Plato

Veterum mos in cōuiuiis.

Plato in Protagora salutare existit, luxum ta men eum sanctè cauerunt Essæi, de gente Iu dæorum, prout ex Porphyrio & Eusebio co ligitur, vt corpore aridi, nō molles existeren

Tandem quoque honos vngendi ad defun ctos pertinere cœpit, cū mortui perungi fu rint soliti, qui mos etiam ad Iudæos transijt, ex S. Ioanne Euangelista patet c. 18. *Venit au & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte pr mū, ferēs mixturā Myrrhæ & Aloes quasi libr centū. Acceperunt ergò corpus Iesu, & ligauer illud linteis cū aromatibus, sicut mos est Iuda sepelire.* Idē colligitur ex D. Marco ca. 16. *Et transisset Sabathū, Maria Magdalena, & Ma ria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt ve nientes vngerent Iesum.* Et de Maria Magdal na loquens Dominus Matth. c. 26. ait. *Mitte enim hæc vnguentū hoc in corpus meum ad sep liendum me fecit.* Et Marci 14. *Præuenit vnge corpus meū in sepulturam*, erat enim is à pr dictâ muliere in domo Simonis leprosi vngu to pretioso dum recumberet, perfusus: qu quidem delicatum ac sumptu haud leui con paratum fuisse colligitur ex hoc, *Potuisset nim hoc venundari multô, & dari pauperibu* Et Marc. 14. *Poterat enim vnguentum istud v nundari plus quā trecentis denariis.* Quale vn guentū antehac luxui, libidini, ac sensus vol ptati dicatū, vel ad corporis compturam co

Nicodemus.

S. Maria Magdalena.

cinn

cinnatum, magna mulieris pœnitudine tunc tandem in gratum Christo officium, charitatis symbolum, piæ imitationis exemplar, deuotionis institutũ, ac tam benè gestæ rei, vtpotè cuius recordatio æternum permansura foret, memoriam cessit; cùm præterea (vt B. Ephrem Syrus in Sermone de muliere peccatrice innuere videtur) audacia eius in obsecrationẽ, impudentia in orationem, cõtritio cordis in illuminationem, ac vnguentũ in propitiationẽ factum fuerit, cùm Christus dominus Simoni exprobrasset, quod se inunctũ mensæ assidere fecerit, inquiens: *Oleo caput meum nõ vnxisti, aquam pedibus non dedisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos.* Prout enim Romani, ita etiã Iudæi ante cibũ & lauabant, & vngebantur, & cum aromatibus defunctorum cadauera sepeliebant, è quibus hodierna Mumia prouenit, omnibus pharmacopæorũ officinis expetita, de qua neminem ferè melius, quàm Nicolaum Christoph. Radziuilium, Ducem Olikiæ in Hierosolymitanâ sua peregrinatione scripsisse arbitror, cuius itinerariũ à Nobili & Magnifico viro D. Marco Velsero Reip. Aug. Duumuiro, vt spectatissimo ita & meritissimo, cõmunicatũ habui, vbi in epist. 3. sic ait. *Primo manè, conscensis asinis quos Cayro præmiseramus, progressi sumus ad vnum bonum milliare, inter Pyramides ad meridiem positas,*

Ephrem Syrus.

penes

Penes quas sunt antra plurima subterrânea in Petrâ excisa, quæ vel parochiæ olim fuerunt, vel familiarum diuersarum sepulchra. Nunc omnia sunt arenis oppleta, quibus amotis per funes in cryptas eiusmodi descenditur. Quamobrem & nos apud Pyramidem quandam altiorem in foramen decem & ampliùs vlnas profundum nos eâdem ratione demisimus, vbi in petrâ reperimus plurima alia antra in longum excisa, in quibus multa hominum cadauera erant sepulta, è quibus mumia quam vocant, petitur. Affirmant ea corpora siue Balsamo, siue aliis diuersarum herbarum vnguentis condita fuisse, quæ qualia fuerint, discurrant Medici. Apparet certè aliquid egregium & singulare fuisse, quandoquidem à tribus annorum millibus absq; minimi alicuius membri putrefactione eiusmodi corpora integra in hanc vsq; diem conseruantur. Et postea. *Odor ex eiusmodi corporibus proueniens non est adeò grauis, vt facilè tolerari non possit, propter aromata tamen acutior est, & quantum ex narium indicio colligi potest, Myrrhæ multum vnguentis his admisceri debuit, nam vbiq; per cauernas illius odor acrius spirabat. Ossa eiusmodi corporum sunt candidissima, quibus vnguentorum illorum compositio candorem mirificè conseruat.* Eiusmodi cadauer Cayro aduectũ spectare nobis licuit in Pharmacopolio domini Israelis Telotti, ciuis Augustani,

gustani, cuius cranium post tantam annorum seriem erat candidissimum; quin & ipsa cadaueris inuolucra à conditura, qua corpus id post obitum pollinctum erat, in tantum adhuc incorrupta conspiciebantur, vt ex quo genere lanificij confecta fuerint, notare potuerimus; erat enim textura, quam vulgus Chamloth & Schamelott nominare consueuit.

Israel Telottus Pharmacopaeus.

Constat autem Ægyptios cadauera Myrrha, Aloë, Cedro, Melle, Sale, Cera, Bitumine & Resina odoribus & vnguentis delibuta condijsse, quod & apud Latinos factitatum Ennius docet, vt est apud Seruium,

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

& Virgil. 6. Æneid.

——————— & ahena vndantia flammis
Expediunt, corpusq́ lauant frigentis, & vngunt.

Extitêre namq́; pollinctores ex familia libitinarij, qui corpora mortuorum lauabant vngebantq́;. Nec verò cadauera talitèr condijsse sat erat, nam & aromata & vnguenta ijsdem cremandis rogo veteres intulisse legimus. Vndè Martialis Zoilum accusat, quod rogis illata munera furtìm surripuisset, inquiens.

Vnguenta, & Casias, & olentem funera Myrrham,
Thuraq́ de medio semicremata rogo,

Et quæ de Stygio rapuisti Cinnama lecto,
Improbe de turpi, Zoile, redde sinu.
A pedibus didicere manus peccare proterua.
Non miror furem, qui fugitiuus erat.

Idem quoque ex eodem Poëta lib. 10. Epigr. 80. colligitur.

Dum leuis arsurâ struitur Libitina papyro,
Dum Myrrham & Casiam flebilis vxor emit.

Vnguenta Cosmetica.

Atq; hæc quidem vnguenta extitêre, quorũ aliqua sanctitatis, alia sanitatis erant, noñulla pietatis ergô mortuis deferebantur, quibus in noxiũ aut malitiosum vsum deprauatis successêre Cosmetica illa seu comptoria & meretricia, de quibus jam dictum fuit, ac alia ad voluptates præstandas vel libidines exercendas aut suscitandas, magnis mortalium cum noxis, tum expensis excogitata, hæc enim cum non parui venirent, parum quandoque corpori commodabant, vt quæ effæminatis solùm & libidinosis si non adscripta, saltem concessa fuerint, ad obtegendam forsan turpitudinem, quam vel sexus ipse, vel eius affectatio præ se ferebat. Probandus magis venit veterum ille lusus, quando inflatos obunctosq; vtres theatris intulêre Bacchi maximè festa obeuntes, in quibus saltationis quodam genere, quod Ascoliasmus dicebatur, vsi, his ipsis inunctis vtribus vno tantùm pede insilire sunt

Vtres Romanorũ.

Ascoliasmus.

re sunt soliti, vt delabentes risum excitarent, de quo genere lusus Virgil. 2. Georgic.

Mollibus in pratis vnctos saliêre per vtres.

Sed & segetes vnguentis delibutæ in sequentis anni spem terræ felicius olim credebantur, vt ex eodem Virgil. 1. Georgic. patet his versibus,

Semina vidi equidem multos medicare serentes,

Et nitro prius, & nigra perfundere amurca.

Et sanè pecudum greges priscis temporibus vnguentorum varietate dignoscebantur, vt docet Calphurnius Eclog. 5.

——— viui quoq; pondera melle

Argenti coquito, lentumq; bitumen aheno

Impressurus oui tua nomina.

Excipiebantur sues, hi namque soli vnguenta non admittebant, vt quibus hæc ad necem vsque aduersabantur. Vnde Lucret. lib. 6.

Deniq; Amaracinum fugiat sus, & timet omne

Vnguentum, nam setigeris subus acre venenum est,

Quod nos interdum tanquam recreare videtur.

At nobis contra cœnum teterrima cum sit

Spurcities, eadem subus hæc res munda videtur,

Insaturabiliter toti vt voluantur ibidem.

Licet autem omnis ferè gens ac ætas vnguentis vſa fuerit, improbatæ tamen ſemper fuêre non tam à philoſophis quàm legislatoribus coſmeticæ illæ ſeu comptoriæ illinitiones, quibus vel fucus præſtabatur, vel animi hominum vna cum corporibus effęminabantur, aut in voluptates acti mortales, fluxis his ac mox tranſeuntibus delitijs ſeſe dederent, ac per quas luxus ac luxuria hominibus imperaret. Vndè Lycurgus Platone in Lacon. apoph. teſte, vnguenta è Repub. eiecit, tanquam olei corruptelam ac perniciem, vtpotè quod oleũ odoribus vitiatum, nullum nec ad eſum, nec ad membrorum leuamen vſum haberet, eius autem copia delitijs abſumeretur. Anacharſis teſte Laërtio lib. 1. cap. 9. Oleum dicebat eſſe venenum inſaniam gignens, vt quo peruncti athletæ inuicem inſanirent. Socrates equum, ceu beſtiam balſamo oblitã idem olere quod regem cenſuit, cum Amaracino aut Foliato ambo vſi idem oleant ſeruus & ingenuus: proindè vnguenta fæminis relinquenda eſſe arbitratus eſt, ac in iuuenibus nullum vnguentum melius olere putauit quàm oleum palæſtræ, quo ad luctæ laborem acceſſuri pugiles præungebantur; alias in viro vnguentum arguit vitæ mollitiem, cùm tamen bona fama hominis odor eſſe debeat. Carpit odorem vnguentis de-

Anacharſis.

Socrates.

Luctatores.

tis delibutorum arguto hoc Martialis Epigrammate lib.2.Epigr.10.

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia Myrrham,
Quodq́; tibi est nunquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quod oles benè Posthume semper,
Posthume non benè olet qui benè semper olet.

Diogenes omnis luxus & mollitiei seuerus arbiter vnguentum quondam nactus, pedes eo inunxit, quod in capite id mox expiaturũ & in auras abiturum crederet, à pedibus autem iucundum naribus odorem subministraturum speraret, vtpotè cuius halitus ab imis ad superiora transiturus esset, sicq́; nares haud sine iucunditatis alicuius perceptione præterlapsurus; vndè etiam coronas non capiti imponendas esse ratus est, eò quod vapor facilius ascendat, quàm descendat. Monuit is idem quendam capillos vnguento tinctos habentem, ne capitis suaueolentia vitæ maleolentiam adduceret. Quin & Fl. Vespasianus adolescentem vnguento fragrantem increpauit, inquiens: *Mallem allium oboluisses*, *prout Suetonius in eius vita prodidit*. Plinius lib.13.c.3. in luxum vnguentorum inuectus sic scribit. *Quando id primum ad Romanos permeauerit,*

Diogenes.

Vespasianus.

non facilè est dicere. Certum est Antiocho Rege Asiaq; deuictis, vrbis anno quingentesimo sexagesimo quinto, P. Licinium Crassum, Iulium Cæsarem Censores edixisse, ne quis venderet vnguenta exotica, sic enim appellauêre, at herculè iam quidam etiam in potu addunt, tantaq; amaritudo est vt odore prodigo fruantur ex vtraq; corporis parte. Laudabilia tamen apud veteres extiterunt vnguenta illa ac Diapasmata, quibus in alipterio prisci luctatores vngebantur, vt ad labores ferendos roborarentur, hæc enim viros prout & balsama decebant, cùm delitiosa à solis maximè vel fæminis, vel mollibus ac effæminatis expeterentur. Vndè Bilbilitanus Poëta lib. 14. Epigram. 54. sic exclamat,

Diapasmata.

Balsama me capiunt, hæc sunt vnguenta virorum:
Delicias Nini vos redolete nurus.

Ninus.

Erat autem Ninus rex Assyriorum, quorum maximus in pigmentis erat luxus, vndè Poeta de Assyrio vnguento,

Si sapis Assyrio semper tibi crinis Amomo
Splendeat.

Et quamuis mulier ex Plauti sententia omnium rectissimè oleat, vbi nihil olet, concedenda tamen faciliùs fæminis forent Vnguenta Cosmetica & ad delicias, voluptates, ac odores præstandos accommodata, si modò à

Diabo-

Diabolicis iſtis vnguentis abſtinerent, quibus furcas in dæmoniaca itinera abituræ præungunt, ac turbines ſuos in auras euectæ, ſathanico potius ſomnio quàm reipſa girare conſueuerunt, quibusque non homines ſolùm, verum etiam bruta inficiunt & enecant: ſed tædet de his plura eloqui, ſua ſibi nequitia ſufficiat; eiuſmodi enim ſtriges vanis diaboli promiſſis ac illuſionibus deceptæ in ſui perditionem æternum duraturam, niſi reſipiſcant, abeunt.

Hexen ſalb.

Nunc autem ad Aliptas ac Vnctores eos veniendum, qui ſuis quibuſdam vnctionibus ſanitatem ſeſe ablatis & pacatis protinùs doloribus præſtituros ægris variè ac noxiè pollicentur inter quos primum ac præcipuum locum meritò tenent ineptiſſimi quidam balneatores tonſoresque, vix ad nouaculam exercendam & ſudores deradendos idonei, qui promiſcuo ſuæ non modò ruſticitatis, verum etiam inſcitiæ more, per quam ſua pro libidine temerè Medicinis abuti conſueuerunt, vt ineptę ac ſibi familiaris, veluti ſibi perſuadent acumen oſtendãt & oſtentent, lue Venerea infectos vnguentis Mercurialibus ſanare temerè aggrediuntur, nullis fermè præmiſſis vniuerſalibus, quæ topica ac localis medicatio ſumma rei neceſſitate compulſa requirit. Vnde cum prædicta lue laborãtem de doloribus,

qui nocturno maximè tempore per calorem decubitus aut ſtraguli fuſis humoribus morbificis ac in perioſtia ſæuientibus inualeſcere & exacerbari conſueuerunt, conquerì audiunt, nullis prius adhibitis digerentibus cõcoquentibus ac antidotis ad debellandam veneni Venerei malignitatem pro artis indicatione ægriq́ue ipſius indigentia comparatis, imò vix leui aliqua ac obuia purgatione vſi, quæ tamen humores noxios plus ſæpè turbaſſe aut commouiſſe, quàm eduxiſſe animaduerſa eſt, vnguenta illicò Mercuriata argẽto viuo turgida, in quibus hoc ipſum per grana diffuſum exſplendeſcit, corporibus inungunt, quæ ita his illinitionibus intoxicata deterioraſcũt, vt poſt paucos dies ægri nil quidquam mandere, vix linguam præ tumoribus ad loquelam flectere queant: huic guttur prę-cluditur, illi immaniſſimus dentium ac capitis dolor priore quem ex ipſa Venerea lue ſenſerat, decuplo maior ſuſcitatur; alius in Diarrhæam lethalem incidit; plurimi in febres acutas, faucium inflammationes, anginas, pectoris anguſtias, peripneumonias, cordis palpitationes ac ſyncopas nõ ſine pręſentis mortis periculo ac formidine incidunt, non paucos nauſea corripit ac vomitus, multi omninò pereunt; quod ſi qui emergũt, etiamſi poſt tantam ac tam periculoſam cladem non magis à

Lue Venerea infecti plus noctu dum incaleſcunt dolent.

Vng. Mercuriata.

Damna ex Mercuriali inunctione emergẽtia.

Chur vnd Mercurialiſche Salben.

gis à priore morbo quàm ab his vnguentorũ tormentis ſani euaſiſſe videntur vbi luminis auras rurſus ſubeunt, vel mox antiquo malo rurſus corripiũtur, primordijs prægreſſi morbi repullulaſcentibus, vel Epilepſia, Apoplexia, aut Paralyſi tentantur, cæteri & ſenſus & memoriæ hebetioris effecti, tremuli ac vacillantes gradiuntur, ac diſcolorati, tanquam cachectici vix perennant, tota natura ex veneniſici vnguenti malignitate deprauata, ac in has ærumnas detruſa. Hæc eſt vnguentariorum horum horribilis tragœdia, omnibus terræ finibus execranda. Et licet rationales Medicos vnguentis Mercuriatis vti perſæpè conſtet, ſunt tamen ea ſic præparata, vt Mercurij vis nociua aliorum antidotorum admixtione repreſſa neruis ac vniuerſo corpori vim tantam non inferat: nec verò Medici rationales promiſcuè ijs vnguentis vtuntur, ſed per occaſiones tantùm quas methodica & ex arte ponderata indicatio protulit, præmiſſis ſemper, ſubſequentibus, ac concomitantibus alijs remedijs ad morbi leuamen directis. Vide deſcriptionem vnguenti Mercuriati in Pharmacopæia Auguſtanorum, quæ longè ſeſe aliter habet, quàm tortoria illa alia balneatorum Agyrtarum ac circumforaneorum linimenta Mercurialia, & neque tamen idipſum tutum eſt, niſi certis quibuſdam commoditatibus ac

Mercuriatorum vnguentorũ pericula.

 circum-

circumſtantijs obſeruatis acutè ac attentè v-ſurpetur. Adhuc autem peſtilentes ſuas vnctiones aſtuto quodam velo tegere, vt ſub alia ſpecie hominibus nocere poſſent, ſunt aggreſſi; etenim cingulis ea & monilibus incluſerunt, quæ ſcabioſorum & cutis prurigine laborantium hominum lumbis circumdederunt, ac carpis manuum ea applicarunt. Atque hæc quidem cingula & armillæ tetrum illud Argenti Viui virus in corpus geſtantis eiaculabantur, quod adeò per vniuerſum eius habitum peruadebat, vt fœtentes protinùs ſaliuæ per ora fauceſque defluerent, collum tumeſceret, pedes vacillarent, ac viſcera nobilia magis coinquinarentur, quàm cutis prius fæda ſcabie, quam hoc periculoſo & noxio medicationis modo depellere nitebantur, turpata fuerat.

Armilla Mercuriata.

Cingula Mercurialia.

Veruntamen à Mercurialibus hiſce pollinctoribus & Libitinarijs digreſſi, eos nunc perſtringamus, qui neſcio quo inſulſo ac crudo inſaniendi genere, telungio quodam ſibi cõparato, abſentium in ſe curas ſuſcipere attentarunt. Vnde inter cætera pollicitationum ſuarum prodigia Vnguentum quoddam Armarium compoſuêre, quo enſes, cultros, tela, ſagittas, haſtas, bipennes, & alia queuis inſtrumenta cæſim aut punctim ad lædendum parata perungerent. Si quis igitur hoc vel illo armo-

Libitinarii ac pollinctores.

Prodigia pollicitationum.

armorum genere ſauciatus fuerat, telum aut iaculũ, gladiumúe, vel id nocendi inſtrumentũ, per quod vulnus inflictum eſt, ad ſe deferri iuſſerunt: & ſi punctim offenſio facta, ab apice pugionis, cultri, aut enſis, manubrium verſus vnctionem ſuam adminiſtrantes ſuperinduxerunt. Sin verò cæſim pars quædam læſa eſt, ab acie dorſum verſus gladium vnguine ſuo liniuerunt, idq́ue adeò religiosè ab illis obſeruatum erat, vt is qui contrario modo huiuſmodi arma perunxiſſet, magnos vulneri dolores conciliaſſe, ægroq́ue vulnerato non parum damni attuliſſe ſit creditus. Medicatio hæc, quia nonnullos ægros abſentes commodè integritati reſtituiſſe viſa eſt, ob raritatem & dexteritatem quam præ ſe ferebat, ac per quam nouitatis cuiuſdam nitore ſplendere videbatur, à quàm plurimis non modò ſuſcepta, ſed etiam plenis vlnis & amplexibus excepta eſt. Etenim in tantum eius ſtudio multi præclari viri vacarunt, vt eam quoque pro aris ac focis defendendam eſſe cenſuerint: ſiquidem rarum & pulchrum videbatur, ab illo (qui fortè in Gallia, Belgio, aut Italia vulneribus inſignitus foret) inſtrumentũ id per quod vulnera acceperat, in Germaniam mitti poſſe, vt ibidem telungio ſeu vnguento armario (Germanis Waffenſalb dicto) deliniretur, atque ſic plurium milliarium ſpatio diſtans æger

Waffenſalb/hieſſe wol Affenſalb.

ger à Medico & Medicina nihilominùs dextrè ac integrè curari possset.

Quoniam verò singularum rerum iustam conditionem ipsa veritas exponit, plurimi eiusmodi curationis vim non obiter ac Empirico quodam modo, sed per causam cognoscere studuerunt: cùm autem in eius disquisitione nihil physicæ ac naturalis operationis deprehenderent, censura virorum sagaciore planè iudicio præditorum ex medicamentorum physicè operantium catalogo istud liniendorum armorum genus iure ac merito expunxit.

Pro dolor, quantos hæc res contentionum tumultus in Medica facultate concitauit? quas non dissensiones peperit? hanc enim & consimiles medicationes Empirici, rerum solummodo euentus ac id quod in opere posterius est considerantes arctissimè tutati sunt. Contra hos acerbo ingenio stetêre hucusque Rationales, effectus omnes ac singulos ad prægressarum causarum ponderationem reducentes, indeque scientificam veritatem elicientes, vndè à priori (vt aiunt) iam dictos earum rerum qui in Medicina fiunt euentus colligentes, turpe esse putabant artifici, si is quidam in arte moliri attentaret, cuius rationem reddere nequiret.

Rationales Medici causas euentuum inquirũt.

Quare ad sympathias & occultas proprietates

Vnguentum sympatheticū.

tates (quarum latens ac penitùs abstrusa cognitio est) vtrinque deuentum, inuentum verò nihil. Empirici arma vulneris inflicti cruore infecta nonnihil contraxisse dixerunt quod cum vulnere sauciati tacito quodam consensu participaret, eique certo modo responderet, vtpotè quod portio quædam sanguinis, caloris, aut spirituum è vulnere in ensis ferientis pungentisúe superficiem euaserit, ibique quodammodo condensata eidem adhæserit, quæ nunc certam cum vulnere illo (è quo desumpta est) proportionem, familiaritatem, & correspondentiam seruet. Rationales è contrario, calorem hunc & spiritus continuò euanescere, sanguinem cōfestim refrigeratum emori, nullamque viuentis alicuius facultatis opem ampliùs edere posse demonstrarunt. Adducta proindè ab Empiricis ad actionem in distans confirmandam stabiliendamque quàm plurima exempla, quæ cum nihil certi conuincerent, ipsam medicamenti compositionem naturalibus omninò medijs ac simplicibus nulla superstitione iunctis & coadunatis constantem, in publicum produxêre, vt si quæ superstitionis, incantationis, magię, clandestini cum dæmone pacti, aut maleficij cuiuscunque suspicio interueniret, ea ipsa deprehensa medicamentum omni suo honore destitueret, & à Medica disciplina quàm liberrimè

berrimè exulare faceret. Cum porrò diuersæ à diuersis prædicti vnguenti armarij descriptiones circumferri soleant, vnam atque alteram probatiores, sibi visas (si tamen probandæ fuerint) hîc apponemus. Prior sic se habet.

Vnguenti sympathetici vt vocant descriptio.

℞ *Vsneæ cranii humani vncias tres.*
Mumiæ.
Sanguinis humani,
Lapid. Hæmatit. præpar. aña. vnciam semis.
Lumbricorum terrestrium lotorum & exiccatorum vncias duas semis.
Axungiæ humanæ vncias duas.
Adipis vrsini,
Axungiæ aprugnæ. aña. vncias duas semis.
Ol. Lini,
Terebinthinæ. aña. drachmas duas.
Misceantur Sole existente in libra, & fiat Vnguentum.

Altera compositio tali modo componitur.

Alia Telungii descriptio.

℞ *Axungiæ apri peruetustæ,*
Adipis vrsini. aña. libram vnam.
Liquescant simul in vase mundo, effundanturq́; in vas amplum, quod vinum rubrum contineat. Post refrigerationem super vinum conden-

condensatæ & coactæ pinguedines eximantur: quibus adde

Lapid. Hæmatit. præpar. vnciam vnam.

Sãtali rubri tenuissimè puluerisati drachmas sex.

Lumbricorum terrestrium mundatorum tostorum, & in puluerem redactorum drachmas duas.

Hæc probè commisceantur, addendo Vsneæ Cranii humani quantum sufficere videbitur, & redigantur in vnguentum.

Vsus est talis qualem supra recensuimus, in punctúris ab apice ad manubrium, in cæsuris ac plagis percussione inflictis à mucrone partem auersam versus, obligando arma quæ offensionem crearunt, ac ea in loco temperatè calido, vt à vento & puluere secura sint, reponendo.

Descriptiones istas & alias plures, huius medicationis asseclæ nihil superstitiosi, indecori, nec supernaturalis continere contendebant, hæc omnia ex sympathiarum & occultarum affinitatum tacito consensu promanare docentes. His astipulati sunt tali planè modo Rationales, medicamentum quidem ipsum superstitione & damnabili quadam constitutione carere profitentes, applicationis verò modum prorsus superstitiosum & ab omni ratio-

Applicationis modus superstitiosus.

ratione physicâ longissimè remotum multo-
ties inculcantes.

Verùm quàm sæpissimè euenit, vt homi-
nes (eô quod solùm id quod fit, non autem
quî fiat perpendant, ideoq; magis sensum
quàm rationem sequantur) sese in grauissi-
mos ac inextricabiles errorum labyrinthos
præcipitent: sensus enim rationi comparatus
cæcus quodammodo est, ratio autem vigilans
& circumspecta. Exemplo res patebit. Si
aliquis qui dolis aut furtis diues euaserit, sen-
sus eum diuitem simpliciter indicabit, vtpote
quem de facto bonis affluere experitur: ratio
autem quâ occasione quoué modo diues eua-
serit perquiret, & non tantùm quid sit, sed
quâ conditione sic se habeat examinabit, ac
proindè nullas eas diuitias reputabit, quas
malo titulo partas citò quoque perituras esse
nouerit.

Exemplũ.

Simili planè ratione telungio vtentes cum
se sanatos esse vident, de tam felici opere sibi
gratulantur, & quid fecerint vident quidem,
sed quomodo id effecerint haud agnoscunt.
Multa facere non est artis, sed multa rectè, de-
centèr, concinnè, ac debito modo perficere:
id demùm laudabile existit.

Rudolphus Goclenius.

Rudolphus Gocclenius in libello suo (quẽ
in patrocinium supradicti vnguenti in lucem
emisit)

emisit) adductis pluribus nitidis exemplis magno conatu hanc rem in censum sympathiæ naturalis referre studuit, ac operationem & effectum eius latenti cuidam cum telo aut ense quod vulnerauerat affinitati ascribere adnixus est, veruntamen id quod excusare debuerat, ne vix quidem attigit. Nemo enim ex rationalibus Medicis hucusq; occultarum proprietatum in naturâ varimodè pro dispositione suæ diuersitatis agentium energiam non cognouit, nemo abditas quibusdam rebus facultates inesse negauit, nemo denique antipathias sympathiasq; cum mutuo amplexu tum odio ludentes non obseruauit. Quare illius argumentum contra nos non pugnat, quandiu de simplicibus ad compositionem telungij requisitis & syntaxin eius constituentibus sermo est, ea enim naturalia planè sunt, vtpotè quibus nos etiam & sæpè quidē vtimur: at verò applicationis modus, quem nihil superstitiosi continere illi probandum fuerat, maximè suspectus est. Quid enim juuat illud linimentum ab apice manubrium versùs, & non à manubrio apicem versus pugioni inunxisse? Nonné ego æquè homo sum vigilans ac dormiens, stans ac sedens, supinus ac rectus? imô verò, nam accidentia rei non mutant essentiam, & naturales causæ vt causæ semper agunt vniformitèr. Sic ignis sem-

Occultæ proprietates.

Suspectus telungij vsus.

per vrit, siue antè seu retrò, siue infrà seu suprà fuerit: sic etiam Emplastrum Basilicum, siue id per longum, siue latum, aut transuersum vulneri applicem, sanationem procurat, neque ad has vllas nugas astrictus sum, agendo cum simplicibus simplicitèr, nisi accidens extrinsecum manualem aliquam operam & dexteritatem requirat, quæ in vnguento armario (vbi artifex medicinam exercens ab ægro quandoq; distat) nulla est aut esse potest. Deindè in vnguento armario duo sunt, vnguentum scilicet & eius applicatio. Quæro nunc, vtrum vnguentum sanationem procuret, an eiusdem applicatio certis cæremonijs peracta? an vtrumq; simul? Vnguentum per se solum non, quia nisi eo modo (vt supradictum est) adhibeatur, non solùm non juuat, sed etiam lædit, prout ipsi autores huius linimenti fatentur. Modus non, quia modus, per se nullam meretur nec habet actionem, sed accidens solum est concomitans ad essentiam rei non requisitum. Vndè quæ à parte rei nullum fundamentum habent, nec vllâ qualitate manifesta aliam atq; aliam operationem inducente aut sollicitante mutantur, & alitèr atque alitèr disponuntur ac diriguntur, nullam sibi alicuius actionis vim vendicare possunt: perindè namq; est si pharmacum è vitro, argento, vel auro potauero, vnum

Quæstio.

num enim & idem medicamentum ſemper erit; at non omni ex parte idem, ſi id calidum aut frigidum aſſumpſerim: ſed hîc qualitas caloris aut frigoris, quarum vtraque in agendo fortiſſima eſt, interuenit, prout Philoſophis conſtat, vt proindè nullis verborum ambagibus ad hanc rem fuſiùs explicandam opus eſſe videatur. Non vtrumque coniunctîm ſumptum, quia (vt ex præcedentibus liquet) modus non eſt qualitas alterans aut agens per ſe, vndè ex eius vel præſentia, vel abſentia ipſi medicamento nihil accedere, aut decedere poteſt.

Quæſtionis reſolutio.

Iſthæc igitur medendi ratio prorſùs friuola, nugatoria & inanis exiſtit, omni phyſico aut phyloſophico fundamēto carens, & tamdiu à ſaniore mente præditis hominibus talis habebitur, donec quis alia magis efficacia argumēta in medium proferat, quibus id, quod hi artifices linimentarij expoſcunt, conuincat. Rationes quas afferunt, ſolùm vnguenti materiam concernunt, de qua nobis nulla lis eſt, ſiquidem eam vltrò admittimus & pro naturali agnoſcimus: ſed cum ad applicationis modum proceditur, cuncti ſilent, non adumbratam, nedum veram aliquam eius rationem reddere valentes, nam ſi ad ſympathias deueniunt, veræ ſympathiæ tantam obſeruationem ac religionem non deſiderant: etenim

Magnes ſemper ferrum attrahit ſiue manè, ſiue ſerò aut meridie, vel etiam mediâ nocte ferro approximetur, & ſic per inductionem de cæteris.

Tandem verò conuicti ac confuſi, rem dudum experimento confirmatam clamant. Quid dum poſtea? Multa ego fieri vidi, quæ rectè tamen & licito modo facta non ſunt. Multa efficere poſſunt magi, multa nigromãtici, multa ſuperſtitionum proceres, tu tamen ea rectè facta eſſe dixeris? Sanè improbatur inter diſſertandum ea concluſio, quæ à dicto ſimpliciter dictum ſecundum quid elicit, vt ſi ego dicam: Socrates viuit, ergò benè viuit? Vnguentum armarium homines ad ſanitatem perducit, ergò licito modo eos perſanat? ſed horum falſa eſt conſequentia. Veruntamen nos hæc ſuprà (cum de ſuperſtitionibus ageremus) non ſolum Ariſtotelis auctoritate, ſed etiam alijs luculentis rationibus refutauimus.

Fallacia.

Inſuper quoque ſympathiarum naturalium antipathiarumq; apparens ſæpè eſt ratio, nam in faſcinio & lippitudine oculi alterius viſum offendente contagioſum quoddam aut alitèr noxium intercedit humoris, ſpiritus ſeu vaporis contaminati effluuium, quod à contaminante in purum transfunditur. Sic in faſcinatione non alitèr quàm à juuenibus hir-

Faſcinatio

hircum ſub alis fouentibus teter odor vaporque prodit. Sic à nonnullis vetulis mulieribus impura & prauis ſuccis onuſta corpora habentibus vitioſus halitus emanat, qui in tenella infantium corpora vibratus, eadem facillimè ſubintrat, & adeò inficit, vt ob eius virulentiã tabeſcere & conſumi videantur, quæ proindè Galenus lib. de Salub. continuò difflari, & alimento refici iuſſit: difflari quidem, vt quam conceperunt labem tranſpiratu excutiant; nutriri autem, vt quod eis ſubſtantiæ deceſſit, commodo alimento reponant. Lippitudinis oculos alterius vitiantis ferè eadem eſt ratio, cum morboſus & ſubtilis ſpiritus (quod idem circa ſpecula à menſtrualibus fæminis maculari ſolita obſeruare licet) in alterius viſum traijcitur, partem tam teneram, ſubtilem, & cuilibet offendiculo penè ſubiectam facillimè labefactans.

Galeni de his prouidentia.

Specula maculata.

Veruntamen de his morbis ad diſtans inficientibus, ſicut & de curis (quas Magneticas vocant) alia longe maior eſt diſquiſitio, translationes enim morborum ab vno ſubiecto in aliud arctius examen requirunt, ſi tamen id ad pietatem & conſcientiam referas. Vera autem Medicina de nouis inuentis non ſolùm ſibi, ſed etiam cunctis ope ſuâ egentibus plurimũ ſemper gratulatur, eas tamen artes aſpernatur ac minimè recipit, quæ à naturali operatione,

causa & effectu seiunctæ sunt, & ab ijs, quas licet vsus quidem, sed S. Matris Ecclesiæ Catholicæ autoritas nondum probauerit, abstinet: ac demùm omnia illa medendi genera, quibus non nisi curiosi præstigiatores, taumaturgi, & polypragmones se aliquid supra communem captum scire videri volentes vtuntur, aut si ea adhibet, non nisi cum cautela & tali protestatione his manũ admouet (vt quoniam latens quarundam rerum causa nondũ aperta ac euidenter perspecta sit, temporis autem diuturnitate hominum ingenio crescente adhuc forsan enucleari & cognosci possit) nisi hæc quiddam superstitiosum, absonum, & damnabile contineant, se ijs vsuram, alias verò neutiquam eorum vsum inituram.

Polypragmones.

Quid si verò, misso huiusmodi rerum tam stricto examine, paradoxum circa hæc proposuero, in cuius elucidatione ac contemplatione plurimi se non solùm exercere, verum etiam recreare possint?

Paradoxum.

Atqui vt à propositis exemplis non statim recedamus, inquam ego & polliceor, illum (qui fracto crure per medicationem posti seu stipiti sedilis aut scamni adhibitam ad pristinum sanitatis statum restitui tentatur) æquè benè sine hoc stolido, inepto ac irrationali consilio conualescere posse, dummodò id præstet & faciat, ad quod sub prædictæ nugatoriæ

toriæ

toriæ curæ præceptionibus obligabatur, nimirum vt fractura debitè coadunata quietus decumbat, nec se temerè hinc indè volutet, vel membrum illud in quo damnositas & mali perpessio residet, confestim moueat. Similiter si quis saucius & vulneratus benè se gerens, ac vulnus subindè mundificans, & diligenter ne vel aër externus, vel puluis id subintret contegens & obligans, quod alioquin, dũ vnguenti armarij adhibitio suam ei opẽ præstare debuisset, facere teneretur, nullus dubito, quin absque huius medicationis opera hic æquè conualesceret ac pristinæ sanitati spontè restitueretur, nam & canes sola lambitione quæ mundificationem præstat ex qua consolidatio vulneris consequitur, absque Vnguento Armario sanescunt. Nihil vtique vel sine medicamento citiùs persanescit quàm ossis in homine fractura, dummodo hæc rursus vtrinque commodo situ reposita & coadunata fuerit: protinùs enim ossa rursus coalescere incipiunt, & ferruminata in tantum firmantur, vt eo ipso in loco vbi fracturam os passum est, non facilè ampliùs disrumpatur, neq; verò Chirurgus his aliam præstta vel opem vel operam, quàm quod ossis iuncturas inter se ritè compingat, & arcta ligatione (ne dimoueri facilè queant) confirmet, reliquum omne naturæ tribuit & cõmittit, nisi quod fortè sym-

Canes saucii.

 ptoma-

ptomata ab arcta ligatione & continuo decubitu & calore caufata mitiget, ac tempeftiuo confilio auertat.

Schläp. wunden.

Iam verò in vulneribus vbi pendula caro confuitione, fuo loco & ftationi rurfus affigenda non decidit, nefcio num mundificatio vnguentum armarium non fuperatura fit. Videmus fanè canes, vt fupra diximus, & vrfos, nullo vnguento, vel emplaftro graues ictus & vulnera proprij corporis, fed folâ lambitione linctuque perfanare, quod non tam linctui falutari, quàm munditiei per crebrum linctum procuratæ adfcribendum meritò putamus. Rectè fanè Hippocrates dixit, quod in hunc locum apprimè quadrat, nempè *Naturas morborum effe medicatrices*.

Remouentia prohibentia.

Sunt igitur emplaftra & vnguenta non per fe, fed per accidens fanantia, vtpotè fanationis & confolidationis impedimenta refcindentia. Sic multi per munditiem remoto pure, quod finus ac locellos fibi generare tentauerat, perfanati funt. Repurga vulnus quotidie, & ficcatum id ab externis iniurijs defende abfque emplaftro, fed cum hoc commodiùs quidem curaberis. Hæc de vnguento Armario, cuius technam non illibenter examinauimus, vt qui nos fortè calumniari volent, videant nos fecretorum fuorum cognitionem habere, attamen ijs nec vti, nec vti velle, cum legitimorum

rum

um ac neutiquam suspectorum remediorum ylua nobis suppetat, ex qua pro libito quidquid nobis arriserit, quodúe nostris commodis inseruire putauerimus depromere licitum st, hæc ad saniora iudicia & S. Matris Ecclesiæ censuram relegantes, nostras verò cum pharmacias, tum chirurgias consueto & solito per tot tantorumque annorum decursus ine vllâ dubitatione approbato, ac longo vsu experientiâ confirmato modo, dextrè, affabrè, sanctè, securè ac inculpabilitèr perficientes. His autem contra facientibus sæpius insonet illud Hieremiæ Prophetæ cap. 2. *Audite verbum Domini, domus Iacob & omnes cognationes domus Israel, hæc dicit Dominus. Quid inuenerunt patres vestri in me iniquitatis? quia elongauerunt à me & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt.*

Perfecta autem Medicina his dolis, fucis, ac fraudibus non indiget naturalibus, siquidem remedijs abunde à domino Deo ditata, affabrè cum gloria & honore ea præstat ad quæ ob generis humani commodum & vtilitatem est & creata & instituta. Plura de his qui scire vel discere voluerit legat eos libros sat copiosos, qui hac de re sunt editi imprimis autem R.P. Laurentium Forerum Soc. Iesu in disputatione, de Magnete seu Lapide Herculeo,

Capitis Epilogus.

Respondente Ioanne Mario Landishutano & cæteros.

CAPVT XV.

Medicina luget, se mortalium generi tam beneficam, falsò à Calumniatoribus nonnullis velut ex vrbe quondam pulsam diffamari.

Thearidas philosophus.

THearidas quidam cum gladium cote acueret, interrogatus à quopiam, num esset acutus? *acutior*, inquit, *calumnia*: grauiter innuens, calumniam rerum ferè omnium esse nocentissimam, vt proindè non iniquè Cleanthes dixerit, nihil esse tam malignum quàm calumniam. Vndè etiam Hippias eam rẽ grauissimam, & Dion in œconomico malum insidiosissimum esse rectè asseruit, de quo querela extat apud Euripidem in Alexandra. *Domine, vehemens est malum inter homines calumnia.* Est autem calumnia secundùm Lucianum *delatio mentita odio, clanculum reo calumniatori credita, delato ad respondendum & refellendum non admisso.*

Calũnia.

Calumnia definitio.

Hoc

Hoc genus mendacij inter cæteras ſibi illatas iniurias non experiri modò, verùm etiam ſufferre hucusq́ue ac patienter negligere, vel illam ridere Medicinam oportuit: obtrectatores enim de alienis ſemper magis quàm de ſuis criminibus, erroribus ac vitijs ſolliciti, arrepta leui anſa, criminatione prorſus iniqua Medicinam quondam ex vrbe Roma depulſam ſexcentis & eò ampliùs annis exulaſſe, & vagabundam hinc inde oberraſſe ſunt commenti, ne plus dicam, mentiti.

Cautiones animaduertendæ.

Vt igitur Medicinam ab iſthac calumniæ labe repurgemus, tria præcognoſcere expedit, eaq́ue accuratè perpendere quæ ad calumniatorem requiruntur, inq́ue ea, & circa eam coincidunt & concurrunt, calumniatorem nempè ipſum, rem, vel perſonam, de qua calumnia profertur, vel in quam excutitur, & eum ad quē calumnia defertur. Iam verò calumnia delatio eſt odio plerunq́ue mentita, delato ad excuſandum ſeſe non admiſſo, vt iam monuimus, quam quidem delationem proferunt, vel infames ac ſordidi mendaciorū magiſtri, vel odioſi ac inuidi extremæ nequitiæ ſerui, vel veritatis & boni publici oppreſſores obſcuratoresq́; , maleuoli ſimul ac iniqui homines inter canicidas non tolerandi, qui calumnias in credulum vagumq́ue vulgus mēdaci aura varimodè diſiectas ſpargere non erube-

rubeſcunt, quos tamen tanquam falſi nunciatores tandem ipſum confundit mendacium: quin etiam ſi vnquam verum dicunt, infamiæ tamen titulo meritò notantur; quomodo delatores ab Antonino Pio ſi non probarent, capitali pœna affectos, ſin verò probarent, oblato præmio infames tamen dimiſſos fuiſſe teſtatum reliquit veterum aſſertio. Quodidem de Opilio Macrino Imperatore delatores minimè admittente, ſed vndique conquiſitos pœnis & damno mulctante legimus. Interim Medicina parū vel nihil calumnijs ſuccumbit, licet ijs vtplurimùm ob inſignem hominum vel impietatem, vel ingratitudinem, aut nequitiam ſit expoſita; etenim hæc ſuâ innocentiâ ac rectitudine gaudet, & de benefactis ſuis non iniquè triumphat, vndè cum Poeta liberrimè exclamans ait,

Delatores.

Conſcia mens recti famæ mendacia ſpernit.

Obſoleſcunt enim tandē vaga eiuſmodi mendacia, vt proindè Demoſthenes calumniam aliquantiſper quidem audientium opinionē confirmare, progreſſu verò temporis nihil ipſa imbecillius eſſe haud inſcitè protulerit. Rectè itidem Pelopidas, cum fortis quidam miles calumnioſè coram ipſo (vt qui ei conuitiatus eſſet) deferretur, dixiſſe fertur: *facta ſe eius reſpicere, verba autem non audiuiſſe.* Proindè Iſocrates Dæmonicum ſapientiſſimè admonuit,

Iſocrates ad Dæmonicum.

monuit, vt sibi à calumnijs caueret, cum ple-
riq; veritatem ignorent, opinionem autem
respiciant. Hinc non iniquè Menander in
eos qui calumnias libenter audiunt & ab alijs
excipiunt, sic inuehitur. Qui calumnijs sta-
tim fidem adhibet, aut moribus improbis
præditus est, aut ingenium habet prorsus pue-
rile.

Itaque ad Medicinam deueniendo Romà
hanc quondam pulsam esse, & sexcentis annis
exulasse communis hominum fert opinio,
quam equidem nouimus, sed confictam, fal-
sam, & mendacem esse scimus. Primò quidem
ex annorũ certâ supputatione; Romam enim
ingressus est Archagatus Lysaniæ filius Pelo-
ponnensis, prout inter priscos refert Cassius
Hemina, L. Æmilio & M. Liuio Coss. anno
ab vrbe condita quingentesimo trigesimo, vel
vt alij volunt, trigesimo quinto, ac honoribus
ibi gaudens, vt cui jus Quiritium datum esset,
multos sui sequaces nactus est. Non igitur
video, quomodo Medicina sexcentis annis in
exilium eiecta & proscripta oberrare potuerit,
cum eam obtrectatorum annales septuaginta
annis damnatam & ab vrbe pulsam dicant,
antequam hæc ipsa vrbs conderetur, annon
palpabile hoc est mendacium? Et verò con-
cessum sit, Catonem suâ pro seueritate aucto-
rem fuisse vt Medici vrbe pellerentur, quid
tum

Exilij Medici annorum supputatio.

Cato. tum poſtea? pulſi Medici, ergò & Medicina? neutiquam. Cato enim ipſe magnam longæuæ ſenectæ ac ſanitatis diuturnæ partem, Braſſicæ adſcripſit, cuius ope coniunx, eius filius & liberti diu incolunies perſeuerauerint, & forſitan Braſſiculis Catonis Medicina eo tempore euehenda fuit, vt ſuas ille Braſſicas feliciùs vendere poſſet. Nec verò Medici ciuitate pulſi ſunt, ſed ij tantum qui ſe pro Medicis venditantes maleficia præſtabant, aut populo Romano Græcorum & Ægyptiorum luxus inferebant, quibus virile ciuium robur remollitũ effæminaretur, ac eneruatum vileſceret & attereretur, prout ex Plin. lib. 29. Hiſt. nat. patet cuius verba hæc ſunt. *Hi regebant fata, cum repentè ciuitatem Carmis ex eadem Maſſilia inuaſit, damnatis non ſolùm prioribus Medicis verùm & balneis. Frigidaq́; etiam hybernis algoribus lauari perſuaſit. Merſit ægros in lacus, Videbamus ſenes conſulares vſq́; in oſtentationem rigentes.* Hæc ille. Quod etiam Annæus Seneca confirmat. De eo Eobanus Heſſus.

Carmis.

Cuncta ego damnaui Medicorum ſcita priorũ,
Tam placuit nouitas ambitioſa mihi.
Frigida brumali ſub ſidere balnea feci,
Ars tamen inuenit prodigioſa fidem.

Secundo verò loco eiecti ſunt ij qui Medicinam quidem profitentes, nulla tamen eius dexte-

dexteritate pollentes, homines vrendo & ſe-
candoexcarnificabant, qui proindè non ar-
tem quidem Medicam, ſed ſeipſos adeò po-
pulo Romano exoſos reddidêre, vt is eorum
non modò ferociam, verùm etiam tyranni-
dem vlterius tolerare nequiuerit, cum à qui-
bus morbi leuamen depulſionemq́; exſpecta-
bat, ab ijſdem in maioris calamitatis labyrin
thos præcipitatus, non niſi noui doloris ac-
ceſſionem aut antiquæ miſeriæ innouationẽ,
morbidi item laboris & languoris procraſti-
nationem, imô etiam exacerbationem per-
ſentiſceret ac experiretur, ſub crudeli talium
mulomedicorum manu perſępè ingemiſcens.
Non igitur pulſa Medicina, ſed Medici; nec
verò Medici, ſed qui ſe pro his venditarunt
magi, præſtigiatores, malefici, ac impoſtores,
qui vel malitia adacti, vel lucri cupidine ille-
cti, vel honoris ac gloriolæ alicuius aucupan-
dæ gratia adſcito & aſſumpto ſibi injuſtè Me-
dicorum tituto, cædes, tormenta & carnifici-
nas ſuas populo ad nouitatem artis vltrò ap-
plaudenti pro veris mercibus venales expo-
ſuerunt: quorum inſcitiam ſubſecuta experi-
entia, ſenſus certificatione vti noxiam meri-
tò reprobauit, quam proindè velut exitium in
exilium non temerè relegauit antiquitas. Sunt
autem hæc (prout Plinius ait) *non artis ſed
hominum*, eruntq́; errores ab ijs commiſſi mi-
nimè

Ineptorum quorundam Medicorûm tyrannides.

Mulomedici.

Carnificinæ.

nimè ſcientiæ tam nobili & arti tam magnificæ, ſed agirtis & impijs falſificatoribus hâ abutentibus meritò imputandi & adſcribendi. Deinde quoque exoſi erant Romani Græcis, quod in necem Romanorum conſpiraſſent, prout ex Catonis verbis ad filium Marcum ſic ſcribentis conſtat. *Quandocunq; iſta gens ſuas litteras dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis ſi Medicos ſuos huc mittet: iurarunt inter ſe, Barbaros necare omnes medicinâ.* Et alibi de Medicis verba faciens ait.

Græci Romanis infenſi.

Bonum illorum literas aſpicere non perdiſcere.

Conſtat autem Latinos omnes præſertim Romanos Medicinam plurimi ſemper feciſſe, vtpotè qui magnas ei grates debeant. Etenim cum vrbs triennali quondam peſte pęnè exhauſta fuiſſet, recepto à Sibylla oraculo ſeu potiùs vaticinio, Æſculapium anguis ſeu ſerpentis ſpecie Ethnico licet modo coli ſolitum ex Epidauro Romam accerſiuêre: & cum Claudio Cæſare regnante, Lichenes & Mentagræ fœdis ac purulentis vlceribus per Italiam afficerent, ex Ægypto (vt Plinius refert lib. 6. cap. 1.) aduocati Medici qui exedentium horum Phagædenicorum vlcerum curam ſuſciperent. Vides igitur, quàm abſurda aſtruant qui hæc & conſimilia ſcommata in Medicinam temerè effutiunt. Stulta ſanè fuiſſet Romana Reſpub. prudens alioquin quæ

ſemper

semper habita est, si artem illam damnasset, quæ ad benè beateq; viuendum (de quo argumenti genere tantoperè inter ipsos disputatum ac disquisitum fuit) summè expetitur. Damnassent sanè Romani, artem eam, sinè qua quandoq; non, non rarò autem haud rectè vel benè viuere, imò etiam sine quâ nasci quandoq; non licet. Neq; verò fabulosum videri debet id quod historiæ referunt, Æsculapium nimirum, Empedoclem, & Asclepiadem complures ab inferis reuocasse, cum parum intersit, vtrum anima in id corpus vndè demigrauit rursus introducatur, an in eodem penitùs sepulta & jam jam migratura vel extinctûm itura retineatur conserueturq; cum paria ferè videantur, mortuum suscitare, & mox moriturum à morte vindicare. Quod si plura quæras, inspice tot hominum millia etiamnum bono vitæ ac valetudinis statu gaudentium, qui absq; probi Medici operâ ne nati quidem fuissent : is enim conceptionis impedimenta sustulit, abortus causas inhibuit ac præpediuit, tot nascendi periculis occurrit, ac vt rectè nascerentur nedum educarentur præuidit; imò vt plurimi in vtero ad debitum parturitionis tempus sani & incolumes conseruarentur, complures autem qui nunquam nascituri essent generarentur, promouit, & artificiosè naturã adiuuando præstitit.

Discursus.

Medicus post Deum vitæ largitor ac conseruator.

Dic, vbi vel vndè haustæ sint virtutes illæ morales magnanimitatis, liberalitatis, continentiæ, sobrietatis & complures aliæ, nonnè à Medicinâ hominum humores primum, dehinc animos ac mentes temperantium fluxerunt? Recognosce quidquid in homine bonum, quidquid laudabile est, Medici arti post DEVM, adscriptum ferri debere: qualia sunt cum animi, tum corporis bona, sanitas, virtus, doctrina, semita, & omnis actio sapientiæ subiacens, quæ vt ab humoribus dependet, ita & ab eorundem humorum moderatoribus moderatur & regitur: qui modò choleram expurgant superfluam, nunc pituitam segnitiei subducunt fomitem, modò sanguinis obæsitati ansam præbituram vitæq; ponderi futuram detrahunt; hinc verò melancholicum succum acerba imposterum menti fastidia obtrusurum deprimunt, atque sic mentem vnà cum corpore regunt, cum ad humorum temperamentum animi quoque mores modò in melius, modò in deterius conuertantur. Quâ de re Galenus in libro *Quod animi mores corporis temperamentum sequantur* fusè satis scripsit.

Virtutes morales post Deum â Medicinâ dependent.

De efficacia hac Medicinæ, animi mores varimodè disponente ac temperante quam aliqui inepti susurrones nihil posse contendunt, sic scribit Arnoldus de villa nouâ, lib.

de

e Simplicib. *Audiuistis etiam quod quædam Medicina vocatur lætificatiua, quæ aggre- at omnia membra principalia, & sanguinem & spiritum, secundum hoc etiam potes dicere, uod quædam Medicina ducit ad Paradysum, uæ est composita, ex disponentibus sanguinem d misericordiam, & pietatem, & mansuetu- inem, & benignitatem, quibus mediantibus, equitur bonus appetitus ad bona opera, & mox biungit, quæ augent sanguinem laudabilem arum in quanto & in quali, & priuant ipsum Melancholiâ, & phlegmate, quæ sunt causæ ollicitudinis, quæ prohibet conuersatiuam, & rabilitatem. Sanguis vero multus, clarus, mnia contraria incitat, gaudia, liberalitatem c. & quædam* (Medicina scilicet) *facit ca- um, religiosum quæ inclinant sanguinem ad igiditatem, & paucitatem. Et vt generali- r dicatur, potes cum Medicinis scire dispo- ionem sanguinis, ad quamcunque qualitatem tota differentia morborum hominis fit ex san- uine calido, frigido, humido, & sicco, & cum Medicinis prædictis, scis etiam facere circa ominem quid vis,* Animi enim mores cor- oris temperamentum sequuntur, quam rem al. integro libro explicat.

Medici re- ctores sunt corporis & animi.

Facit igitur Medicus (inquit idem Arnol- us) *de auaro prodigum, de casto luxuriosum, timido audacem & generalitèr sicut mutat*

Gal. lib. Quod animi mores corporis temperamentum sequantur.

complexionem sanguinis necesse est mutare se quentes inclinationes & complexiones ipsius, & hæc sunt secreta ipsius vltima Medicinæ.

Et postea.

Insipientes cum legerint in libris prudentum Medicorum & senum qui sciuerunt iam esse se cretum Medicinæ, cum vident eos facere bonum intellectum, & facere prudentem, & facere fidelem, fortunatum, valdè derident eos, & derisi valdè elongati sunt à secretis Medicinæ, & non volunt audire, nec credunt quod ad Medicinam spectet, nisi curare dolorem capitis, aut Apostemata, aut febrem, & ipsi deberent curare seipsos de grossitiæ intellectus, donec possent intelligere ea quæ nostri senes, in Medicina nobis scripserunt.

Beata Roma cui Medica scientia Cæsarem discisso matris abdomine viuum tradidit, cu tot hominum millia paruêre, quomodo Scipionem Africanum priorem & Manilium di scisso matris ventre Cæsones natos memora Plinius lib. 7. Nat. hist. cap. 9. absitq; omni vel momus vel mimus, qui ne mussitare qui dem posset, nisi ei post partum linguam religans ligula medica ope præcisa fuisset; quidquid enim in vita boni superest, Medicæ op debetur, quæ nondum natis, nec dum conceptis vt concipi ac nasci possint studio quodam præuio anteit; conceptos verò fouet, natos

Diezungen gelöset.

tos

os educit, genitos securè conseruat, ac vbi in morbos inciderint subleuat, redintegrat, reficit, & restaurat, vt proindè Homerus Medici dignitatem exprimere volens 2. Iliados dixerit.

Medicina laus ac efficacia.

Ἰητρὸς γὰρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Quod dictum sic vertit alius.

Est Medicus prudens multis præstantior vnus
Ille viris.

Et 4. Odysseæ ait.

Ἰατρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων.

Hoc est,

Medicus autem quilibet sciens supra omnes homines.

Quid igitur de pulsa Medicina dicendum maleuolis, qui ne ipsi quidem extarent si non Medicinæ beneficio viuerent? Ignobile hominum genus, & tellure haudquaquam dignum, quod ne eam quidem scientiam calumnijs proscindere non desinit, sine qua ne calumniatores quidem, nedum boni viri, quales hi nondum sunt, nisi prius à Medicis Anticyras ad potandum Helleborum relegentur, effici potuissent.

Absurditas maledicentium

CAPVT XVI.

Medicina luget, se scientiarum dominam Artiumq; Reginam, inter Mechanicas ac operarias artes mendosè â nonnullis reponi.

CAlumnijs jam modo commemoratis haudquaquam contenta insatiabilis maledicentium proteruitas, sed inuidiæ stimulis adhuc magis magisque exagitata ac ferociam suam quodammodo exacuens, maiori excandescentia, tanquam furore concita, grauioribus machinis Medicam arcem quatiendam censuit: eam igitur penitus vastandam cum sibi proposuisset, adductis argutulè (vti sibi videbatur) concinnatis compluribus argumentis Medicinam è nobilium scientiarum, (quarum tamen ipsa mater ac nutrix existit,) catalogo expungere, & inter artes seruiles ac operarias seu machanicas reponere, eamq; sic suo non modo honore priuare, imò de priscæ dignitatis subsellio præcipitare tentauit.

Mira hominûm proteruitas.

Imprimis igitur eam sic impugnare cœpit; Medicinam scientiam esse non posse dicendo,

endo, eò quod hæc de ſingularibus (de quibus non eſt ſcientia) tractet. Secundò quod hæc eadem ab Hippocrate *Ars factiua* ſit appellata, quæ habitus quidam exiſtit operatiuus, à veræ ſcientiæ natura alienus. Tertio quod circa ſpeciale aliquod obiectum non verſetur, vt cæteræ ſcientiæ, ſed multis inſiſtat, vtpotè ad quam etiã Veterinaria & Agricultura pertineat. Quartò quod quælibet ſcientia per demonſtrationem ex neceſſarijs procedat, Medicina verò ex probabilibus tantùm, quæ opinionem magis quàm ſcientiam generare valeant. Tandem etiam aiunt, ſcientiam eſſe de neceſſarijs atq; perpetuis vt ex Ariſtot. 1. poſter. text. 5. & 6. Ethic. cap. 6. pateſcit, Medicinam verò de rebus contingentibus , quæ alitèr ſeſe habere ac proindè fallere queant. His argumentis jam Medicinam diuictam eſſe oſores arbitrantur ſeſeq; ad ſpolia eius diripienda aduerſarij accingunt, veruntamen fruſtra, ea enim quæ tot ſæculis inconcuſſa ſubſtitit Medicina inanes hos inſultus vix quidquam curat, ſed eos mox ſic à limitibus ſuis veritate vallatis arcet ac propellit.

Obiectiones aduerſariorum.

Primum enim argumentum facillimè eluditur dicendo, ſingularium tractationem Medicinæ nihil in hac parte derogare, cum ad exactam vniuerſalium notitiam ac habitum ac-

Obiectiones diluũtur.

quirendum particularium cognitio ſum̃opere quandoq; requiratur. Sciendum interim, ſcientiarum aliam eſſe Practicam, aliam Speculatiuam: Speculatiuam quidem, cum eius operatio in ſola cognitione veritatis circa ſuum obiectum acquieſcit, Practica verò in vlteriorem cognitionem circa obiectum ſeſe effundens & vlterioris operationis ratione ad ſingularium vſque notionem deueniens. Hęc autem ſingularia, Medicina per modum vniuerſalium tradit, niſi quòd ad poſteriori inuenta euentis certificat, haud alitèr quàm Logicus ex præmiſſis concluſionem infert, vndè cum operatio Medici longè diſtincta ſit ab effectu, fit vt hæc præmiſſarum vices gerat concluſione veritatem eliciente, atque ſic operatio pars artis non erit, ſed effectus ad vniuerſalem normam ſingularium certificatione redactus.

Secundæ obiectionis eliminatio

Secundo argumento ſatisfacit quilibet, qui Hippoc. Galenum & alios pleroſq; Medicos Medicinam modo Artem, modo Scientiam appellare cognoſcit, artis nimirum nomen latè ſumendo, quatenus hæc hiſtoria quædam eſt omnium eorum quæ ad Medicinam pertinent, eſtq́; hoc nomen Artis vulgariûs ac frequentius tanquam ex actionibus euidentibus quas Medicina edit potius quam ex habitu illo intellectus quem ſcientia præſuppo-

pponit desumptum, quomodo etiam com-
urium aliarum scientiarum ratio in opera-
one consistit, prout de Logica Geometrica,
Ethicà seu morali Philosophia patet, hæc
nim in operationem vt bonus quis sit poti-
, quam in speculationem ac scientiam quo-
odo quis talis esse queat, dirigitur: sunt au-
m aliquæ scientiæ, inter quas Medicina,
um artibus aliquid commune habentes quæ
men ad suas quoq; causas& principia, quod
ientiarum proprium est, recedant ac refluãt.

Tertia obiectio.

Ad id, quod obijciunt scientiam quamq; peciali subiecto addictam insistere, Medici- am verò de diuersis imò contrarijs agere, icendum arbitramur: Medicinam id quidem ed diuerso respectu agere. Vnum autem in- erim subiectum mutationibus varijs obno- ium, & quatenus id sanabile, aut ægrotabi- e ac modo vel ad morbum, vel ad sanitatem nobile existit spectare, nec contra Medicinã acit contrariorum tractatio eorundemq; ognitio ac disciplina, cum contrariorum eandem omninò esse disciplinam Philosophi asserant.

At verò quod asserunt, Medicinam opi- nionibus tantum niti, non autem demonstra- tionibus, sciendum planè, Medicinam in ge- nere consideratam certitudinem habere suo- rum theorematum, atq; ideò quantum ad

partes principales assensum euidentem generare scientiæ sufficientem ?, cum præsertim necesse non sit omnes scientias in vno eodemq; euidentiæ ac certitudinis gradu cōstitui. Quod verò Medicina vtens Medicus cum Socrate aut Platone tanquam indiuiduis pisponit, id secundariò sanè agit ac ad personā potius Medici vel ægrotantis, quàm ad Medicinam ipsam ab his abstrahentem ac hominē in genere considerantem spectat, licet interim ob subiecti ac artificis mutabilitatē opiniones nonnullæ subrepant, quæ tamen particulares omninò sunt, & personis magis quàm ipsi scientiæ Medicæ irrogari debeant; vndè non ex parte scientiæ, sed ex particulariū ei subiectorum diuersitate diuersa quoq; ac particularis opinio nascitur, sciētia tamē ipsa vniuersalib9 suis scitis probè inhærente, vndè sub quadam cōmuni forma per intellctū ab omni singularitate abstrahendo de particularibus agit, eaq; non vt Petro vel Paulo, sed vt homini profutura obfuturaq; tractat, ideoq; non particulari sed generica planè ratione hæc ipsa cōcludit, vndè conficitur vt ars ipsa vniuersalia protin9 sese extēdat, artifex verò scientiam contrahēdo ac ad singularia condescendendo particularib9 euentis inhiet. Quod si verò inter sciētiam, ac artificem maximum sit discrimē, hoc commodè annotandū venit, scientiæ quidem

Solutio Argumentorum.

Medi-

Medicæ veritatẽ, sanitatem verò artificis eam vel conseruare, vel reparare nitẽtis finem existere, vt proindè scientia vniuersalis, artifex verò eam amplexans ac ad indiuidua vel singularia contrahendo referens paticularis sit existimandus. Dicunt autem scientiam de perpetuis ac necessarijs omninò constitui, & rectè quidẽ, nam & Medicina quę circa sanitatẽ vel scibilia, vel factibilia sunt vel cõtingere possunt, stabili planè norma cognoscit, docet ac tradit, quantũuis ea si ad singularia descendas incerta ac varia deprehendantur, quæ quidẽ non in vniformitèr sese habentis sciẽtiæ inconstantiã, sed in subiecti varimodè dispositi mutabilem naturam & conditionem referenda esse censendum est.

Scientia est de perpetuis.

His autẽ argumentis ad euertendã Medicæ scientię ac facultatis gloriã haudquaquã sufficientib9, Iurisperitos quoq; tanq̃ inter omnia dissidia sententiã (prout sibi videntur) laturos introduxerunt: hi non alio præcone, nec alio quopiã procuratore causam suã acturo vsi, sed de propria sua, qua se solos de omnib. judiciũ ferre posse, suamq; scientiã solã inter cæteras caput eminẽtèr erigere sibi ipsis persuadẽt, cõfisi, suas quoq; machinas opinionũ rudimẽta, ne dicã rationum & argumentorũ momenta protulêre. Cũ de antiq̃tate Medicæ & Iuridicæ sciẽtię primũ orta disceptatio, aduersarij vtra harũ jam dictarũ sciẽtiarũ ætate prouectior ac

mundi primordijs vicinior existeret, litigantibus, quæ quidem lis in hunc vsq; diem acerbo rerum prælio perdurat. Asserunt enim Iurisperiti, leges Medicinâ longè vetustiores existere, eô quod lex lata fuerit in Paradyso, prout legitur Genes. 2. *Ex omni ligno paradysi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* Ad quod respondetur: legem eam non Iuridicam fuisse sed planè Medicam, vt quę noxium ac mortem allaturum fructus, seu pomi ligni jam dicti esum vetuerit, & quâ Deus Adamo Diætam commodè ac salubritèr in victu sese gubernandi præscripserit, vndè eius transgressionem tot mala corporalia, vtpotè sudores vultus, dolores partus, ac mors ipsa formidabilis est subsecuta. Deindè verò antequam hęc à Domino lex conderetur, Medicina jam erat, Medicaq; materia copiosissimè prostabat: antequam enim Pater Omnipotens Adamum ex limo formasset, eiq; spiritum vitæ insufflasset, creatæ jam erant plantæ, frutices, herbæ, arbores ac alia humanis vsibus quandoq; profutura, suis à primò exortu viribus exornatæ, dotibus ingentibus à primo rerum omnium satore Deo locupletatæ, ac copiosissimis vtilissimisq; facultatibus varimodè secundum suam quælibet perfectionem & gradum insignitæ ac condecoratæ, inter quas Lignum vitæ singulari prærogatio-

Iurisperitorũm cum Medicis concertatio.

Malæ Diætæ incommoda.

rationis titulo excellabat. Obijciunt rursus Iurisperiti sanitatem ipsam hominis, legibus certis contineri, quod quidem verum est, leges autem eæ extra aleam sunt Iuris vel Ciuilis, vel Canonici, vt quæ à concentu qualitatûm ab Elementis ex quorum confluxu corpus humanum constituitur, promanent, esseq; proindè Physicas ijsq; Iurisperitus quilibet, imò ipsi legum conditores Cæsares, Reges ac Principes penes quos potestas est leges modò sancire, modò abrogare, subiectus esse cogitur, quas quidem leges nisi probè direxerit vel Natura, vel eius minister Medicus, dubium non est quîn Iurisperitus paruo temporis spatio, morborum tormentis exhaustus necem sit obiturus: manente enim eâ symmetriâ ac certâ elementaris mixtionis commoderatione, quæ naturæ debita est, manet & harmonia illa seu jucunda consonantia virtutum, facultatum, ac functionum nostri corporis, atque hæc est sanitas; eâ autem dissolutâ prospera protinus valetudo perit, morbi ingruunt, ac mors ipsa tandem aduentat, quam Medicus harum combinationum naturalium habenas dextrè regens, retrocedere facit ac retardat.

Iurisperitorum obiectio.

Quod si leges omnes Medicas sibi arrogare voluerint etiam aliarum cum scientiarum, tū artium præceptiones ad se pertinere dicánt, necesse

Nō omnes Leges ad Iurisperitòs spectāt.

necesse est: itaque Coquinariam, Venaticam Histrionicā, ac alias consimiles artes sibi subalternatas habebunt, quæ tamen artes, prout aliæ quamplurimæ, suis quæq; legibus tanquam limitibus circumscribuntur atq; ijs quidem certioribus quam Iurisprudentia, quæ ad nutum cuiuscunq; Principis aut Regis immutatur, ac ad voluntates & opiniones hominū à quibus dependet quoquomodo inuertitur, quod quidem licet verum sit, asserere nihilominus audent, Iurisprudentiam per rationes & non per experientias, prout Medicinam, procedere, ideoq; inpermutabilem existere, vtpotè firmissimis rationibus stabilitam. Sciant autem Iuris hi Doctores, Medicinam nō minus à ratiocinatione suam petere firmitudinem, quantumuis experimentis subsequentibus eorum, quæ per rationem adinuenta sunt, rectè facta certificet; nam & in Iurisprudentia leges experimento approbantur, vndè earum complures sunt abrogatæ, aliæ è contra seruatæ.

Iurisprudentum leges instabiles sunt ac sæpè permutātur.

At dicunt, Medicinam nondum videri absolutam, sed mihi quidem Iurisprudentia minus absoluta videtur, vtpotè in qua plura sint nunc negotia quam rerum habentur vocabula, hinc tot inter Iurisperitos dissensiones, opiniones, altercationesq;, vt si eos litigan-

tes

s audias non ad legum explanationes ac
lucidationes, ſed ad earundem peruer-
ones conductos eos eſſe putare queas.
Quod ſi inter Medicos id quoq; fieri cla-
ent, ſciant velim, Medicinam à genera-
bus ac vniuerſalibus circa ægros ad indi-
idua vſq; deuolui, vndè diligens illa Medi-
orum de ſtatu & conditione morborum cir-
a ęgros diſquiſitio Logicis rationibus ac Phy-
cis documentis indaganda ac cognoſcenda
on in artis incertitudinē, ſed in indiuidui va-
imodè ſeſe habentis conuertibilem motum
c naturam eſt conijcienda, prout paulô an-
è annotauimus. Veros proindè Medicos in
copis rationalibus agnito jam morbo vix
nquam diſſentire obſeruabunt, quantum-
is circa particularem ægri huius vel illius
abitudinem non protinus ſemper conue-
iant: etenim de homine generatîm loquen-
do longè alius ſeſe offert diſſerendi modus,
quam qui nobis de Socrate, Platone, aut Ari-
ſtarcho verba facturis conueniat, cum itaq;
tractatio ea ab vniuerſalitate ſua de qua ſci-
entia exiſtit, eaq́; certa ac infallibilis ad in-
diuidui conſiderationem aſtringatur, fieri ne-
quit quin in tanta rerum particularitate cer-
i aliquid in vniuerſum ſtatuit queat, quod
non hominum arbitrario judicio ſit di-
ſcutiendum. Medicis igitur quoad ſcien-
tiam

Veri Medici.

tiam rixa non eſt ſed quoad indiuiduum: ‹
verò ſuadeo vt Iuriſperiti, cum Medicos plu
rimum inter ſe diſſentire aiunt, trabem priu
ex oculo proprio eruant, antequam ex Medi
corum pupilla decerpant feſtucam.

Inſtant autem vlterius, ſeſe in & circa Me
dicinam leges ferre poſſe, idq; exemplis com
probant: etenim veteres quondam lege ſta
tuerunt, vt in menſe Iulio Lupanar in vrb
non extaret, ne vires maſculorum coitu pe
æſtatis calorem plus magis infringerentur,
itemq; ne vinum Creticum, vel Hiſpanum
venale exponeretur, quô per ſolis æſtum a‹
ſub Canicula potato ciues in febres incidere
facillimè poſſent, atque inſuper ne fructus fu-
gaces tanquam populo noxij futuri diuende-
rentur.

Leges Medica.

Atqui verò has ipſas leges ac præcepta à
Medicis eas ſubminiſtrantibus Iurisconſulti
petiuêre, à quibus quid conſultum Reipub.
foret ſunt edocti, prout etiam in hunc vſque
diem de ſeptimeſtri partu diſſerentes auctori-
tati magni Hippocratis ſubſcribere coguntur,
qua de re forſan poſtea.

Sed adhuc finis non eſt, aiunt enim Iuris-
conſulti, ſuam ſcientiam Medicina longè no-
biliorem eſſe, eô quod hæc circa animum ver-
ſans homines juſtitia, pace, tranquillitate,
modeſtia ac alijs virtutibus imbuat. Quæſie-
rim

[T]im autem num non idem Medicina præſtet, [q]uæ non aliter quam Theologia, Iuriſprudē-[t]ia ac Moralis philoſophia hominum mentes [v]irtutibus exornat, quando Melancholias ſe-[d]at, furores pacat placatque, Manias compe-[s]cit, Phreneſes reprimit, dementatos ſibi ipſis [r]eſtituit ac in inſanis ſanam mentem reficit ac [r]eponit, prout capite præcendente monſtra-[t]um fuit. Atqui iam tandem Iuriſperitis ſatis-[f]actum arbitramur niſi illud obſtaret, quod hi [M]edicinam ſine Reipub. pace, quam ſeſe con-[ſ]eruare ac tutari profitentur, nihil poſſe dice-[r]ent: ad quod reſpondendum putamus, Me-[d]icinam paci & bello opportunam exiſtere, [P]aci quidem vt Reſpub. viuat incolumis, Bel-[l]o autem, vt patriæ propugnatores foueat, i-[p]ſorum robur ac ſanitatem tueatur, ipſosque ad proprios lares ſaluos reducat, ſuisque cum vxoribus tum liberis valentes reſtituat. Hinc Podalyrius & Machaon de quibus iam ſupra ſermo nobis fuit, magnam in expeditione illa Græcorum laudem ſunt meriti, quomodo adhuc hodiè Medici ſummoperè caſtris expe-tuntur, & à milite varias ob cauſas in morbos quoslibet prono ac vulnerum periculis expo-ſito venerantur, coluntur, ac honoribus affi-ciuntur, cum reuerà è contra Iurisperiti bello ſint inutiles, cum quia ipſimet inter arma le-ges ſilere fatentur, tum quia ſuis commodis

Medicina paci & bello opportuna.

perprælia (quorum finis pax est,) cessaturi metuunt: hoc forsan subiunxerim, Iurisperitos bellis adhibitos inducias ac pacis conditiones tractare, habita verò vel obtenta ea nō nisi forum perturbare, & totis diebus in curijs rixari, ac lites non rarò moliri, ex quibus nouum belli aut offensæ pullulare queat rudimentum, eum semper gyrum agentes vt quas ipsi parauerint discordias, non sine lucro rursus componant, atque iterum, vbi libuerit, exuscitent. Verum hæc non ad probos Iurisperitos spectant, prout nec latrocinia ad Medicos, quorum rectè operandi regula conscientia syncera ac integra esse debet.

Iurisperiti probi eximuntur.

Nec verò de vastu suo quidquam remittunt Iurisperiti aliqui, etenim Medicos circa obscæna, auersabunda ac formidabilia, vtpotè Sudores, Sputa, Anhelitus graueolentias, Alui excrementa, Vrinas, & similes sordities necessariò versari debere dictitant, non autem agnoscunt sese de Cloacis, Stillicidijs, ac Sterquiliniorum situ iudicium ferre, eamque rem honori sibi ducere, cum tamen interim continuò clamitent,

Stercus & vrina Medicorum fercula prima.

ad quod propositum aptè satis respondens alius non minus astutus Medicorū iocularius dixit, &c. quod hic modestiæ causa subticeo.

Sunt nobis signa, at vobis prandia digna.

At dicunt ignobilem esse Medicinam & serui-

hilem, Medicosque seruos esse quod colligi
test ex *lib. 3. in pr. C. Commun. de fidei com-
ss. & legat. & lib. 1. §. sin autem de commun.
...o manumiss.*

*Cum Notarios quinquaginta solidis æstima-
...elimus, Medicos autem & Obstetrices sexa-
...ta; Eunuchis minoribus, quidem decem an-
...vsq; ad triginta solidos valentibus : maiori-
...verò vsq; ad quinquaginta, sin autem artifi-
...sint, vsq; ad septuaginta.*

Textus iuris.

...rò dolor quanta horũ hominũ cæcitas, qui
...ssos inter seruos primo loco annumeratos
... nõ agnoscunt? Lex enim sic incipit: *Cum
...tarios* Notarij autẽ Iurisperitorũ sunt so-
...es, ac progenies leguleiorum nec nõ cau-
...corum organa. Deindè verò non ponde-
...t etiam inter seruos suas quasdam esse di-
...tates, & eorum alios alijs maiores, dignio-
... ac excellentiores existere, vndè si legem
... commemoratam rectè perceperint, sese
...er infimæ sortis mancipia reputatos à Ro-
...nis quondam fuisse deprehendent. Nota-
...s enim quinquaginta solidis æstimari lex
...mittebat, statuebat autem Medicos & Ob-
...trices sexaginta venundari, ita vt Medici
...nario solidorum pretio Causidicos antei-
...t venales.

Notarii.

¶ Pro rerum autem perfecta notitia scien-
...m est; Romanos olim integras habuisse

ſeruorum familias, vt qui de diuerſis genti-
triumphantes varij generis homines diuer-
callentes ſecum in ſeruitutem abduxerint,
ter quos ſcribæ erant ac literarum periti, n
nulli Muſici, Grammatici, Arithmetici, M
thematum profeſſores, ac Aſtronomiæ pe
tiâ ſi non clari, ſaltem quadantenus imb
Quoniam verò apud Romanos ex Grecor
conſuetudine luxus ingruebat, ideo magis
ter ſeruos deligebant Medicos, non autem
genuos eos quos Medicina vel exhibet,
exhibere ſolet, ſed eorum ſolûm miniſtr
qui vel libamẽ Medicæ artis deguſtantes M
dicorum nomine dignabantur. Etenim b
neorum luxus tunc temporis Romanis in
hebantur & inoleſcebant, quibus accomm
di & maximo vſui erant Vnguentarij, qui m
dò nobis balneatores à Medicis vnctionis p
longum, tranſuerſum, & obliquum admi
ſtrandæ modum edocti, & cæromatis co
ponendi normam tenentes, quod luctatu
in palæſtra & indè mox balneaturis antè pe
fectum pancratium ſeruorum adſtantiũ fi
ctione ſuperinducebatur, ac poſt luctam ſtr
gili deradebatur, atque hi erant mancipia
ſuendi, coquendi, medicandi, leges interpr
tandi, ac familias inſtruendi, ſi non perfecta
ſcientiam, ſaltem adumbratam & participat
nam, vt loquuntur, eius figuram adepti.

Rom. [illegible] luxus.

Balneatores.

...it verò quid obstat, seruos artem libera... posse discere? Anne ars personæ quam... nâ meliore imbuit quidquam derogat? ...persona transiens arti firmæ aliquid detra... Nihil sanè. Seruos enim artem liberalem... ...ere laudis est, non ignominiæ, primum e... ...n virtuti adscribitur, cum alterum scilicet ...itus, personæ adnumeretur.

Excusantur serui.

...insusurrant autem illud Geneseos vltimo, ...ducentes verba Ioseph, quem scriptura... ...t in defunctum parentem memoriæ exti... ...e ac cadaueris eius diligentem curam ha... ...isse testatur, sic enim legitur: *praecepitq; ser... suis Medicis vt Aromatibus condirent, &c.* ...quo loco Medicos inter seruos etiam anti... ...itûs ac ante Romanorum tempora com... ...tatos fuisse conantur euincere. Verùm ...iectioni huic prior ratio sufficit, quâ pri... ...os mancipia ac seruos possedisse annotaui... ...us, ceromatum conficiendorum, odora... ...entorum itidem, vnguentorumq; ac con... ...endorum cadauerûm rationem callentes. ...ec tamen ex hoc euincitur eos veros fuisse ...edicos, sed longè valdè petito eius rei argu... ...ento, quomodo & anser inter olores annu... ...erari posset, vt qui plumis ijsq; albis sæpè ...estitus, colloq; prolixo præditus, & bipes, nõ ...itèr ac olor aquis innatet, in ijsq; victum ...uærat ac alimoniam.

Ioseph.

Medici Obstetricibus comparati.

Sunt autem Medici Iurisperitorum opi-
nione Obstetricibus consimiles habiti ac
earum censum reponendi. Quæro autem
cur non magis talitèr se habeant Iurisperiti,
qui de ventre inspiciendo tam sunt sollici-
Atqui verò, si ita res se habet, vt qui vno
genere participiant, specie indiuiduâ, a
gradu non differre possint, jam de vtrisq; a
ctum erit: sic enim sequetur, vt Iurisperiti
verus, à causidico vulgari, Rabulâ forensi
Notario, Procuratore, Præcone, Lictore
Fortore & Carnifice vix quidquam differat,
& inter Archiatrum, Empyricum, Chirur-
gum, Pharmacopolam, Clinicum, Diætari-
um, Coquum, Veterinarium, Pheretrarium
ac Vespillonem, parua sit futura differentia:
cum hi omnes cum Medicinâ aliquid partici-
pent, prout priores illi jam dicti illiberales
opifices cum Iurisprudentia: hæc enim, si
summis cuiusq; scientiæ practicę ad ima con-
descendas, ita euenire comperies, cum vul-
gus vtramq; scientiam ironicè taxans, vi
quenquam à Iurisperitis sine Carnificis, à Me-
dicis verò paucissimos sine Vespillonis oper
discedere dictitet, si tamen artibus errores
sunt irrogandi, quos vel Carnifex corriger
nequit, vel Vespillo emendatiores reddere
non potest.

Sed hæc friuola sunt, & ad rixam magi

quàm

nàm ad doctrinam facientia, estq; lis hæc to- m de præcellentiâ harum scientiarum à Dio- gene Philosopho jam dudum dirempta, qui interrogatus, vternê præcederet, aliumq; maiori dignitate anteiret honorationremq; locum occuparet, Iurisperitus, an verò Medi- cus, respondisse dicitur: *præcedat fur, se- quatur carnifex.*

Ego autem, vt vno verbo Caput hoc fi- niens concludam, omnibus Medicinæ digni- tatem ad seruiles operas restringere conanti- bus responsum volo; videri mihi planè rem absurdam, artem eam seruilem esse, dicere, vel imaginari, quæ Regibus, Ducibus, Prin- cipibus, Legislatoribus, ac ipsis Imperatori- bus imperat. Vnde Plato lib. 1. de Rep. in con- fesso omnibus est (inquit) *verum Medicum corporum esse principem*, & sic capitis huius finis esto.

CAPVT XVII.

Medicina luget ſe liberam, ac immunem, Aſtrologicis nonnullis nexibus, ac Mathematicis vinculis, inſontem detineri.

Fata gentilitia.

TAndem etiam humana ingenia curioſitatis cuiuſdam inſtinctu ad diuinationem aſpirantia in fata illa gentilitia miſerè ſunt prolapſa: ex his enim magnam ſeſe frugem reportatura cum ſperaſſent, euenit, vt quò plus ſeſe diſcere opinabantur, eò minus ad rei veritatem peruenerint. Deus bone, quantâ in his ſollicitudine, attentione, ac diligentiâ laboratum eſt? Obſeruati enim ſtellarũ Situs, Poſitiones, Motus, Retrogradationes, Directiones, Aſpectus, Stationes, Oppoſitiones, Coniunctionesq;. Animaduerſum verò de Planetis ſingularitèr nûm, quando, & quomodo Soli coniunctus, vel ab eo diſtans hic vel ille ſit, vel fuerit, nũm apperens, vel oppreſſus, num in ſuo Hayz, diurnus vel nocturnus oberrauerit; num feralis aut peregrinus, Maſculinus aut Fæmininus, num Sub-

...biugalis seu obsessus, an propriâ potestate ...udens, inq; proprio Regno ac Domicilio ...erè ab alio haudquaquam præpeditus ap...ruerit, & an alia sidera in eius naturam ...nspirarint.

Astrologorum diligentia.

Curiositas ista in Medicam quoque facul...tem tanquam multum commodi allatura ...repsit, à quâ sanitatis aut exitij certa quæ...am oracula, ac vaticinia sese percepturos ...ortales sperabant, hisq; ita addicti inhia...ant, vt naturam cum fortunâ, legem cum ...erito, accidens cum substantiâ, inclina...onem cum entitate, occasionem cum effe...tu & operatione confunderent. Ad quod ...lludens Manilius lib. 1. sic cecinit.

——————primiq; per artem
Sideribus vidêre vagis pendentia fata.
Singula nam propria signarunt tempora causa
Longa per assiduas complexi sæcula curas.
Nascendi qua cuiq; dies, qua vita fuisset,
In quas fortuna leges, quæq; hora valeret:
Quantaq; quam parui facerent discrimina motus.

Manilius.

Nec verò succensendum huic curiositati quandoq; putauimus, cum æger quilibet salutaris alicuius spei nuntiationem tam auidè exspectare soleat, nisi judiciaria hæc Astrologia Medicinam non parum perturbasset, &

rectè operantium Medicorum manus non rarò præpediuisset, vndè si quod damnum natum est, non id quidem Astrologis adscriptũ, sed in Medicorum errata ac infamiam relatum est.

Sic artes cum Medicina ludunt, vt si bene res cesserit, ipsæ honorem, sin malè euenerit, Medicina ignominiam reportet. Et cum nulla vel scientiarum, vel artium præter Medicinam morbo affectos curet, omnes tamen curationi in tantum, quantum hæc gloriolam aliquam promittit, student: sin verò ad interitum peruentum est, cunctæ disparent ac diffugiunt, ac si in ægri necem, quam persæpe ex accidenti causarunt, ne dicam procurarunt, nunquam conspirassent.

A Chaldæis autem hæc ab astris diuinatio primitus profecta curiosorum hominum fauore hucusq; fuit conseruata, adeoq; hæc sibi magna ex parte hominum genus deuinctum & addictum reddidit, vt fortunam, vitam, mores, prosperitatem valetudinemq; à solis astris regi complures crediderint, ideoq; Astrologos tanquam ex astrorum cursibus sua sibi cum infortunia, tum verò & bona augurari promittentes pro vatibus & prophetis coluerint. Hanc pro sui forsan ostentatione Critias seu Crinias Massiliensis, arte (vt inquit Plinius) vt cautior religiosiorq; ad siderum

Veterum error.

mo-

motus ex Ephemeridè Mathematica cibos dando Medicinæ intulit, eamq; tum arti Medicæ in postera Græcorum schola coniunxit.

Iudiciaria Astrologia Medicinā inuasit.

Hæc itaq; judiciaria Astrologia inuasiones morbidas obseruans, ac cum ægri genitura conferens, morborum processus, & euētus prosperos aut infelices prædicabat, & quid quolibet die agēdum esset pręscribebat, vndè factum, vt obseruatione siderum homines salutis præsidia, quæ in Medicina posita sunt, neglexerint. Sic igitur dies aliqui penitus repudiati, & pro infaustis habiti, quos proindè Germani nostri in hunc vsque diem die verworffne Tåg/ nominare solent de quibus postea; aliqui ad medicandum, pharmacandum, aut sanguinem mittendum inidonei crediti sunt, quâ quidem occasione non paucos perijsse reputamus, quorum vita diutius protrahi potuisset. Exemplo res facile patebit: Sit quispiam Pleuriticus, aut Catarrho suffocante obrutus, qui vnâ horâ enecare potest hic Medicum ad se accersens quid facto opus esset, consulet: Medicus opportunum, & maximè opiferum, imò & summè necessarium remedium esse dicet sanguinis detractionem confestim etiam media nocte, aut durante Ecclypsi illico (quoniam differri non potest per horæ quadrantem) sine vllo scrupulo administratam; cui æger renuens venam

Verworffne Tåg.

jam

iam ſalutariter pertundi non poſſe, ſi inferat, eò quod infauſti quidam aſpectus, aut infelicium aſtrorum gubernationes ac influentiæ, certique lunæ hoc vel illo ſigno poſitus, mittendi ſanguinis commoditatem & occaſionem ademerint, potiorem ſic curationis partem negliget, vel inconuenienter & magno ſui malo differet: eaque de cauſa ſi non mortem ipſam incurrerit, præſentaneo tamen eius periculo ſeſe exponet, cuius rei exempla adferri poſſent quamplurima breuitatis causâ à nobis hîc omiſſa.

Tempora morborum obſeruanda, à quibus medicandi pendet occaſio.

Et verò qui ad Aſtrologicas haſce nugationes attendunt, omnem mihi Medicinam vel in hoc confundere videntur, quod occaſionibus medendi poſthabitis morborum tempora vel non obſeruent, vel pro nihilo habenda cenſeant, cum tamen ab ipſis omnis medicationis opportunitas peti debeat, vtpotè quâ neglectâ nullus poſtea dextræ curationi locus ſit futurus: etenim vt ſapientiſſimus Hipocrates lib. Præception. ait. *Tempus eſt in quo occaſio eſt, occaſio verò in qua temporis non multum eſt*, occaſionem ſuo tempore arripiendam eſſe innuens, vt quæ in tempore quidem accidat, paruũ autem temporis ſpatium obtineat. Sunt autem tempora ſecundum Galenum morborum quædam quaſi ætates, vtpotè ſecundum quas ortus, augmentum,

Tempus & occaſio.

tum, vigor seu status, & declinatio adeoque totus ægritudinum decursus accidat, in his enim eæ mutationes eueniunt, in quarum vicissitudine omnis morborũ mensuratio consistit, quæ vniuersæ medicationis lima est ac regula: Vndè Hippoc. lib. de Medico ait. Temporum occasiones in quibus auxilijs vtẽdum est attendere oportet, atque talia longè præstantissima in studio Medicinæ sunt.

Morborũ Tempora.

Nota sunt, quæ non ab Hippocrate modò, verum etiam à Galeno & alijs de temporibus morborum strictè in medendo, ne quid sinistrè accidat, aut citato errore ægrum in periculum adigat ac præcipitet, obseruandis tam studiosè sunt tradita, vndè 1. Aph. 3. Hippocr. Atletharum Euexiam seu habitum plethoricum, nullo sanè Lunæ vel accrescentis vel decrescentis obseruato itinere confestim soluendum esse docuit, qui idem circa principia ac fines omnia leuiora, in statu verò vehementissima esse 2. Aphor. 29. monuit, vt si quid in morbis mouendum esse videatur, id non in ipso vigore, sed circa principia ac fines moueamus: qui idem quo tempore in morbis cibandum sit tantâ diligentiâ docuit, omnia ritè, decenter, suo ordine, tempestiuè ac idoneè fieri præcipiens: est enim actionum omnium non solum earum quæ in pharmacando, sed etiã quæ in Repub. coincidunt, neruus quidam

quidam occaſio ac opportunitas, vtpotè quâ neglecta, omnia ſiniſtrè, inconuenienter, mendosè, temerariè, & vtplurimum nocenter & damnosè perficiantur ac eueniant.

Sapientiſſimè proindè prædictus Hippocrates occaſionem medendi minimè negligēdam eſſe ſtatuit, cautè admonens, eam præcipitem eſſe & momentaneam, quod etiam Plinius monuiſſe viſus eſt, & Ouidius ſic inquiens.

Temporibus Medicina valet, data tempore proſunt
Et data non apto tempore vina nocent.

Romano quodam prouerbio celebrata tempeſtiuitas præcepit, *veni in tempore:* & Pythagorici primam cauſam à qua omnibus adeſt bonum, opportunitatem nominauerunt.

Vidi ego quod fuerat primo ſanabile vulnus
Auxilium Medicæ poſt ſuperaſſe manus.
Quando neglectum progreſſu temporis acre,
Contraxit nullo ſubueniente malum.

hinc in morbis, prout Seneca quoque in libr. de conſolatione ad Albinam matrem ſenſiſſe videtur, nihil eſt pernicioſius quam immatura Medicina.

Namq; nec agricolis poſt meſſem commodat imber,
Nec Zephyrus nautas in ſtatione iuuat.

Rectè proindè Iſocrates ad Demonicum ſcripſit

...cipsit iniucundum in omni re esse, quidquid ...tempestiuum sit, adeò cunctis in negotijs ...urimum temporis & opportunitatis obser... ...tio momenti habet, quæ si negligatur re... ...ciri haud facile valeat, ad quod concinnè ...usit Cato lib. 2. de occasione dicens,

Obseruatio.

Rem tibi quam nescis aptam dimittere noli.
Fronte capillata est, post hæc occasio calua.

...e qua multa videre est apud Hesiodum, Po...lippum, Ausonium, Philippum Beroaldum ...Heptalogo sapientûm, & alios complures. ...uit sanè adeò magna Veterum circa occasio...em attentio, vt nihil sine hac tentandum ex...imarint, vndè eorum aliqui eam Deam, a...l, vt Menander referente Obsopæo Deum ...uendam marem, qui καιρὸς appellaretur, fe...erunt, eumque volubili rotæ pennatis pedi...us insistentem & vertigine quam citatissima ...orbem sese circumagentem pinxerũt, prio... ...quidem capitis parte hirsutum, posteriore ...labrum. Occasionem hanc ac opportunita...s obseruationem probè callens Asclepiades ...rimus vino opitulari cæpit dans illud κατὰ ...ιρὸν, vndè & de vino exhibendo volumen ...ondidit. Quod si tantam vim opportunitas ...uncta domans, ac tempus in omni re fastigiũ ...btinens est adeptum, vt ex honesto inhone...rum, ex damno lucrum, ex voluptate mole...tiam, ex beneficio maleficium facere, atque adeo

Asclepiades de vino.

adeo rerum omnium naturam permutare valeat, atque adeò iuxta illud vulgati adagij sensum, occasio fures queat efficere, quis eam non etiam quandoque latrones (vtpotè qui debita medicationum tempora irreparabili ægrotii damno vel ſuſpendunt, vel negligere, atque ad alias falſitates & nugas attendere iubent) procreaturã dubitabit? Sola id præſtat occaſio, & tẽporis opportunitas quæ cunctas operationes menſurans, diuerſos effectus edit. Et enim cum duplex ſit potentia: altera quidem agentis, altera patientis, efficitur vt illa ſit mater actionis, hæc autem ſuſceptaculum perfectionis: cumque idem agens in diuerſis ſubiectis diuerſo tempore diſpares planè effectus producere ſoleat, fit vt occaſio præ omnibus, præſertim verò à Medicis ſit & obſeruanda & arripienda, ad quod alludit Ouidianum illud.

Duplex potentia.

Ipſa leget tempus, Medici quoq; tempora ſeruant.

Sanè Proclus in libr. de Anim. & Dæmon. temporis partes alias alijs actionibus conuenire ſcripſit, aliàs præpoſterè eueniunt, quæ ritè perfici potuiſſent, & obſeruatum eſt paruas perſæpè occaſiones magnarum rerum cauſas extitiſſe prout ex Demoſthene patet & ſiniſtrè plurima cecidiſſe notauimus, quæ dexterrimè tranſacta fuiſſent ſi debitam tem-

Ex Orat. ad Leptinem.

pore

[te]more ac occaſionis opportunitatem alioquin [l]uxam arripuiſſent hoc probe Horatius cal[l]ens quantum opportunitas valeret innuit [h]is verſibus,

——————nisi dextro tempore Flacci,
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurē.

[V]nde is idem Auguſto librum mittens hortatur portatorem vt tempeſtiue adeat,

Si validus, ſi lætus erit, ſi deniq; poſſet.

Quod ſi Aſtrologus eam recte medicationis occaſionem tum demum eſſe dixerit cum ſidera plena & benigna fronte ſibi obuiam facta, amabili ſeſe aſpectu cōplexa fuerint: Reſpondendum videtur, quemlibet artificem ex ſuæ artis non vero alienæ occaſionibus recte agendi opportunitatē decerpere debere, cum ſcientiæ inter ſe confuſæ non niſi confuſum opus edant, docet autem Medicum in periculoſis morbis illico ac in inſtanti agere, & auxilium nulla plane ratione differre ſed cuncta conſilia in ægri ſalutem protinus maturare cum vt Hippoc. 1. Aph. 1. ait occaſio præceps exiſtat] & occaſio ipſamet fateatur.

Medicandi opportunitas.

Me ſemel alipedem ſi quis permittat abire
Non poſſum apprenſo poſtmodo crine capi.

Hæc ideò à nobis fuſius recenſentur, vt quilibet non in alijs tantum negotijs, ſed po-

tissimum in Medicina occasionem minimè negligendam esse intelligat, quam vel vilipendunt astrologi, vel suis vanitatibus postponunt, medicationem quæ sub hac occasione, hocuè tempore necessariò debuerat adhiberi, distrahentes differentesque, vndè fit, vt æger quandoq; prius moriatur, quam astra pro ipsorum exspectatione disposita, conjuncta, vel ab inuicem sejuncta fuerint.

Mathematicas interim disciplinas minimè damnamus, siderum itidem effectus, impressiones ac influentias agnoscimus: attamen (si tamen mali quidpiam ab his prouenire potest, quod alio in loco à nobis fusius disputatum est) eorum nocumenta commodo consilio, & attentione, seu prudenti cautela & averti, & anteuerti posse non dubitamus: vtpotè (quod leuiter hîc attigisse non pigeat) quæ per se nunquam noxæ alicujus causa existant, sed solummodo per accidens aërem nunc sic, nunc aliter disponendo morbis quibusdam ansam dedisse videantur, cujus morbidi aëris, vtpotè nimium humidi, sicci, calidi aut frigidi excessum, ac indè prouenìens nocumentum artis prudentia emendari ac resarciri queat, quomodo & inclinationes, quas hæc mediante corporis nostri temperaturà, & humorum varimoda mixtura animis inducere creduntur repugnantia forti-

fortituoine & resistentia domare, refrænare ac reprimere licet, juxta illud,

————*Sapiens dominabitur astris.*

At verò dicunt hi, quid si sideribus vim quandam in hæc inferiora liberrimè agendi concessam esse manifestè demonstrare possimus? Etenim ostracoderma, & cepæ ad lunæ motum & crescunt, & decrescunt. In Syrij ortu mare procellis fluctuat, & secundum cælestium orbium motum & cedit, & recedit. Sub canicula canes in rabiem facillimè aguntur, æstuantq; in cellis vina, quin etiam Cichorij quoddam genus solsequium, Heliotropion dictum, florum conversione solis semper aspectum sectatur exortu sese pandens, occasu se contrahens. Secundùm verò lunæ decursum mulierum menstruæ purgationes regulantur, vndè versus.

Vis siderum.

Luna vetus veteres, iuuenes nova luna repurgat.

Tandem multa alia in natura accidunt siderum impellentium, aut retrahentium, continentiumuè viribus, influentijs, ac operationibus adscribenda. Hinc *sapientissimus Hippoc. lib. de Aere, Aquis & Locis.* Medicum Astrorum ortus, & occasus tenere iubet, Astronomiamq; non minimum ad Medicinam conferre dicit, proindeq; Arctu-

rum, Solstitia, & Canem attendere præcipit sic inquiens. *Maximas autem anni mutationes valdè caveto, & observato, nullamq́; libens in his medicam potionem, pharmacumue dato, nec vrito, nec secato quod ad ventriculum pertineat, priusquam decem aut plures dies transeant,* Decem enim dies, vtræq́; solis mutationes, solstitiaq́; præsertim æstiva ac æquinoctium vtrumque, sed autumnale potissimùm, periculosissima esse putantur. *Preterea ortus astrorum præsertim Caniculæ caueto, & obseruato, deindè Arcturi, Vergiliarumq́; occasus, mala siquidem potissimum decernunt, nonnullaq́; tollunt perduntuè siue corrumpunt: quædam cessant, quædam in aliam speciem & statum transeunt, & mutantur. Hæc ille.*

Solstitia & æquinoctia.

Canicula.

Huic obiectioni vt satisfaciamus, nosse decet nos siderum influentias minimè negare, nec de eorundem actionibus, quas in hæc inferiora ac sublunaria motu, calore, & lumine exercent, ambigere: frustra enim condita esse viderentur, si nulla eis operandi facultas concessa foret, attamen ea, respectu horum inferiorum sese non aliter habere, ac causas quasdam genericas primarias, longiusq́; remotas, vtpotè quæ intermedijs quibusdam, tanquam subalternatis causis ijsq́; magis particularibus adiuuantibus ac

coope-

ooperantibus agant. Cum igitur Hippoc. astrorum ortus & occasus studiosè conside- rare iubet, non tam vult Medicum ad sidera ipsa attendere, quàm aëris, temporis, ac anni in certas suas partes diuisi conditiones, constitutionesq; animaduertere, vndè quamlibet anni portionem, propriam suam temperiem statis quibusdam limitibus caloris, frigoris, humiditatis, siccitatisq; circumscriptam tenere, ac obseruare optat; vtpotè si quę anni portio à sua metà & regulà decesserit, modò hi, modò illi morbi sint futuri. Vndè 5. Aphor: 3. Austros auditum habetare, caliginem oculis inferre, capiti graues existere, & corporis laxitatem procurare, Aquilonem porro tusses mouere faucium morbos causare, vrinas difficiles, ac duras aluos. reddere, propterea laterum dolores ac Pleuritides accersere monuit.

Astrorum obseruatio qualis Medico necessaria.

Quod si vero tempora vices suas per mutauerint, ac tepida fuerit hyems, ver autem siccum & Aquilonium, Abortus, aut infirmorum fætuum editionẽs, Dysenterias, Ophthalmias, & senibus catarrhos breui funestos comminatur, eodem lib: Aph: 12. Siccam autem & Aquiloniam æstatem, autumno pluuioso iunctam, Cæphalalgias forses, tusses, raucedines, grauedines & tabificos morbos inferre scripsit. Aph: 13.

Hipp 3. lib. Aph:

eiusdem libri. Qua de re vide plura ibidem. Solstitia autem, æquinoctia, & Arcturi, Canis, ac Vergiliarum ortus studiosè attendere præcipit, non quod signa ipsa cælestia & astra certi quidpiam sint tunc temporis molitura, sed quod tunc prædictæ anni partes vel in summo sui statu substituræ, vel vnius decursu absoluto, altera prægressam subsequens, suam sit ætatem inchoatura. Primitus namque annus non secundùm menses, ac dies, sed secundùm astrorum quorundam ortum & occasum diuidebatur, sic Æstas, Hyemsque vtrique Solstitio, Ver autem & Autumnus vtriq; Æquinoctio adscribebatur.

Hippocrates.

Itaque sapientissimus Hippocrates astra idcircò obseruari voluit, non quod de ipsorum operationibus Medicum sollicitum esse iubeat, sed quod circa huius, vel illius sideris exortum, aut occasum, anni conuersio incidat, & modò ver, modò æstas, aut autumnus, vel hyems incipiat: quibus temporibus morbos vel variari, vel inchoare, aut desinere prius ipse notauerat, hinc in Aphorismis mentem quasi hac de re suam explicans dicit. *Mutationes temporum pariunt morbos*: & aliâs, quinam æstati, autumno ac hyemi congeneres & consueti morbi

orbi esse soleant, recenset. Cum igi-
, annus secundùm siderum rotationem
suas partes destinctas abeat, ea sanè astra
seruari SENEX voluit, quæ circa harum
itia, aut fines exorirentur, vt Medicus
centèr cuncta & ordinatè peragens quid
æstate, aut hyeme sibi agendum esset,
ospiceret, nec tempora inuicem promis-
è confundens, nulla cuiuslibet tempo-
ris qualitatûm habita ratione errorem
mmitteret. Deindè quoque vt si an-
partes suam crasin ac temperaturam non
seruarint, quidnam faciendum sit præ-
deat, quo aëris vel in hâc, vel in illâ qua-
tate peccatum, ac indè corporibus ingru-
ntem noxam auertere, præcauerè, aut
sarcire valeat, sub Austrina nempe anni
nstitutione corpora exercitijs, sudoribus,
boribus, abstinentiâ, vacuationibusque
siccando, in magnis siccitatibus hume-
tando, in alijs alitèr & victum, & medi-
amina disponendo. Quocirca cum side-
a quidpiam in nobis efficiunt, id quidem
non simpliciter ac immediatè, sed multis alijs
ausis interuenientibus operantur, & ab
niuersali suâ actione in magis magisq; par-
iculares prolabuntur, quarum quidem me-
diatricũ ac intercurrentium variâ conditione

Medicationes pro occasione temporûm varianda.

priorum operationes varimodę alterantur, prohibentur, immutanturq́;. Hinc fit, vt Aſtrologi in ſuis prædictionibus infinities hallucinentur, decipiantur ac errent, cum nimirum vniverſales illas ſiderum actiones ad particularia quædam ſubiecta reſtringere tentant, tametſi enim agens idem ſemper ſit, medium tamen, & materia ſeu ſubiectum, in quo effectus gignendi exſpectantur, non eodem ſe modo ſemper habet, ſed diversâ quandoq́; mutatione variatur.

Aſtrologorum error.

Satius proinde fuerit, vanâ hâc aſtrorum obſervatione relictâ, incertitudinis quidem plurimum, nihil verò, aut parum vtilitatis habente, propinquos, imò proximos ac proprios Medicinæ effectus ſpectare, & eorum cognitioni ſtudioſiſſimè incumbère, morborumq́; rationem pluris ſemper facere, quam aſtrorum influentiam. Quapropter ſi moribus vrget, adſitq́; faciendorum medicaminum commoda occaſio, ſiue dies felici ſeu proſpero aſpectu ditatus dotatusq́; ſit, ſiuè non, ea confeſtim, quæ agenda eſſe videbuntur, minimè negligenda: quanti enim in medicatione momēti ſit occaſio, ſuperius admonuimus, quâ nimirum neglectâ cuncta ſiniſtrè accidant. Tu igitur nulli dierum numero, aut certitudini addictus, nullos ſiderum

Occaſio confeſtim arripienda.

rum positus, figuras ac schematismos ve-
tus, vbi inflammatio aliqua partem quam-
iam insignem tenet; aut exæstuans sanguis
 nobile quoddam viscus impetum fecit,
bsthabito Marte, Saturno ac Venere, con-
stim (dummodo cætera consentiant) san-
uinem detrahe, idq́; media nocte, ipsoq́;
nterlunio, seu durante etiam Ecclipsi, si ne-
essitas ita postulauerit, sic enim quæ artis
unt operaberis, & finem sanitatis quam re-
arare niteris, omnium commodissimè ac
ecurissimè consequeris. Dolendum sa-
nè est, lugendumq́; non immeritò, homi-
nes ob dierum quorundam delectum vitam
nonnunquam amittere, quos dum ipsi fau-
stos exspectant, infaustos medicatione tan-
tisper dilatâ sibi comparant, occasionem me-
dendi non ex morbi digestione ac eiusdem
temporibus, sed ex astrorum configurationi-
bus captandam esse existimantes: hinc fit,
vt dies quos pro suis euacuationibus ipsi sele-
gerunt, non rarò in Criticos ac decretorios
dies in quibus naturæ vt plurimùm res, & ne-
gotium committendum, aut menstruorum
profluuia coincidant, vndè, vel Hippoc. mo-
nitore, multi perimuntur.

Medicum protinus agere debet.

Stolidum autem vulgus Astrologorum
magis supercilia, quàm Medicam veritatem
spectans his nugis obuoluitur, quod etiam

ilgus logos vertit.

priſcis temporibus factitare fuit ſolitum: nam Suidas meminit in verbo Βλακεννόμοιον fuiſſe tributum ſtultorum, quod Alexandriæ pendebant Aſtrologi eò quod â ſtultis conſulerentur. Itaque Aſtrologia non aliud cum rebus medicis commercium, maioremque familiaritatem habere videtur, quàm ars Diuinatoria cum arte Militari. Vndè fit, vt, quod Agamemnoni Calchas fuerat, id Medico Aſtrologus ſit futurus. Quod ſi Aſtrologicas diſciplinas quiſpiam cum Medicina coniunxerit, ſano eas modo adhibens, non id quidem improbamus, attamen neceſſariò huc non requirimus, ſi enim aſtrologica commoditas noſtræ operationi concurrit, benê eſt, ſin minus, vt quod nihil referat, non vſqueadeò malè.

Dies Decretorii.

Paroxyſmi ſeu morborum circuitus.

Sed adhuc pertinax hominum genus inſtat dies decretorios ac iudiciales, quoniam occultam hi ſui rationem & cauſam obtineant: febrium itidem ſtatos circuitus ac paroxyſmos ad ſe pertinere, ſeſeque de his doctrinam ac rationem, redditurum, imò id propriè ad ſe, non autem ad Medicum, niſi ſecundariò ſpectare exclamat, hæc omnia ad Lunæ motum regulari aſſeuerans. Veruntamen nullam eſſe eorum aſſertionem vel hoc monſtrat, quod complures

ægri

ægri ſimul decumbentes non vno eodemq́; tempore, ſed ſuam quilibet pro conditione morbiq́ue qualitate ac tempore peculiarem criſin obtineat. Quod ſi verum, prout eſt veriſsimum, neceſſe planè foret Lunam pro ſingulis ſingulos curſus obire, qui enim dies vni par eſt & medicinalis, alteri impar eſt ac criticus, cum non idem ægrotationis principium ambo ſint nacti: aliò igitur motuum conſimilium cauſa eſt referenda, in humoris nimirum morbifici concoctionem, digeſtionem, ac motum, tanto enim tempore natura conſimiles actiones, & noxiarum rerum expulſiones excretionesq́ue molitur: proindè Auerroës. *Quidam dicunt, quod inuentio criſium hoc ordine ſit Luna, ſed tu debes ſcire, quod hæc eſt cauſa remota, quæ Medico non eſt ſcitu neceſſaria; & cauſa propinqua eſt digeſtio, & materia morbi, de qua diximus.* Vndè Hippocrates lib. 4. de morbis: humorem morbificium in diebus imparibus conturbari, atqui tunc agitatà nimirum materià pharmaco purgante, qui vſi fuiſſent, perijſſe docuit, quod nimirùm priori orgaſmo & conturbationi, alium nouum ſuperinduxerint, atque ideô afflicto afflictionem addiderint, tanto enim tempore humor quilibet

Auerrhois de Criſibus locus.

Vera criſium & Paroxyſmorum origo.

bet mouetur, aut concoquitur, vel excernitur ex quibus crises, inuasiones ac paroxysmi, seu exacerbationes oriuntur.

Veruntamen cum vel crudum vulgus vanitatem Astrologiæ huius iudiciariæ, à quâ sæpè delusum sese sensit, non modo irridere verùm etiam repudiare tandem cæpisset, vt arti, quæ æstimatione paulatim sese destitui sentiret, nova quædam ac gravior accederet opinio, minis quibusdam inanibus eandem stabiliendam esse censuerunt: Finxerunt autem dies quosdam peculiares quibus magna inesset felicitas, eosq; summo fortunio quasi prægnantes proclamarunt, vtpotè qui emptionibus venditionibusq; ædificijs struendis, rei familiari instituendæ, peregrinationibus, bellis, crinium ac vnguium præsectionibus, arborum insitionibus, novis vestibus induendis, ac vxoribus ducendis, plus magis idonei, vtiles, ac fortunato omine sint euenturi; tales dixêre 3. & 13. Ianuarij. 5. & 25. Februarij 3. 22. & 30. Martij 5. 22. 29. Aprilis 4. & 27. Maij 3. & 8. Iunij 12. 14. & 25. Iulij 12. Augusti 1. 7. 24. & 27. Septembris 4. & 15. Octobris 13. & 19. Nouembris 18. & 26. Decembris. Atq; hi sunt dies prosperitatis ac commodæ fortunæ ab ipsis appellati, qui à suâ fortunâ reguntur, quæ, vt poëta ait, *volubilis errat*, quomodo ab astris ac fixis sideribus

Delectus dierum apud Astrologos.

Dies Astrologorum fortunati.

sideribus certum suum cursum ac revolutionem observantibus, & ipsorum Astrologorum opinione vnifariâm pro sui natura agentibus, influxum quotannis fælicem ac ad gerenda quævis negotia exoptatum nanciscentur? Infortunatos è contra hos esse statuerunt, nempe 1. 2. 6. 8. & 25. Ianuarij 6. 17. & 18. Februarij 7. & 15. Martij 6. Iunij 15. & 18. Iulij 19. & 20. Augusti 16. & 18. Septembris 6. Octobris 15. & 16. Nouembris 5. 7. & 11. Decembris.

Infortunati dies, Die verworffene Tag.

Nihil porrò quod diu durare debeat 1. Augusti 11. Martij aut 4. Septembris inchoandum esse ex nescio cuius obscuri philosophi doctrina, anxij monent. Gulones porrò, & crapulæ deditos sollicitè hortantur, ne se 16. Aprilis 1. Augusti. aut 1. Decembris inebrient, alioquin eos chronicos ac graues morbos passuros comminantur: ac si is qui 30. Martij 24. Septembris aut 8. Iunij (quos dies fortunatos omnino esse dixerant) sese inebriarit, & corpus vini onere ad virium vsq; deiectionem, & cruditatûm indèque emergentium morborum pullulationem onerauerit, oppresseritq;, cum hoc qui 1. Augusti ebrius factus fuerit, non in consimili imô penitus pari periculo ac discrimine sit constitutus? Tres porrò dies Lunæ quotannis reuertentes valde metuunt, primum nempe

Astrologorum conniuinatio.

nempe diem Lunæ mensis Aprilis, vtpotè quo die Cain primus fratris sui homicida natus sit: primum itidem diem Lunæ mensis Augusti, quo die Sodoma & Gomorrha igne cælitùs delapso conflagrarunt, & prima incepit hæresis: tandem etiam vltimum diem Lunæ mensis Decembris, quo die natum tradunt proditorem Christi Domini Iudam Ischariotam. Quod si enumerare velint omnes dierum noxas, non reperietur vnicus per annum dies à graui labe immunis, excerandusq; sic maximoperè esset dies ille, quo scelus mortis ab iniquis Iudæis patratum fuit in filio DEI ac redemptore nostro Domino IESV CHRISTO: itemque dies illa in qua Herodes tantam innocentium puerulorum stragem edi præcepit, ac alij quidam dies talitèr formidandi quorum historiam historicæ lectiones non modo sufficienter, verùm etiam abundanter præbent.

Tres dies Lunæ quot annis reuertentes.

Satisfactio.

Suspectus est quoque illis vltimus dies Septembris quam ab causam nescio. Quid si quis eo die in puteum aut foueam inciderit, nonnè confestim extrahendus? Vulnera 15. Calend. April. 1. Augusti vel 3. Calendas Decembres inflicta, lethalia omninò esse, atque ijs diebus natos, mala morte

interire

nterire perhibent, ac si infinitè bonus DEVS, ...demque semper, ob diei huius obuentum, ...œtui nasciture maledixerit? Quis quæ... o his vanitatibus suum vel exiguum credat intellectum, irrationalibus creaturis ac aliquando si non perituris saltem mutationem aut innouationem perfectionis subituris, rationabiles subiugare, ac posse si velit, velle ac non velle, si vel possit vel velit, potentis libertatem his vnifariàm sinè delectu influentibus è cælo, (vti astruunt,) facultatibus habile ac dispositum non semper subiectum reperientibus mancipare, actus enim (vt Philosophus ait) actiuorum non reperitur nisi patiente disposito, quomodo quilibet obseruat subiecti dispositionem pluris quandoque posse quàm vim agentis, vnde idem solis radius bitumen & ceram liquat, lutum verò arefacit, qui tamen diuersi effectus ab agente vno eodemque ac vniformitèr operante prodeunt, hinc etiämsi astra in corpora bina diuersimodè sese habentia egerint diuersos ac plane contrarios effectus elicere possunt, exemplo sint nobis Esau & Iacob fratres simul nati, quorum alter (vt reliqua taceam) hirsutus, alter verò glaber ác mollis euasit.

Piaculum Astrologorum Hæresi haud absimile.

Exemplũ.

Iacob & Esau fratres simul nati.

Ex

Ex hoc igitur errore ſatis fabuloſo, Lernæa quædam multorum capitum Hydra generata eſt, quæ credulos & puſillanimes ad lemurûm ſomnia timere fecit, cum tamen ars ipſa Poëtarum fabulamenſis ſit multo nugacior, vtpotè ex quà tot ac tanti hallucinationûm ſcopuli emergant, vt Varro omnium ſuperſtitionum vanitates ex Aſtrologiæ ſinu profluxiſſe teſtetur. Cum enim aſtrologica vaticinia, non arte, ſed ſorte prodeant, & ſuperſtitioſorum hominûm fallacem coniecturam vt plurimum foueant, factum fuit, vt ſtulta mortalium credulitas, præteritorum oblita, præſentium vel ignara, vel negligens, atq; alioquin in futura præceps, his artificibus, ab antediluuianis temporibus nundinantibus, & ex ingenioſa ſtultitià quæſtum facientibus adhæſerit, cum tamen eorum augures Aſtrologi, futura ſeſe ſcire promittentes præſentium ſæpè ignari exiſtant, Hinc Poeta non contemnendus Aſtrologum ſuo ſic Epigrammate ludit.

Varronis ſententia.

Aſtra tibi æthereo pandunt ſeſe omnia vati,
Omnibus & quæ ſint fata futura monent.
Omnibus eſt vxor, quod ſe tua publicat. id te
Aſtra licet videant omnia, nulla monent.
Saturnus procul eſt, iamq; olim cæcus vt aiunt
Nec propè diſcernens à puero lapidem,

Luna

[I]una verecundis formosa incedit ocellis
Nec nisi virgineam virgo videre potest
[I]upiter Euroten. Martem Venus, & Venerem Mars
Daphnen Sol, Hercen, Mercurius recolit:
[H]inc factum Astrologe est tua cum capit vxor amantes
Sidera significent vt nihil illa tibi.

Adhuc autem sese nobis opponunt [A]strologi arti suæ vel ex sacris literis fidem [c]onciliare nitentes; adducunt proindè illud [l]ib. 5. Iudicium. *De cælo dimicatum est con[t]ra eos, stellæ manentes in ordine & cursu suo [a]duersus Sisaram pugnauerunt.* Et Gene[s]eos 1. quod scribitur: *facta esse astra in signa* [e]x quibus ipsi futura colligere, præscire, ac [c]oniecturi sese posse sperant. Tandem etiam [p]er capillos attractum introducunt psalmi Dauidici decimi noni versum, *Et opera ma[n]uum eius annuntiat firmamentum.* Non autem interim animaduertunt quàm longè [h]æc sint ab illis petita. Etenim licet astra in signa facta sint, non tamen in signa facta sunt futurorũ, sed in signa iam factorum, vt nimi[r]um hęc ipsa excellentiam ac pulchritudinem operum Dei ostendant, & facietenus publi[ce] cè magnificentiam, potentiam omnimodam, ac opulentiam summi creatoris testentur, vt

ex tam insignis operis & facturæ intuitu, & contemplatione cuncti in æterni opificis admirationem rapiantur. Id, quod de Sisara adferunt, Theologis discutiendum relinquimus, qui nos admonent, per stellas sæpius in Sacris literis Angelos indigitatos vt hi Siderum nomine fuerint subintellecti, nobis verò sufficiat præcepisse Dominum Hierem. 10. *A signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes. Et Esa: 44. Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram & nullus mecum, irrita faciens signa diuinorum & ariolos in furorem conuertens, Conuertens sapientes retrorsum, & scientiam stultam faciens.* Qui itidem Esaiæ 48. cap. Astrologos auguribus similes facit Babyloni sic illudens. *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent, & salutent te augures cæli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent tibi ventura.* Quod si Astrologi augures sunt, scimus quid de ipsis scriptum sit cap. 19. Leuitici. *Non augurabimini.* Vnde cum populus Dei ab his diuinationum generibus abstinuisset, Num. 23. sic quodammodo coram Domino fuit purgatus. *Non est augurium in Iacob, neq; Diuinatio in Israel.* At verò reclamant semper Astrologi effectus sese videre tam euidentes,

Loci Biblici.

entes, fatumq́; ac fortunam astris subijci, ac ab ijs omninò regi dicentes. Respondendum his, fieri id permissione diuinà, ac in magnam eorum pœnam cedere: etenim vltimo cap. Isaiæ scriptum est. *Vndè & ego eligam illusiones eorum, & quæ timebant adducam eis.* Et decimo Prouerb. *Quod timet impius veniet super eum.* Ob superstitionam verò dierum quorundam obseruationem sic lamentatur D. Paulus Apostolus ad Galat. 4. *Dies obseruatis: timeo vos, ne fortè sine causa laborauerim in vobis.*

Comminatio Diuina.

Ideo non iniquè Petrus Berchorius in Repertorio morali super Act: Apost: ait. *Ad Christi discipulos & amicos non pertinet vacare ad inuestigandam futurorum temporum rationem sicut faciunt Astronomi qui scrutantur curiosas scientias. Quia quamuis ista possint habere in pluribus veritatem, habent tamen annexam, magnam vanitatem, paucam vtilitatem, & magnam distractionis à salute animæ laxitatem.* Vnde Eccles. 3. dicitur *Altiora te ne quesieris*, etenim Dan: 2. DEVS *est qui mutat tempora*, & Prou: 16. *Sortes mittuntur in sinum.*

Petri Berchorii locus de Astrologis.

Sunt autem Astrologica hæc vtplurimûm superstitiosis rerum vanitatibus contaminata, aut nefandissimis, anilibusq́; figmentis seu cœno respersa, quorum necessitati non

corporis modo gubernationem, ſed etiam eximiam illam ac planè regiam animi libertatem, nec non agendi, deſinendi, abſtinendi, & conſimiles alias electiuas actiones hominum iniquitas perperam obſtrinxit, & hominum animos qui virtuti contumaces ſunt, vanitatibus obedientes effecit.

Deciſio. Verus autem medicus morbum curet præſentem vt propinquum, tollatq; morbi cauſam coniunctam fidis ſuæ artis præſidijs, poſt habitis incertis his Aſtrologorum diuinationibus, bicipiti plerumq; ac ambigno verborum inuolucro tam affabre implicatis ac ad obſcuritatem aliquam inuolutis, vt prædictum videri poſſit quidquid evenerit. Rectius enim eſt in præſentibus inſtanter operari quam à longinquis diuinationibus quæ coniecturæ ſolummodo ſunt ſatis incertæ, dubiam ac pendulam ſpem exſpectare, aut fruſtraneo futurorum malorum metu torqueri.

Hiſtoria. Luſit Aſtrologica commenta omnis ferè ętas ac Philoſophia imo& vulgus ipſum, vndè vt Stobæus ſer. 78. refert Thales philoſophus (quod alij de Anaximene quoq; ſcribunt) ab ancillà deriſus fuit, eô quod dum cælum contueréur in foueā incidiſſet, innuens, eum de cæleſtibus fruſtrà fuiſſe ſollicitum cum ea quæ antè pedes ſunt adhuc ignoraret, Hinc

Bion

cion ridiculos esse Astronomos dixit, qui cum non videant pisces juxta se natantes in littore, illos qui in cælo sunt se cernere posse iudicant. Magna certe eorum hominum ostentatio sed meritò ridenda, cum quæ in cælo fiunt ita nuncient quasi concilio cælesti interfuerint recentique indè veniant memorià, cum tamen interim quid in terris, quid in patrià quid in domo, quid in thalamo suo fiat nesciant. Euenit proindè vt sublimibus sese immiscentes ad ima persæpè præcipiti lapsu deturbentur, prout Poeta de Icaro canit.

Astrologi ridentur.

Icare per superos qui raptus es aëra donec
In mare præcipitem cæra liquata daret.
Nunc te cæra eadem, feruensq; resuscitat ignis
Exemplo vt doceas dogmata certa tuo.
Astrologus caueat quidquã prædicere præceps,
Nam cadet impostor, dum super astra volat.

Icarus.

Astrologica sanè diuinatio ã plurimis (pace tamen illorũ dixerim) vel insaniæ vel stultitiæ pars habita dudûm fuit, cum tamen sapientissimos sese esse reputent, in quorum opinatam sapientiam quadrat illud Esaiæ Cap. 19. quando DEVS vanam vulgi sapientiam Prophetæ verbis sic illudit. *Vbi nunc sapientes tui? Annucient tibi & indicent quid cogitauerit Dominus exercituum super Ægyptum.*

tum. Stulti facti sunt Principes Thaneos, emarcuerunt Principes Memphcos, deceperunt Ægyptum angulum populorum eius. Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.

Sed & temerario quodam ausu, falcem in alienam ac medicam quidem messem mittentes, certas quoq; (prout putabant) viuendi regulas ac documenta insciæ plebi, per Calendaria ac Ephemerides præscribere ac sparsim in vulgus disseminare non erubuerunt, tantà absurditate perfusa, vt ea nemo sanæ mentis non videat, vbi jam antea de proprià arte suspecti, quoad medica præcepta tradenda, omninô rudes depredenduntur, cum præsertìm incertam suam scientiam, certioris artis vtpotè Medicinæ basin esse volunt, cum tamen eorum disciplina tam fallax sit, vt quilibet, etiam imperitus felicius quandoq; ex ea, quam vel artifex ipse diuinare queat. Sic Crato in sua assertione pro tractatu de Peste scribit. Memini Christianissimum Imperatorem Maximilianum Secundum, narrare, se juuenem cuidam Astrologo libellos Ephemeridûm mutasse, & quoties ille serenitatem prædicebat, pluuiam, quoties calorem vel frigus, mediocrem cæli statum futurum scripsisse. Deniq;

Ephemerides ac Calendaria.

NB.

Crato.

q; rem ipſam oſtendiſſe, propiûs ſe ad veritem coniecturis, quam hunc Aſtrologum iticinationibus acceſſiſſe.

Itaq; Medicus prudens his non inſiſtat, nec lis Aſtrologorûm pollicitationibus, aut ominationibus turbetur, ſed ea quæ circa grum agenda ſunt, pro more & motu mor- perficiat, quæcumq; enim benè ac decenr egerit, aſtra non remorabuntur.

Altera decisio.

Interim Aſtronomiam veram ac Mathe- naticam ſcientiam Rege ſimul ac Philoſo- pho dignam, minimè damnatam volumus, Aſtrologiam porro iudiciariam ac Genethli- ca præſagia, vtpote Medicinis præſtandis ix vnquam idonea vilipendimus, cum uantum Aſtronomi metiantur, tantundem Aſtrologi mentiantur. Vide hâc de re Mar- il: Fic: lib: 4. cap: 36. Etenim & Archelaus Eudoxus, Hoychilax, Caſſandrus, & Hali- carnaſſæus, peritiſſimi alioquîn Mathematici ob innumeras cauſas cum cælo cooperan- tes, & variarum occaſionûm interuentum & obſtantiam, nihil certi ex iudicijs Aſtro- logicis deſumi poſſe, ipſimet fatentur. Vn- dè Medicinam certis ſuis præceptionibus confiſam, ob incertum eiuſmodi iudicium vel augurium, non niſi labili opinione, fulcitum, à debito ac recto agendi tramite deflectere minimê conſultum eſſe cenſe- mus.

Protestatio pro vera Mathesi.

Antiqui Mathematici.

 Eouſq;

Eousq; autem processit Astrologorum delirium, vt qui sese Medicis, certas curationum prosperè perficiendarum, aut cauendarum internecionûm horas ac tempora descripturos sunt polliciti Medicinam ipsam tanquam abortum quendam reiecerint, ac infaustis suis sideribus omnem cum bonitatem tum fortunam suà opinione negantibus, artem à DEO conditam nescio quibus Demonibus, Marti, Saturno, ac Veneri addixerint, imô etiam Tauris, Cancris, Scorpionibus, Capricorni familiæ, &c. suà pro vel opinione vel somnio mancipatam esse voluerint, vndè Petrus ille Apponensis Conciliator dictus, Medicum malorum morùm esse debere contendit hoc fundamento nixus eô quod Curatiua Medicinæ pars Scorpioni & Marti sit addicta quorum siderum proprietates in malum vergunt, Conseruatiua vero Tauro ac Veneri non nisi in luxum & luxuriam incitantibus: Ideo idem Apponensis vocat Medicum *inuidiæ pelagus*, *detractionis organum*, *ambitionis perforatam clepshydram. alienæ veritatis contradictorem garrulum*, *propriæ ignorantiæ contumacissimum, defensorem*, & *inexcusabilem ægrorum neglectorem*, ac si DEVS Opt: Max: qui Medicinam (vt Salomon ait) de terrà produxit, alia & benigniora signa, tantæ arti, cui humanam

Astrologorum ergâ Medicos impietas.

D. Deo iniuria facta.

nam salutem credere voluit, præficere vel
n potuisset vel non voluisset, vel in hàc
sà arte condendà, alium cæli situm & aspe-
us siderum magis placabiles, ac virtuosos
spectare (si tamen DEVS creaturas mo-
ri cogitur) nequiuisset.

Æsculapius ἀμύμωμ dictus.

Nescio quomodo Æsculapius ab Home-
ο ἀμύμωμ dicatur? seu irreprehensibilis, qui
ab talibus siderum aspectibus natus, arti ab
minoso cæli statu adeo fædatæ (vt aiunt)
ddictus fuerit.

Infaustus studiorum progressus, cum qui
Philosophus vir bonus & virtutis amator,
cultorq; sapientiæ prius extiterat, nunc Me-
dicus effectus, subitô deteriorascat, & in ne-
scio quæ vitia iufausto cæli aut siderûm po-
situ ruat, vt proindè scire non liceat, nûm ars
artificem, aut hic artem peruerterit.

Conclusio.

Veruntamen ne laruis lucta sit aut inter le-
mures prælium, præstiterit hæc vana, vaga,
& nullâ ratione stabilita Astrologorum ora-
cula, eâ facilitate contemnere quâ leuitate
ab ipsis, ad præstandam forsan sui aliquam
vel æstimationem, vel existimationem, aut
turbandas artes bonas, vel inanem metum
(ob sui obseruationem aliquam) incutien-
dum sunt prolata, donec sub quo sidere nati
sint Astrologi nos quoq; Medici resciamus.
Concludo cum Esaia Cap. 19. *Vbi nunc sa-*

pientes tui? Annuncient tibi & indicent quid cogitauerit Dominus exercituum super Ægyptum, Stulti facti sunt Principes Thaneos emarcuerunt Principes Mempheos: decepe-runt Ægyptum angulum populorum eius. Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens. Atque hæc de Astrologis sua sic fata venditantibus dicta sufficiant, de quibus aliâs forsan plura.

CAPVT XVIII.

Medicina luget se solidam ac veram, anilibus deliramentis fœdatam infirmari, ac in vulgi abire fabulam.

QVantum studij, quantumque laboris maiores nostri in inueniendâ astruendaq; arte Medicâ locarint, ex ijs quæ superioribus capitibus fusè satis recensuimus, cuilibet patescit. Erat autem ea primo quidem æuo cruda adhuc & ieiuna, quæ tamen paulò post subsequentium ætatum solertià, per cer-

arum præceptionum documenta & experimentorum fidem, fulcimentum & ſolidita-tem eſt adepta. Nec dubium, quin ea nitorem ſuum non modo in hunc vſque diem conſeruaſſet, verum etiam proprij decoris ornamenta plurimum auxiſſet, niſi à tot fœdis, nugacibus, falſis, obſcænis, dæmoniacis, ſuperſtitioſis ac fabularum actoribus ſeſe tam nobili ſcientiæ præter omne fas immiſcentibus toties tantam ſuarum copiarum iacturam pati coacta fuiſſet: factum enim, vt, cum ſtercus inter poma nataret, omnes, limpidiſſimi (licet alioquin) fontis aquas ſint auerſati, & ob admixtam fraudûm iniquitatem mellifluæ Medicinæ dulcedinem neglexerint, aut penitûs fuerint auerſati.

Antiquus Medicinæ nitor.

Cùm autem maleuolorum cohors in Medicinam impetum faceret, anilium vetularum exercitus ſuas quoq; nebulonibus ijs copias iungendas cenſuit, vt ſic nihil eorum deeſſet quod contra tantæ ac tam vtilis ſcientiæ deſtructionem faceret, igitur dolis, mendacijs id genus ſolidam Medicinæ ſcientiam ad infirma ac dubia planè argumenta reducentibus aut artem ipſam perturbantibus inſtrumentis, non aliter quàm armis, Diabolo prius diſcatenato Medicinam eſt aggreſſus. Obſeruati igitur à vetulis flatus, pauimentorum ſtrepitus, vomitus pauonum, nocturnæ

Aniles Vetula.

Der Tewfel iſt ledig worden.

canum

canûm eiulationes, hebdomadariæ ad Sabathinam noctem conuerſiones morborum, ſeptimanæ reuolutiones, ſomniorum portenta, propriorum errorum per inſcitiam commiſſorum (quæ ipſæ infortunio tribuunt) peccata, cælorum prodigia, infantium fabulamenta, & neſcio quæ alia deliria, vndè tantâ perſæpè lamentatione ægrum, qui conualiturus erat, moriturum prædixerunt, quantà ſæpius exiſtimatione conualiturum infirmo planè iudicio ſunt pollicitæ.

Muliercularũ quarundam fabulamenta.

Bone DEVS quantà pompâ ac quàm naſuto ſupercilio muliebris hæc turba de tantà tamq; magnificà arte, prout ſibi perſuadebat, triumphatura aduenit, quam ſuperſtitio, curioſitas, præſumptio, inſcitia, dolus, vaſtus, proteruitas, mendacium, amor proprius, regnandi deſiderium, ac varij generis nequitia, tanquam pediſſæquæ comitatæ ſunt. Videbatur jam Ariſtoteles rediuiuus, ac omnis philoſophia innouatà fronte reiuueneſcere, eò quo vetulæ omnem ſuam ætatem in hanc contuliſſent. Vagiebat in cunis Plato, ſcientiam à mulierculis tandem percepturus, ſilebat Diogenes, riſum continebat Heraclitus, à fletu ſibi temperabat Democritus, arrigebat aures Hippocrates, calamo parcebat Galenus, ſtupebant Arabes, Græci, Latini, imò & gentes Barbaræ aduentum

Vetularũ Comitatus.

Philoſophi à vetulis ermè ſuerati.

um hunc muliercularum medicaſtricum ſu-
picientes nouum aliquod & inauditum me-
licationis opificium ab ipſis exſpectantes.
Hæ enim curandi viam facillimam, remedia
ſecuriſſima, experimenta certa, artem bre-
uem (vt quam in culinis offas deſpumando
ac ollas extergendo didiciſſent) ac vberri-
mam doctrinam pollicebantur. Mirabatur
Hippoc. ſe tot laboribus penè exhauſtum,
actam difficili iudicio ſagaciq́; obſeruatione
artem ſibi comparaſſe, Galenuſq́; ſe ad vires
medicamentorum indagandas tot itineribus
defatigatum ſudores ſuos videre irritos, cum
quæ tantis ſtudijs ipſi acquiſiuerint, hæ ſom-
niando ſint adeptæ. Nihil valebat auctoritas
vlla, non artificium, ſed ſola ducebat agmen
opinio. vndè philoſophiâ prægnantes, ſcien-
tiâ inſufflatæ, doctrinâ turgidæ, & conſilijs
abundantes ad oſtentationem aduenêre, eie-
cti philoſophi, & Socrates lotio perfuſus.
Poſtquam verô illarum doctrina innotuit
tûm demûm ex aruſpicina, ſomniorum ob-
ſeruatione, canum vaticinio, nugis, vanis
oſtentationibus, tergiuerſatione, dolis, ſu-
perſtitionibus, ac merà imaginatione opi-
nioneq́; artem ipſarum conſtare fuit depre-
henſum. Præſertim cum jam ſexus vitio,
vitium ætatis ſeſe copulaſſet eique ſeſe jun-
gens, nugacitatis morbum conduplicaſſet.
Sic

Hippoc. & Galenus ad mulierum harum aduentum ſtupent.

Opinio.

Sic igitur curiosulæ in nobilem hanc ac grauem scientiam non nisi summà conscientià tractandam ac exercendam sese immiscuêre, quarum impudentem audaciam, & audacem impudentiam notans Sophocles, *inter hominum calamitates muliere nil peius esse affirmauit, vt quæ omne facinus ausa sit aggredi:* de dolis enim suis confisæ mulieres, præcipuas artes sibi adscribere nituntur, vndè Euripides in Danaë ait.

Sophocles.

Sic dici solet mulieribus artes
Curæ esse, viros autem plus valere hasta:
Nam si dolis acquirere victoriam liceret,
Nos sanè viris imperaremus.

Quod quoq; notans Democritus, mulierem multò quàm virum ad astutias & malignitatem promptiorem esse asseruit, quàm proindè Gaius animo ad audaciam agili ac prompto dotatam esse tradidit, vndè Hesiodus de mulieribus verba faciens sic ait.

Hesiodus.

Imposuit eius pectoribus nuucius Deorum Argicida Mendacia, blandosq; sermones, & ingenium subdolum:

Vndè Alexis dicebat, muliere non esse aliud animal impudentius quæ sese tam audactèr in nobilissimas scientias ingerunt quas postmodûm superstitionibus ac nugis contaminant. Hinc Poëta.

Aëre

Aëre quot volucres insunt quot littore concha
Tot mala tot fraudes mens muliebris habet.

Erat autem earum familia sic instructa, primas tenebant Sibyllæ, non quidem vates, sed ad vana vaticinia phanitico more adspirantes vetulæ: secundas obstetrices tetricæ, abhinc Clinicæ edentulæ, deindè verò somniorum interpretes Philosophastræ, quę cum vigilantes de vigilijs haud satis mentiri nequiuerunt, amplam per somnia mentiendi materiã introduxerunt, deniq; totus ille grex in garrulitatem ac nugas pronus, qui leuia magni pensat, grauia nihili æstimat, præsentia non curat, futura non agnoscit, præteritorum autem non tenet memoriam, ad fraudes solùm intentus ac deceptionibus inhians, vt si verùm ac eruditum Medicum circumuenisse artis sit, magnæ id mulierum prudentiæ ac altiori cuidam cognitioni adscribendum putet. Conquesta hac de re dudum fuère prisca sæcula, vt videre est apud Gordonium in Lilio Medicinæ & apud Arnoldum de Villa Noua, fraudes circa vrinarum inspectionem à maleuolis attentatas in cautelam enumerantem: omne enim illarum quandoque studium hoc est, Medicis non obtemperare, sed eorum placita reijcere, consilia taxare, monita perpendere, iussa examinare, nihil eorum

Vetularũ familia certis gradibus distincta.

Priscorum Medicorũ querela de mulieribus.

eorum quæ præcipiunt exequi, ſed ſuæ ſpontis eſſe, ſua ſolùm extollere, propriam imaginationem ſequi, fabulis adhærere, fouere fraudes, obſeruare ſomnia; (quæ quamuis à Medico meritò circa ægros ſint aduertenda, vtpotè humorum qualitatem vel exuperantiam demonſtrantia, huic tamen iudicio mulierculæ hæ ſapidulæ ac minus auritæ longè non ſufficiunt) canûm in plateis eiulatus magnâ cum diligentiâ & ſtudiosâ attentione percipere, coruorum ac coturnicum paſſim circumuolantium per aëra motus, aut per tecta ac domos ſubſaltationes numerare, ex tectis quo felicius æger moriatur tegulam ſubtrahere, ſpectrorum ſibi per ſtultam impreſſionem metum obuerſantium figuras ac apparitionis modos mendaci quandoq; eloquentià recenſere, atq; ſic ægrum, adſtantes, amicos, & Medicum ægri curam habentem perturbare, ac pluries malitiosè fallere, vt mirum quandoq; ſit poſſe hominem mulierum operà, non quidem quoad medicinas adminiſtrandas, ſed ad ſtragula ſolummodo vertenda & lecticas aptandas vtentem, vel è leui morbo emergere.

Somnia quam ob rem à Medicis aduertantur.

Tolerabiles porro earum aliquæ fuiſſent, ſi modo non ob ſuperſtitiones t incantamenta, faſcinationes, philtrificationes, intoxicationes, & veneficia ac Magicas planè artes

non

[N]on modo formidandæ, verùm etiam metu-[e]ndæ obuenissent. Aduenerunt enim mag-[n]â sui turbâ forsan per portas Caspias Tauri [m]ontis in mediâ siti, per quas quidam Ama-[z]ones quondam egressas ad Alexandrum in [H]yrcaniam venisse prodiderunt, tantâ im-[p]ortunitate confusæ, vt nimbos ætheri ac so-[n]um aëri miscuisse sint arbitratæ, eratq; ve-[t]ularum exercitus, partim in aëra furcarum [u]ectionibus, appensis ollis, nescio quę diabo-[li]ca linimenta continentibus, diffusus & au-[s]tero quodam turbine deuectus, quomodo [V]irgil: 1. Æneid: ait

Amazones.

——————Venti velut agmine facto,
Qua data porta ruunt & terras turbine per-flant:

Virgil: 1. Æneid.

[C]ætera pars quasi ex Tragopolitanâ quadam [V]rbe profecta. nolatis ac tintinnabulatis hir-[c]is insidens magno equitatu tantoq; felium, [C]attorum ac Caprarum strepitu Medicam [p]rouinciam est ingressa, vt cuncta ruinam [m]inari viderentur, inter has signifera illarum forsitan quæ fuerat:

Setigeræ fætum suis intonsamq; tridentem. Attulit. ——————————

Vide Virgil. 12. Æneid.

Erat illis tanta hirsuties, vt castaneas adhuc echinatas te aspicere cogitares, quales descri-bit Virgil: 7. Eclog: nec quispiam.

Ouid. 2. de trist.

Sumpserit annales, nihil est hirsutius illis.
etenim
Indè tragos celeresq; pili mirandaq; matri
Barba.

Itaq; in Medicinà tantam exercuerunt nequitiam ac petulantiam, fraudibus, dolis, proteruitatibus, rerum diuinarum profanationibus, ac aſtu dæmoniaco quæſitam, vt Medicinæ penè excidiũ immineret. Sed enim patientia Medica in furorem verſa has aliquatenus exterminauit, ſunt enim hæ partim artis inſolentià inermes redditæ, partim ſanctimonia puræ Medicinæ depreſſæ & illuſæ, excuſſæ ac cum riſu explosæ: aliquæ harũ vetularum flammis exuſtæ, aut extremo affectæ ſupplicio, ſic maior illarum pars, ſeſe vel domum rurſus recepit, vel in angulos quoſpiam in quibus etiamnum fortaſſe latitat, vt vaneſcentiæ ſuæ vmbris tegeretur, ac latibulorum quoddam haberet diuerticulum ſparſim recondidit, relictis tamen quibuſdam melioribus, ab impurâ ſagacitate, ſeu Sagario opificio alienis.

Vetularum diſperſio.

Progreſſus illarum ac praxis hæc ferè eſt, quam paradigmatis loco deſcribendam ſic arbitrati ſumus, vt quilibet quanam ratione erga Medicos ac ægros vetulæ ſe gerant, agnoſcat.

Medicationis Vetulariæ paradigma.

Vt

Vt primùm Medicus domum ægri ingreſſus de morbi circumſtantijs deq; eius duratione percunctatus fuerit, quam ipſæ prius incantationibus, amuletis, pulueribus gammahuijs, & mille nugationibus, dum adhuc de facili curari potuiſſet, ſuſpenderũt, eumq; veram medendi & opportunam occaſionem negligere fecerunt, ne Medicus ob prægreſſi temporis iacturam acerbius in eas inuehatur, aut earum artificia vana fuiſſe & irrita deprehendat, ſortilegiaq; in caſſum abijſſe cognoſcat, nunc primùm aduersâ valetudine conflictari cœpiſſe dicunt, eumq; vix triduo decumbere narrant, ſeſe nihil tentaſſe, nihil adhibuiſſe, cunctam medendi occaſionem perito Medico intactam reliquiſſe profitentur: cum tamen ægritudo ipſa jam ſit adulta & longioris temporis tractu vires ac pertinaciam acquiſiuerit. Atq; vt ſibi aliquam & fidem, & beneuolentiam apud Medicum præſentem concilient, ſuam exponunt ignorantiam, ſe nec medendi peritas eſſe, nec quo morbo æger laboret intelligere, nec vllam pharmacandi rationem tenere, nec ſibimet fidere liberrimè profitentes. Deindè verò amplo ſpecioſoq; verborum ornatu Medici laudes depingunt, & quid poſſit quantaque præſtiterit, cõmemorant, quodq; cunctis gratus & acceptus exiſtat, quantæ famæ ſit, quãtamq;

Aſtus Vetularum.

Vetulæ beneuolentiam Medici frau-

dulenter captant.

tamq; apud populum existimationem obtineat, enumerant: tandem multum salutis, incolumitatis, fortunæq; imò & Nestoreos annos precantur.

Medicus interea, vbi pulsum, vrinam & corporis habitum, aliaq; à quibus signa sua desumit studiosè explorauit, cunctaq; sedulus perpendit, victum injungit commodum, & pro parando pharmaco formulam (quam receptam vocant) præscribit, dictoque vale pergit.

Consilium clandestinum vetularum.

Tum verò, vt primùm domo egressus Medicus, consilium parant mulierculæ, eloquia Medici singula perpendunt, consilia judicant, ordinationes censent, tandemq; ob vetulæ forsan vnius dissuasum præscripta medicamenta vel parari non jubent, vel jam præparata non exhibent. Itaque ad Iudæos, balneatores, obstetrices, augures & crystallomantes excurrunt, quorum vnus herbam, alter oleum, alius puluerem exhibet, sed & nunc morbus non cedit: vocatur igitur ea,

Anus rimosa medicastrix.

quæ in vicinio sedet, anus rimosa rugosaq; valdè, hæc graui incessu firmisq; oculis, quò se magnis rebus intentam simulet, ingreditur: longo sermone morbi deducit principia, radices prodit, statum valetudinis & periculum magna amplificatione proponit, ingemiscit, condolet, plorat, lacrymatur, cun-

a ponderat, guſtat, olfacit, lambit, lingit, morborum ſimilium à ſe curatorum integras recenſens centurias. Quis hìc adeò facundus ſit, qui eloquenriam, ſtudium, diligentiam, ſcrupulos, attentionem, & turbata vetulæ ſupercilia recenſeat? cuncta rimatur, ſingula examinat, vt ſi quà fortè ratione, ſi non veritate, fraude ſaltem vincat, aut ad minimum aliquid adinueniat, quo vel Medicum taxet, vel reprehendat, aut alioquin ſubdola lingua conuellat: tandem habere ſe ad morbum hunc profligandum remedium certum valde, & efficax, quod & nulli Medicorum ſit cognitum, ſeſeq; poſſidere artem hanc à parentibus & proauis hæreditario iure acceptam, qui eam in peruetuſtis manuſcriptis inuenerint. Proindè ex ſordido, rancido, mucoſo, pingui, & olido marſupio receptam depromit, multà herbarum, radicum, & aromatum farragine ineptiſſimè conſtructã, inſulsè compoſitã ac pro proprià opinione ad felicem (ùti ſperant) euentum concinnatam. Huic reliqua mulierum cohors adſtat, mirantur omnes, conſilium approbant: emplaſtratur venter, perfunduntur liquoribus præcordia, vnguntur renes, abſcinduntur vngues, fouetur ſtomachus, & ea quæ exhibentur, obſeruatis ſignis, conſideratoq; Lunæ curſu, imò verò impari

Vetularum maleſipia.

horarum numero, cum certis quibuſdam cæremonijs, ægro offeruntur. Vbi redit Medicus, quò ſe diligentem ægri curam habuiſſe oſtendant, vrinalia, matulas, cloacas, anitergia, ſtrophiola, ſputoq; & vomitu reiecta monſtrant. Medicus eos quos clàm exhibitum anile remedium in corpore motus effecit, vi morbi eueniſſe exiſtimans, curationem ſuam aliò dirigit; ſed nec hoc illis conſilium placet, aliud tentant, vtpote quæ in multitudine remediorum ſpem omnem repoſitam habeant, igitur cunctæ ſeſe illicò tanquam prælium inituræ accingunt, quarum vna aquam Pleuriticam, altera chyliſma aut Rob aliquod ſudorificum, tertia pollinem ad ſanguinis grumos diſſoluendos accommodum, quarta ſtulto inſtinctu Enchatiſma contra flatus, aliæ alia, noxia non minus quàm abſurda, proferunt. Tuncqnoque quidquid ad nos India tranſmittit, Margaritas, Smaragdos, lapides Bezoar, Sapphyros, imò & aurum ſuis inijciunt remedijs, vt quæ medicamenta bonitas non commendat, pretium paulò ſpectabiliora & fide magis digna efficiat. Et jam morbi ſtatus imminet, ſub quo morbi vehementia perterrefactæ, ægritudinis κακοήθειαν & malignitatem execrari incipiunt, vt qui nulli diligentiæ ac prudentiæ, nulliſq; adeò grandibus auxilijs & præ-

Diligens Vetularum aſtutia, & aſtuta diligentia.

Varia Vetularum remedia.

& præsidijs cesserit, proinde contra virium
acturam egregiè dimicandum censent.
Confestim igitur capones, gallinas, pullosq́;
tundunt, coquunt, eliquant, exprimunt, ex-
stillant; demum sese præparant, ac si athle-
tam mox Pancratia initurum armarent:
tunc enim plus roboris præstari putant, cùm
æger plura ingesserit. Ergò diei noctisq; ho-
ras ita partiuntur, vt ne vna quidem præsi-
dijs, aut cibo æger destituatur. Cibant ma-
ne vesperiq;, cibant meridie, & nocte media,
interim perfundunt, vngunt: fricant, medi-
catas potiones & eclegmata propinant. De-
mum nullus est quieti locus, viceturq́; armo-
rum tandem pondere pugil opprimi. Hæc
est illa fabula sedulis mulierculis adeò com-
munis, quam (vt gratiam promereantur)
manè recitant, recitant vesperi: hac sibi vel
maximè placent, hanc per manus traditam
veluti thesaurum seruant, huic soli student,
inde enim tum spectatæ fidei, tum diligentiâ
insignes habentur: interim æger dolore, fe-
bre, inediâ, vigilijs, æstu & incendio consu-
mitur, quem vt reficiant, vinum absente &
inscio Medico porrigunt, tam diuturnam â
vino abstinentiam vires necessariò frangere,
infirmumq́; ventriculum reddere dicentes.
itaq; æger adauctâ per meri potionem febre
delirare incipit, ac tandem neglectus mori-
tur.

Vetularum diligentia putatiua.

tur. Porrò, defuncto ægro tantum abest vt culpentur, quin potiùs optimæ frugis mulieres medicastrices existimantur, atq; vi multà & solertià iudesinenti aduersus morbum dimicasse putantur, victas tandem morbi malignitate cuncti condolenter pronunciant. Quare ex erroribus & laudem, & lucrum, & amicitias captant. quod si verò erroris alicuius commissi suspicio adest, omnis in Medicum culpa conijcitur, ipsæ autem impunè nequitias ac errata ferunt, cûm è contra quod vi morbi effectum fuit, Medici erroribus imputetur. Aut enim nimis citò emisit sanguinem, aut purgantibus nimis validis est vsus, aut clysterijs ægri corpus nimis exuxit, aut tenui victu vires prostrauit, cùm tamen consilium Medici vix vnquam vetulæ sint secutæ. Sic igitur mulieres suos excipiunt Medicos, qui tot curis, tot sollicitudinibus, tot molestijs, tantis sudoribus pro ipsarum salute laborant, adeò, vt pro his omnibus non nisi laudis & famæ obscurationem rependant. Etenim mulieribus hisce nasutulis satius esse videtur compendia quædam medendi quærere, fraudesq; excogitare, quibus suos in ægri perniciem Medicos decipiant, quàm vt perito viro morbos cognoscenti eorumq; curationi plurimum intento, ac incolumi conscientià auxilium meditanti, vel id

Vetularū nequitiæ subdola.

jam

um pro rationis norma aptè præscribenti obtemperent. Fit ergò vt artis illius, quam se scire profitentur ignoratione, temerè ægris vel in rebus deploratis salutem promittant, vel in securis omnia metu terroreq; compleant. Hæ namq; cum febricitantem vident sub grauissima accessione desipere & loqui aliena, simulq; brachia & pedes nudare ac variè spargere, tum è cubili magno impetu magnisq; vocibus exilire, verberare proximos quosque, neq; necessarios, neq; familiares agnoscere, caloribus extorreri, acutissimis doloribus affici, ac siti propè necari, hæc (inquam) cum vident, concocta quantumuis naturæ viribus eà vnde morbus est, materia, exterrentur, & more suo pauidæ ad extremum rem rediisse pronuntiant. Verùm facessentibus per judicationem his turbis, illicò resolui morbus incipit, ac vani metus leuari, magno falsi præsagij contemptu.

Falsa vetularum præsagia.

Atq; hæc est illa anilis delirij fabrica in Medicinæ excidium structa, ex qua vetulæ somniatrices, & quandoq; sagæ veneficæ non alitèr quàm ad fallendum, garriendum, mentiendum, nocendumq; instructæ prodeunt, quarum petulantiam auxit stulta mortalium credulitas, præteritorum damnorum ab ejusmodi hominibus sibi illatorum oblita, præsentium verò malorum negligens, ac

in futura præceps: vnde ſeſe edentulæ meretrices ac obſtinatæ clinicæ multo & fallaci ſermonum apparatu ægris inſinuant, quos ſanitatis pollicitatione aucupantur, dolis circumueniunt, aſtutià compungunt, fraude decipiunt, inſcitià in periculum adigunt, imò ſæpius enecant: cùm enim ſeſe multa ſcire, plurima poſſe, ac de omnibus dextrum judicium ferre poſſe ſibi imaginantur, fit, vt hac ſuperbià turgidulæ, periculum circa quod, vel in quo verſantur, vel non metuant, vel non agnoſcant: eſt enim ſuperbia cæcitas quædam, quâ homo ſuas infirmitates ac defectus cernere non poteſt, vndè non aliter noxas incurrit, quam Anaximenes philoſophus, qui ſidera ſpectans in foueam cecidit, ab ancilla deriſus quod altum ſapiens, ea quæ coram pedibus eſſent, nondum cognoſceret.

Superbia cæcitas quadam eſt.

Anaximenes.

Veruntamen fatuas fatuoſq; ſuam conditionem ignorare ſinamus, ac miſſam faciamus hanc mulierum medicaſtricum familiam, non niſi dolis, mendacijs, nugis, vanitatibuſq; enutritam, quam ſuperbia ac curioſitas in Medicinæ oppugnationem adegeit, vt ſic ſuam magis exerere poſſet malitiam, cùm (vt Plautus in Sticho ait) *curioſus nemo ſit, qui non ſit maleuolus.*

Plauti ſententia.

Maxi-

Maximoperè autem laudandæ veniunt
neſtæ ac imprimis piæ matronæ parturien- *Honeſtæ*
us mulierculis ex officio charitatis adſi- *Matronæ.*
ntes, præſertim verò pauperibus ope alia
ſtitutis, quæq́; ægris in periculo expoſitis
a vigilantia & modeſta conuerſatione ſub-
niunt, fercula parantes, dapes aptantes, me-
cinas pro Medici imperio dextrè admini-
rantes, aliaq́; charitatis munera exhibentes, *Sanctæ*
r quæ Sanctæ Eliſabethæ, Rhadegundis, & *Matronæ.*
iarum Sanctarûm fæminarum exemplum
ctantur, quæ pauperibus, præcipuè vero
proſis, ob Dei amorem, ſuas cùm opes, tum
ruitia pietatis detulerunt. Eas igitur, vt in
iâ hâc charitatiuâ perſiſtant, ſummo ſtudio
ortamur, id ſolum monentes, ne altius ſa-
iendo, aut curioſius peruagando ad nequi-
iam declinent, falcemq́; in alienam meſſem
nittentes ſuæ charitatis opera alieno damno,
e dicam ſanguine, contaminent, etenim
quàm lubricum negotium ſit per inſcitiam
le hominis vita ſub medendi prætextu lude-
e, ij ſolum agnoſcunt, qui ob rem periculi
plenam ſibi ipſis, licet docti ac periti alioquin
ſint, vix fidunt; cùm audacia ac temeritas
indoctum, timiditas verô intelligentem con-
ſcientioſumq́; plerumq́; prodat Medicum, NB.
aliud eſt enim ex charitate, quæ nihil agit per-
peram, velle auxiliari. aliud ex auaritia audere

inte-

interimere, aliud attingere cum verecundiâ aliud contrectare cum impudentiâ.

Carpendæ hîc etiam vel taxandæ aut reprehendendæ obueniunt mulieres eæ tam proteruæ, aut proprio dolo, astu, philautiâ interdum & petulantiâ, vel vetularum quandoque potius blandis persuasionibus ac adulatione persuasæ, proprios fætus à partu mox abijcientes vt in exilium excussos lamentari videas, eorumq; gemitus, vagitus, ac eiulatus cælum exaudiat, vt quod nubes penetrauerit, etenim mulierum pigritia, aut delicatæ naturæ prætensio, natos complures perdidit imo tot ac tãtos qui Turcam debellare suo tempore potuissent. Quid hoc? Ipsissima naturæ lex sensusq; ipse dictat vt ipsa quæ peperit mater, eadem etiam fidissima sui partus nutrix existat, est enim Galeni testimonio 2. de tuenda valet: lac maternum jam edito infanti saluberrimum, quoniam qui eo aluntur pueri, non solum consueto, sed etiam proprio alimento vtuntur. Nam cum infantes dum adhuc vtero maternò inclusi continentur, sanguine matris alantur, lac verò ex hoc ipso sanguine exiguam in mammis mutationem adepto gignatur, feliciorem profectò nutritionem quæ lacte matris conficitur futuram constat. Et quidem hoc ipso seposito, vtpote ad morum perfe-

Impietas quarundatum matrum in proprios fœtus.

Lac maternum efficax.

ctionem

ctionem parum conferente, permittendum non est vt alieni lactis contagiosâ inquinatione puer polluatur, indolem enim indè vitiari certum est, cum & inter nostros obseruatum esse didicerimus, eos qui caprino lacte nutriuntur, vbi adoleuerint alta quæque loca conscendere, & in sublimes arbores ac suprema tecta & domicilia repere, adeò vt ne in fures euadant vulgus metuat, quod non absq; ratione dicere consueuit hunc vel illum filium, cum lacte nutricis malitiam imbibisse, siquidem vnâ cum lacte vel vitiosi vel ingenui non solum addiscuntur mores, sed etiam imbibuntur, ita vt ad fingendas tam animi quàm corporis dotes, non tam seminis quàm lactis & alimenti naturam valere existimauerint sapientes. Certè Galenus lib: quod animi mores corporis temperamentum sequantur; apertissimè tradit, puero ægrotante: nutricem purgari debere, vt infans sanitatem consequatur, itaq; vt vna & eadem est salus, sic idem corpus & ijdem humores, subindeq; propensiones eædem maximam cum humoribus cognationem habentes. Videmus insuper triticum in aliud solum jactum in avenam aut siliginem degenerare, vitem in alium collem translatam ingenium mutare, plantam à parente terrà reuulsam flauescere ac veluti emori; cur non igitur prolem

Animi & corporis vitia ex lacte in sobole predentur.

Nutrices quandoq; purgari necesse est.

Similitudo.

prolem alienæ mulieris lacte nutritam parentūm mores & indolem dediſcere penitusq; deponere credamus? licet ſemini magnam vim ineſſe ad mores hos vel illos obtinendos nemo negauerit. Multò proindè ſatius eſſe exiſtimo, ſi maternam pietatem mulieres exercētes, officij ſui memores, proprios filios ipſæ alant, vtpotè quos pepererunt, quia quæ matres filios non nutriunt, integras non eſſe ſed ſemimatres, nec officio materno liberos demereri M. Aurelius Rom: Imperat: apud Gellium dicebat. Et certè, quî fieri poteſt, vt filij matris appellatione illas dignētur, quæ eos tot & tātis periculis expoſuerūt, & quæ materfamilias pietatem erga domeſticos omnes exercere debuerat, talem erga liberos crudelitatem exercet, vt viſcerum ſuorum fructum, & imaginem virtutis à naturâ in eo effigiatam, nutrici coinquinandam tradat? Idcircò non immeritò eos qui ſic & aluntur & educantur ſemiſpurios, matres verò ſemiadulteras dicendas eſſe quidam exiſtimarunt, quæ enim per nouem menſes mater nutriuit filium, eundem biennio nutrix lactauit, vnde non iniquè differentiam nonnulli adducunt, quod in verè dicto adulterio mater filium alterius patris marito ſupponat, in hoc vero alterius matris filium ſubſtituat. Hinc nobilis quidam juuenis ex

M. Antonini Imperatoris decisio.

NB.

Graccho-

Exemplũ Historicũ.

[G]racchorum famĩlia, Romanus, militari lau[d]e & opulentià ſimul, è bello redux, occur[r]entibus ei gratulabundis matre nutriceq́; ſic [i]nter eas ſpolia diuiſit vt matrem argenteo [a]nnulo, nutricem vero aureo torque dona[r]et, quam donationem iniquam ſibi viſam, [i]ndignabunda cùm doleret mater, *tu me* (inquit filius) *novem ſolùm menſibus in vte[r]o, hæc verò duobus annis integris, vberibus [s]uis aluit, nutriuitq́;. Sic itaq; corpus medio pa[r]um honeſto abs te mater habeo, hæc verò can[d]idâ ac ſynicerâ voluntate mores dedit, tu me [n]atum primùm à te procul reiecisti, hæc à te [d]eſpectum abiectumq́; ſuis vlnis recepit, & ad [h]unc vſq; ſtatum perduxit.*

Argumenti huius elucidatio.

Aqua quod gignit in aquis educare conſueuit natura, terra ſuos foetus alit; quod aëreum eſt partim & terreum, tum aër tum terra nutrit: nam & ignis omnia alioquin conſumere ſolitus ſuas fouet Salamandras, neq; eſt tam ferum vllum animantis genus, quod ſuos non alat fœus, etenim Tygrides ſanguinolentæ lac ſuis tamen catulis non denegant, ſic Leones, Viperæ, Leopàrdi, aues rapaces, Lupi, & alia quæuis animalia ex rapinà viuentia ſuos partus nutriunt, homines verò proprios fœtus contemptione quaſi quadam deſpicatos abijciunt exponuntq́ue. O delirationem incredibilem non minus quàm

Mulerum harum deliratio.

quàm execrabilem: vix enim vllum expoſitionis genus crudelius eſſe poteſt, quàm peperiſſe, & mox abieciſſe, aluiſſe in vtero fœtum quem nondum viderat, petfectum verò in lucem editum, ac jam filium factum, tenerum adhuc & rubentem, triſtiq; vagitu qui & feras mouere ſolet, matris opem implorantem reieciſſe, ac proprij & conſueti lactis alimoniâ priuaſſe, aut mulieri conductitiæ, ruſticæ, mercenariæ, obſcenæ, nec morigeræ, pertinaci, obſcuræ, mendaci, ſæpè etiam meretrici aut adulteræ & nonnunquam lue venereâ infectæ tradere, quæ quidem crudelitas meritò nonnunquam ſumma DEI prouidentià punitur. Etenim mulierculis hiſce delicatulis proprios fœtus ſic abijcientibus, ex numinis fortè vindicta plerumque lac in mammillis turgidum, ac grumeſcens, diros cruciatus, præcordiorum grauirates, pectoris anguſtias, febres, & alia mala plus magis formidoloſa procreet, adeò vt quas proprijs filiolis papillas denegarunt, canibus ſugendas præbere cogantur, quin & in hoc diuinæ punitiones vix acquieſcunt, etenim perſæpè mammæ papillæq; inflammantur ſuppuranturq;, aut in ſcyrrhum indureſcunt, vt nouaculis præciſæ & ignitis Cauterijs mortificatæ aut tandem Gangræna vel Cancro corruptæ decidere non rarò conſpiciantur. At verò

Mulierum nutricatũ negantiũ pœna.

teneræ

teneræ ætati imbecilliq; valetudini parcendum esse nonnulli obtrudent, quibus sic responsum volo, naturam his quibus ad concipiendum vires sat dedit validas haud dubiê ad lactandum sufficiens robur non denegasse, vel proprio pectore, lacte dùm grauidescunt eum in finem vt hoc ipso fœtus postnodum enixus alatur, admonitas, ne concipere solũ ac parere matris officium esse arbitrentur, in quorum vnò voluptatem & oblectamentum, in altero verò naturæ necessitatem sunt secutę, nihil interim post partum de puero benè meritæ, sed verum matris munus penitus aut ob nequitiam aut ob desidiam oblitæ. Has tamen hoc in censu reponi non voluerim quæ vel minus lactis habent quam quod fætui alendo sufficiat, vel extenuatis valdê, aut quæ morbosum & facilè corruptibile aut alio quodam vitio infectum vel aquosum nimis & nutritioni ineptum lac possident, has enim necessitas legem non habens meritò excusat, cum aliàs pigritia luxuriæq; fomes desidia, aut ficta quædam teneritudo reas eas conuincat.

Obiectio mulierum deluitur.

At vt Capiti huic finem imponamus audiant ac obseruent id bonæ matres, ac fidæ suorum fætuum ac propriarum sobolûm nutrices, vt exemplum illud Euangelicum & planè Diuinum si non assequantur saltem imiten-

Sanctissima virgo Maria.

tur, æmulenturque, quod Sanctissima DEI Genitrix virgo MARIA præbuit quæ (Benedicta inter mulieres, ac Regio stemmate oriunda) quem genuit adorauit, eundem etiam proprio lacte pauît, nutriuit & educauit. Vndè sancta mater Ecclesia eius laudes merito decantans in hymno sic canit.

O gloriosa domina
Excelsa super sidera
Qui te creauit prouidè
Lactasti sacro vbere.

Vnde Domini nostri IESV CHRISTI nutricatum adeo extulit mulier illa in Euang: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.*

Indulgeant nunc mihi honestæ quædem matronæ, sed in hàc causà valdè difficiles, absonæ aut à seipsis vel proprijs saltem fætibus alienæ, quod eas nonnihil carpendas esse censuerim, id enim rei non modo grauitas, sede etiam veritas requisiuit. Orent autem Dominum DEVM vt de patratis hucusque negligentijs sibi parcat, ac vt Diua DEI Genitrix Sanctissima virgo MARIA hoc à filio suo quem panniculis inuolutum, jam-

Omnipotentis DEI gratia & Diua virginis intercessio.

modo pro nostrà omniûm salute tûm enixũ ac in præsepio reclinatum ac lacte virgineo pastum impetret, vt & illæ munus suum & officium in nutriendo proprio suo fetu commode

mode assequi possint ac valeant, quod si asse-qui non potuerint, saltem Diuinà ope, ac Deiparæ virginis imploratione intercessio-neq; piè imitabuntur. Ita enim & decet & expedit.

CAPVT XIX.

Medicina luget: Se iustam ac æquam à compluribus iniquam ideoq; formidabilem effici, quæ cunctis alioquin grata & jucunda extiterat.

SAnitatem in certo quodam ac justo concentu seu harmonia, vel vt propriè loquamur, in symmetria ac commoderatione quàdam quatuor elementorum, ex quibus corpus humanum constat, insupêr & qualitatûm ab his promanantium debità inter se proportione consistere nemo ambigit, hàc durante & suis legibus à natura datis coërcità, singula membra munijs ad vitam necessarijs haud impeditè frui possunt, vt proindè Gal. lib. 1. de differ. morb. cap. 2. sanitatem actionis causam rectè dixerit. Atq; hæc tam

Harmonia & concentus Elementorum sanitas est hominis.

Sanitas causa actionis.

diu firma manet ac ſtabilis, quamdiu elementa, jam dictas naturæ leges obſeruant cum primùm autem vnum horum vel deficit, vel exuperat, transgreſſis proprijs limitibus, ſanitas ipſa continuò hebetatur ac labaſcit. Medicus igitur, qui naturæ miniſter eſt, in corpore humano, artis Medicæ adminiculo commoderationem hanc elementórum taliter obſeruare debet, vt ſi quod ex ijs deficiat, quantum deficit reponat, ſin autem quid exuperet, reſcindat, vndè diuinus Hippoc. Medicinam adiectionem & detractionem eſſe prudentiſſimè ſcripſit. adiectionem quidem eorum quæ merito deſiderari debent ac poſſunt, detractionem verò ſuperfluentium, vt ſic vnicuiq; ſuum tribuatur, & ſeruatà æquitate cuncta proportione debità ſibi mutuo reſpondeant, ac in vnam hominis ſanitatem conſpirent. Huius autem æquitatis cuſtos cum ſit Medicus, eum juſtitiæ amatorem ſectatoremq; ingenuum eſſe conuenit, ſeduló aduertentem vt leges hæ naturæ, in quibus ſanitas conſiſtit, inuiolatæ perſiſtant.

Medicina eſt adiectio & detractio.

Medicum iuſtum eſſe oportet.

Veruntamen prò dolor, quantus hic errorum cumulus? quantuſq; tranſgreſſionum numerus? Sanè tantus, vt integro volumine vix, ac ne vix quidem comprehendi poſſit: atqui vt ex pluribus paucula exempli loco ob oculos ponamus, reperies non paucos Medicos

Nimia Medicorũ quorun.

dicos ita in morbis liberos, ita in præſcribendo victu liberales, vt vel ægros ipſos cibis ad mortem vſq; onerent, vel ægritudini abundans fomentum ſubminiſtrent, omnem conualeſcendi ſpem in multâ ac crebra deuoratione & ventris per cibos infarctu ſitam eſſe opinantes, nō autem aduertentes Hippoc. 2. Aphoris 9. dicentem *corpora impura quantô plus nutriueris, tantò magis lædes*, etenim pluribus damnis augentur: atq; hi ſanè iuſtitiam non obſeruant, cum corpori addant quod ſubtrahere debuiſſent, haud ſecus quàm illi, qui Hydropicis plenas vrnas potandas exhibent, & aquà intercute aliàs jam penè ſuffocatos, liberalioris potus permiſſione tandem penitùs obruunt.

dam indulgentia & facilitas.

Neq; verò æquitatem obſeruant hi, qui in curandis morbis nimium rigidi, ægros per drachmas cibant, aut numeratis guttulis potant, vbi quandoq́; febres per inediam exauctas, vireſq́; cum morbo conflictum habentes etiam ad famis aut ſitis prælia adactas, ac ſic contra duos hoſtes pugnando confectas fuiſſe notauimus, quibus idem reclamat Hippoc. 1. Aphoris, 5. dicens. *In tenui victu ægri delinquunt* (*cauſam ſubiungens*) *quia errata grauius ferunt*: Vnde horridam omninò ac terrificam hi idem Medici Medicinam effecerunt, cum Diatritarijs participantes

Medici quandoq; nimiùm rigidi & auſteri.

 quos

quos multos fame ac inediâ perijsse probabile est cum Galneus fusè suâ ætate contra hos scripserit ac errorem eorum grauitèr carpens expugnarit.

Tempora morborum neglecta.

Peccant etiam contra justitiam hanc Medici, tempora morborum in quibus quæ agenda sunt præstari debent, non obseruantes, imò ad morbos ipsos vel naturas indiuiduorum non attenti, sed promiscuè nunc purgantia præbentes pharmaca, nunc sanguinem detrahentes, vel alibi eius emissionem negligentes, aut sudores euocantes in tabidis, vel vomitum cientes his qui à vomitu læduntur, pectus nimirum angustum aut sancios pulmones habentes, vel in thoracis vitia pronis, aut qui ceruicem ac thoracem amplum non obtinent, ac ophtalmiæ, doloribus capitis, sanguinis eruptionibus & tabi obnoxij existunt, ac si hæc non ex ratione sed pro libitu agenda forent.

Vomitus quibus difficilis & noxius. Vide Hip p:c. 4. Aphor. 6. 7. & 8.

Itaq; Medicus leges naturæ sic interpretetur ac corpus ipsum regat, vt ex summo jure summa non fiat iniuria, sed æquitas consequatur, quæ ferè mediocritatis comes esse solet. Modestè sic igitur cuncta componat, vt non nimium rigidus, vel austerus, nec nimium indulgens, vel in defectu, vel in excessu contra justitiam hanc peccet, sed cuiq; suum

Decisio.

[..]ium tribuat, exhauſtis refectionem, reple-[..]is inanitionem.

Et verò perpulchra illa ac ſolennis Medi-[c]inæ pars chirurgica in carnificinam propemodum abijt, quando eam profitentes con-[t]ra artis præceptiones ſecando, vrendo, ac [v]arijs tormentorum modis ægros grauiſſimè [v]exare cernimus, eoq́; res deuenit, vt de doloribus inductis ſibi gratulentur, imoq́; laudi ſibi ducant afflictis maiorem afflictionem addidiſſe.

Chirurgia Vitiata & ab aliquibus crudelis effecta.

Sunt enim qui ſe tot digitos amputaſſe, tot mammas nouaculis præſcidiſſe, tot tibias ac pedes reſecaſſe, tot vlcera candente ferro exuſſiſſe, tot vuas aut gurguliones deforcipaſſe, ac neſcio quæ horrenda ac formidabilia facinora edidiſſe gloriari audeant, atq; adeò eos, qui doloris leuamen ab ipſis poſtulabant, mutilatis membris, vel adauctis doloribus, ſic ſanè familiaritèr exceptos ſeſe dimiſiſſe promulgant, vt ſi forſan alius quispiam foret qui ipſorum ope indigeat, expertos corpora excarnificandi magiſtros ſeſe habiturum ſperare poſſit.

Inanis & immanis Chirurgorum non nullorum iactatio.

Videntur autem complures chirurgiam exercentes ſæuitiam hanc citius ac prius didiciſſe quàm Emplaſtrum coquere, aut parare anodynum, vel cataplaſma concinnare ſciuerit, adeò in vitium hæc ars degenerauit.

Siue enim graue malũ sit siuè leuè, semper id faciunt recrudescere, nec aliquid se præstitisse rentur, nisi sopitos dolores, rursus expergefaciant, quô miseri decumbentes, sese strenuè laborare persentiscant Accurrunt armati nouaculis seu cultris incisorijs, terebellis, limis, forcipibus, ferulis, balistis, vinculis, lanienis hominûm meris, cum quibus & ignis vt acerbius torqueret illatus est, vnâ cum Causticis, Vesicatorijs, & Cauterijs potentialibus, per infernalem, (quem Anglicum Dispensatorium vocat) lapidem, septicâ eius vi in demortuam carnem impactis, nihilominus per misericordiam, aut miseriam potius talium chirurgorum impetratis, & à timido ægrotante, qûem solâ adhuc diutiûs viuendi spes, ad omnia ista ferenda coëgit, ac persuasit admissis.

Chirurgorum triuialium praxis.

Hæc est illorum armatura, hoc prælium, vt quod morbus non abstulit ipsi diripiant, modo spes auferendi vigeat non est quod tristet eos in quamlibet partem cadat salutis aut necis alea. Neq; vero solus sibi ad torquendum ægrum sufficit Chirurgus, ni plures adhibeat sibi similes vt cum antehâc Monomachiâ lites hæ dirimi potuissent, nunc concurri cæptum sit à pluribus. Atq; horum aliqui idem semper omnibus vlceribus emplastrum adhibent, non alitèr quam bonus

Similitudo.

ille

e Lucrio, qui eundem Herculi Pumilioni ılceum inducere nitebatur, vndè à mininnà ıtertrigine, pernione, furunculo, aut verru-à, chironia ſæpè vlcera, ac Telephia cauſari increſcere. ſæpius deprehenſum fuit, in id rè ſtudium incumbentes, vt Tantali Tragæ-iam æquent. Rariores ſanè proſtarent ad ores templorûm, manus ſuas ad ſtipē porri-entes, nec in compitis, foris, plateis, pando-hæis, audirentur tot querulæ lamentantium oces, Deos & homines implorantes, adeo orti, gibboſi, claudi, mutili, vix ilia ducen-es, & veſperam propediem habituri.

Tantali Tragœdia.

Vocantur Chirurgi ad ægros vt ſaucia ſa-ıent, non autem vt partem, quæ conſeruari oſtulat, amputent: expetuntur, vt conti-ıui ſolutionem connectant, non vt magis liſiungant: deſiderantur vt dolenti vulneri, ıut vlceri medelam præſtent, non autem vt (qui communis horum hominum mos eſt) ſuis ſpecillis ac exploratorijs inſtrumentis id ipſum renouent ac reddant acerbius.

Atqui verò errores eorum grauiores ſcitè admodum detexit meliora ac ſaniora conſi-lia ſubminiſtrans expertiſſimus ille Chirur-gus Felix Wirzius Baſilienſis libello illo ſuo ferè aureo quem Germanico idiomate con-ſcripſit, cui titulus eſt Practica der Wund-artzney / was für ſchädliche mißbräuch bey

Felix Wirtz Wund-

arzet zu Basel. der Wundarzney in gemeinem schwanck, vnd warumb die abzuschaffen sein.

Quod si longius progrediaris, ingentem hominũ numerum à chirurgis his vulgaribus per suffumigia ex CinnabariMercurio preci-pitato ac similibus parata si non planè suffocatos, saltem in tabem, phtisin ac pulmonis vitia adactos obseruabis, longè verò plures per vnguenta Mercuriata paralyticos ac tremebundos effectos cernes: non paucos Turpetho minerali ad orcum deturbatos experieris. Atq; hi omnes justitiam non obseruant quæ Medicinæ debetur, vndè hæc de famà suà tam sollenni periclitatur, quando vno ex errore plures pullulascunt, ac eam cuncti sæuitiæ accusant, quam ob beneficia præstitia meritò collaudare deberent. etenim ex hàc Medicorum aulâ, quæ salubritatis officina meritò dici posset, non nisi trauli, monoculi, loripedes, claudi, manci, mutili, membris orbati, ad furcam reclinati, Paralytici, edentuli, valetudinarij, curui, Lunam ac aëris mutationem sentientes, atq; in summa plures morbosi quàm sani prodeunt, quod ipsum vulgus obseruans ac de sua cute sollicitum Chirurgos hos communi Medicorum nomine in carnificis familiam deduxit, cuius causam egisse videtur Virientius Gandensis Poëta, inquiens.

Chirur-

irurgus Medico quo differt? scilicet illo:
Enecat hic succis, enecat ille manu.
rnifice hoc ambo quãtum distare videntur?
Tardius hi facient, quod facit ille citò,

Atq; sic nobilis Medicorum prosapia
b aliquorum peccata pænas luere cogitur,
im quæ Chirurgis imputari debent, Medi-
s, sub quorum nomine sese hi comprehen-
i volunt, adscribuntur.

Non autem iniquè hoc Medicis factum &
æc calumnia in eos deuoluta est, imò meri-
ò, cum sola pigritia artem Medicinæ inte-
rantem Chirurgicam quasi alienam â se ex-
usserit, & à se reiecisse visa sit. Inuales
ente enim Medicorum vastu, Chirurgicam
operam, ministerium vile, & officium sordi-
dum esse sunt arbitrati, tractare nimirûm
vulnera, extergere saniem, mundare sinus ac
fistulas, & similia, obscænitatis opera esse re-
putantes, idcircô lautiores effecti, vetustissi-
mam hanc Medicinæ partem propemodum
negligere cæperunt, & sublato vertice om-
nem curam, studium, & sollicitudinem abij-
cientes, rem manuariam ad Chirurgos de
mandarunt, qui ipsis postea Medicis nasu-
tiores effecti nunc vltra Pharmaceuticam &
Diæteticam, partes prius sibi congeneres &
socias triumphare nituntur.

Res manuaria.

Insurrexit autem adeò Chirurgorum co-
rum

rum insolentia, vt vel Romanorum tempore (prout suprà monuimus) tolerari amplius nequiuerint, quos proindè ab Vrbe vnà cum maleficis & nocuas artes exercentibus, circa Archagati tempora, qui primus Chirurgiam ibidem pollicebatur, Senatus populusq; Romanus pepulit, quasi hi ad dolores potius parandos, vel vitam finiendam, quàm salubritatis procurandæ rationem conducti viderentur, quomodo Martialis Epig. 85. Antiochum tonsorum vel ob id ludit, quod acerbius fricando, barbamq; radendo sibi obuenerit, ita, vt vel hircus intonsus, ideoq; barbatus permanere maluerit, quàm ipsius operas experiri. Et licet Orpheus fugam ad Mænadas, (à quibus tamen Bacchi sacra celebrantibus discerptus dicitur) arripuerit, potius tamen onus illud & periculum subire voluit, quam vt vel solûm ab Antiocho Chirurgo tonderetur, prout Martialis hoc venusto carmine testatur.

Chirurgi Roma pulsi.

Antiochus tonsor.

Martialis de Antiocho.

Qui nondũ Stygias descendere quærit ad vndas:
Tonsorem fugiat, si sapit, Antiochum.
Alba minus sæuis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios Enthea turba modos.
Mitior implicitas Alcon secat Enterocelas,
Fractaq́ fabrili dedolat ossa manu.
Tondeat hic inopes Cynicos, & Stoica menta,
Collaq́ puluerea nudet equina iuba.

Alcon.

Hic miserũ Scythica sub rupe Promethea radat:
Carnificem nudo pectore pascat auem.
Ad matrem fugiet Pentheus, ad Mænadas Orpheus,
Antiochi tantùm barbara tela sonent.
Hæc quæcunq; meo numerasti stigmata mento,
In vetuli picta qualia fronte sedent,
Non iracundis fecit grauis vnguibus vxor:
Antiochi ferrum est, & scelerata manus.
Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor:
Barbatus viuit, ne ferat Antiochum.

Pentheus.

Consimilem iocum in ocularium Chirurgum, seu Medicum Ophtalmicum idem Martialis emisit inquiens.

Hoplomachus nunc es, fueras ophtalmicus antè:
Fecisti Medicus, quod facis Hoplomachus.

eruebat enim tunc vi, & armorum tractandorum peritià oculos, quos antehac Medicinam præstando conseruare se posse pollicitus fuerat.

Hâc igitur infamiæ notà Chirurgi complures Medicinam polluerunt, lacera magis dilaniantes, dolorifica nouis inductis acerbitatibus plus excarnificantes, semel dissecta vel auulsa pluribus dilaniationibus molestantes, inquieta vix tantum quieta relinquentes, membris languidis Stuporem, Tetanum, Paralysin, Contracturam, Spasmum Atrophiam, ac ejusmodi mala per audacem

Recapitulatio.

inscitiam

Paracelſus inertes chirurges reprehendit.

inſcitiam inducentes. Atqui hos quidem omnes Paracelſus rerum injuriâ percitus egregiè peſſundedit, fraudes, errores, dolos, ac ſomnia eorum detegens, prout habet liber ipſius Labyrinthus Medicoruum errantium inſcriptus, itemq́; libellus defenſionum ſuarum contra æmulos editus ac ordinibus Carinthiæ vnà cum priore nuncupatus.

Videtur itaq; Medicina Chirurgica magnà ſui parte prorſùs iniqua, vtpotè quos ſaluare ſanareq́; debuerat, vel deberet, magis offendens, ita, vt eam in humani generis exterminium excogitatam eſſe putare queas, quam eorum Medicorum cohors comitatur qui craſſis erroribus arti conciliant infamiam, quando juſtitiam haud obſeruantes non cibandos edulijs replent, reficiendos autem inedià vt ſupra dictum eſt, macerant, itemq́; inanes, purgationibus torquent, repletos magis infarciunt, atq; ex cumulo errorûm tam ingenti, ij maximè prodeunt ac primi videri volunt, qui artem alioquin Hippoc. teſtimonio longam, friuolis altercationibus, ac inanibus longeq́; petitis nec ad rem pertinentibus documentis, qualia ſeſe in medium attuliſſe ſibi imaginantur, prolixiorem reddunt. Sed de his finis, æquitatis enim trutina ſacra eſt, nec iniqua aut iniuſta eſſe poteſt.

Sed-

Sedenim verô sibi eam carnificinam adeô laudi ducunt vt patrata sua facinora postibus affigant, ac publico in foro depicta, ostentent cum his subscriptionibus, Hie sticht der Meister den Staren / hie bricht der Meister die Zähn auß / hie treibt der Meister das Gewürmb ab / hie schneidt der Meister den Bruch / auch die Hasenscharten / hie zäpffe der Meister die Wassersucht / rc. Interim inscij illius Aphorismi Hippoc. 6. Aph: 27. *Quicumq; suppurati, aut aquam intercutem patientes, vruntur, aut secantur, si pus aut aqua in vniuersum effluxerit, omnes moriuntur.* Veruntamen hic plus valet temeritas quam scientia, & audacia prudentiam persæpè confundit.

Concludam ferè cum Paracelso breuibus, qui quodam in loco ait. Da das Weiber nehmen Meister machet / vnd jeder ritt (oder gang) ein halben Gulden galt / da gienge die Artzney auff steltzen. Nunc ex his quilibet suam partem desumat, talitèr, vt ego meam.

Paracelsi definitio.

CAPVT XX.

Medicina luget ſe olìm fuiſſe Muſicam dehìnc effectam eſſe in cantatricem.

Sanitas in Harmonià elementorum conſiſtit.

VNiuerſam hominis ſanitatem Harmonico quodam concentu ac conſonantià humorûm ab elementis dependentium, atq; indè emergentiûm qualitatûm ex quibus temperamentum reſultat contineri, ac quaſi limitibus quibuſdam circumſcribi omnis ætas & credidit & docuit. Vndè fit vt pro diuersà humorum mixturà, & vnius vel alterius exuperantià, modo calida, modo frigida complexio ac conſtitutio corporis exurgat. Atq; hæc quidem tamdiu inter ſanitatis limites à morbis tuta perſeuerat, quamdiu elementa eorundemq; qualitates ritè conſonant, vnico enim aut altero exorbitante harmonia hæc vel perit vel confunditur.

Sed & mens hominis vnà cum corpore hanc temperiei menſuram & metrum aſſequitur, vndè quæ in corpore vel ſuperfluunt, vel deficiunt, in animum redundant & quæ in mente turbata exiſtunt, in corpus retrogrado

rado motu repelluntur ac regurgitant. Sunt enim prætèr RES NATVRALES, (quas Medici vocant) Elementa nimirum, humores, temperamenta &c. ad humani corporis conſeruationem ſex quoq; RES NON NATVRALES vtpotè aër, cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, inanitiò & repletio, atq; animi accidentia conſideranda. Ab his enim rebus non naturalibus ideò ſic dictis, quod ad corporis ſtructuram nihil faciant vt quæ extra nos ſint, & extrinſecûs adueniant, corpusq; pro ſua varietate varimodè alterent, ſanitatis cum præſtandæ tûm etiam conſeruandæ conditio vt plurimùm dependet. Cùm autem inter has res non naturales dictas, animi accidentia maximam ſibi partem vendicent, vt quæ varia, imo grauiſſima damna, morbos, inualetudines, imò mortem quandoq; ipſam perſæpè inuehere ſoleant, ideo Medicina, vt his aliquod præſtaret Alexipharmacum, Muſicam in facultatem ſuam adſciuit, eâq; plurima mala morboſq; pepulit, præſertim vero Melancholiam, quæ corpus abſumit, ſpiritu triſti (vt ſapiens ait) oſſa exiccante, cui quidem exterminandæ Medicina Muſicam vt inſtrumentum ſibi ad id præſtandum conueniens ac congruum oppoſuit, etenim vt de eâ Hieronymus Phaletus Sauonenſis canit.

Res Naturales & non Naturales.

Animi pathemata.

Melancholia.

Musica turbatas animas ægrumq́; dolorem,
Sola leuat. meritò, diuûmq; hominumq; voluptas:
Quâ sine nil iucundum animis, nec amabile quidquam,
Ad cuius numeros superi vertuntur, & orbis,
Et cœlo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges præscriptaq́; tempora seruant,
Hâc Phœbus, Phœbiq́; soror, duce, & aurea cœli
Astra suos agitant constanti fœdere motus.

Musica animum variè alterat. Solâ certè Musicâ animus corpusq́; nostrum præ reliquis artibus regitur, cum ei hunc vel illum motum & affectionem immittit, etenim vt Macrobius lib. 2. de Somnio Scipionis ait, omnis habitus animi, cantibus gubernatur, nam dat cantus somnos adimitq́; nec non curas & immittit & retrahit, iram suggerit, clementiam suadet, corporum quoq; morbis medetur. Hinc est quod ægris remedia præstantes præcinere dicuntur. *Præcinere* Ecquid mirum si inter homines tanta Musicæ dominatio est, cum aues quoq;, veluti Lusciniæ, & Cygni, aliæue id genus cantum veluti quâdam disciplinâ suæ artis exerceant. Nonnullæ verò aues, vel terrenæ, vel aquatiles belluæ, inuitante cãtu in retia sponte decurrunt.

currunt. Cerui fiſtulis capiuntur, ſtudioq́; modulationum detinentur. Cygni hyperborei cytharæ cantibus alliciuntur. Elephantes Indi organicà dulcedine permulcentur, auiculæ fiſtulis irretiuntur, ſerpentes cantibus rumpuntur, & Delphinos fidibus conciliauit Arion, qui cũ Lesbon patriã peteret, videretq; ſibi ob opes quas ſecũ vehebat inſidias à ſocijs cum quibus nauigabat parari arreptà protinus cytharà in mare ſe coniecit, cuius cantu illectus Delphin dorſo exceptum ad littus portauit, & à periculo ſubmerſionis exemit. In cuius rei monumentum erecta ſtatua inſcripto Græco epigrammate quod in Latinum Volaterranus ſic conuertit.

Modulationes.

Arion.

Cernis amatorẽ qui vexit Ariona, Delphin,
A Siculo ſubiens pondera grata mari.

Meminerunt huius Gellius lib: 6. cap: 19. & Herod: in Clio, nec non Ouid: 2. Faſt: & 3. de arte: vbi ait.

Quamuis mutus erat voci fauiſſe putatur
Piſcis Arioniæ fabula nota Lyræ.

Iure igitur Muſica capitur omne quod viuit quia cæleſtis anima qua animatur vniuerſitas, originem ſumpſit ex Muſicà prout Platonici aſſerunt. Mortuos quoq; ad ſepulturam proſequi cum cantu oportere plurimarum gentium & regionum inſtituta ſanxerunt, perſuaſione hàc quà poſt corpus animę

Ethnicorũ opinio.

 ad

ad originem dulcedinis Musicæ id est, ad cœlum redire creduntur. Sanè animi mores Musicæ parere perbellè nouit Clinias ille Pythagoricus; qui si quando ad iram concitaretur, motus & affectiones animi sumpta protinus cythara leuabat: quod & Achillem fecisse scripsit Homerus, Musicam, quam à Chirone acceperat atq; didicerat, iram eius concoxisse referens. Vnde Horatius in Epodis,

Nobilis vt cecinit grandi Centaurus alumno

& Sidon: Apollin:

Hos inter Chiron ad plectra sonantia saltans.

Socrates. Quid, quod Socrates iam senex institui Lyra non erubescebat? & Epaminundam Græciæ principem fidibus præstantissimè cecinisse legimus: sed & Lycurgus, quamuis durissimas Lacedæmonijs suis leges iniungeret, Musices tamē studiū egregiè videtur amplexatus. Vnde Musicā qui vel negligunt, vel spernunt, aut stulti sunt, aut morosi, aut falsâ persuasione nituntur, Vnde Themistocles cùm quondam in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior, idq; non immeritò, cum

Themistocles. summa eruditio, ac morum institutio, & liberalium artium apprehensio ab hac pendeat vnde sonitu aliquo experrectos, statim è cubili exurgentes, ad aliquod munus subeundum Pythagoras accendi tradidit, sensus namq; ita niuidiores negetioresq; fieri &

conso-

consopitam exacui mentem: morum exempla mala vt suscitari, ita refringi arte Musicà posse priscæ nos docuerunt historiæ. Sed & corporis labores hæc ipsa vel tollit, vel mitigat: vnde prouerbium, *Cantus laborem fallit*. Sic nautæ, sic vinitores, sic captiui, alijsq́; laboribus alligati cantus vnicum solamen inuenerunt, infantes quoq; pueri hanc suauitatem non aspernantur, nutricisq́; cantu à fletu cessant atq; conticescunt. Quod si Musicæ autores inuentoresq́; inspicias, præclara hanc penitus exordia habuisse constat; etenim Musices inuentionem Iosephus 1. Antiq: 1. ad Tubal nepotem Adami refert. sicut nonnulli ad Apollinem & Mercurium: prout Gregorius Giraldus de Dijs gentium Syntagmate 9. in Mercur: quem primitus testudinem & Cytharam inuenisse memorant. Vnde Ouidius.

Tubal Musicam inuenit.

Me fide conspicuus Troia muniter amauit.

Et Valerius Flaccus:

Musarum chorus, & Cythara pulsator
Apollo.

Nam & Plinius eundem Apollinem pro Cytharædo agnoscit, prout Pana deum fistulæ repertorem facit Virgilius, inquiens;

Pan primus calamos cerâ coniungere plures
Instituit ——————————

Cicutici-nes. Quam eandem ob causam Sidonius Panes vocat Cicuticines, cum ait;

Alta cicuticines liquerunt Mænala Panes,

Panes. *Postq; chelyn placuit fistula rauca Ioui.*

Triton. Sed & Triton marinus DEVS creditus tubicen extitit, vnde Ouid: 2. Matamorph: ait.

Cæruleos habet vnda deos, Tritona canorum.

Musicæ inuentores diuersi. Harmoniæ rationem inprimis extulit Aristoxenus, dehinc Ptolemæus, quam commentarijs illustrarūt, Boëtius, Apuleius, Isacius, Theon, Pappus, Gaudentius, Alypius, Nicephorus & complures alij; Instrumenta deindè vsu diem subsequentem docente, alij atq; alij repererunt; etenim Sambucam, quà Parthi & Troglodytæ vtebantur, Ibycus Rhegius ex tribus Cytharædis omnium præstantissimus adiuuenit, cuius his verbis meminit Pacificus.

Orpheus Euridicen cytharà reuocauit ab

Orpheus. *Eque suis mouit saxa nemusq; iugis. (orco,*

Pisce fuit pelagus per longum vectus Arion,

Hac etiam Amphion mœnia struxit ope.

Instrumēta Musica. Epigenum instrumentum 40. chordarum sine plectro pulsari solitum, & Tosinon forsan quoq; 35. fidium ab Epigono repertum extitit. Barbyton tetrachordum Anacreontis inuentum erat, prout monochor-

dum

dum Arabum, Pentechordum Scytharum, & Psithryos Lybicorum, & Magades, à Magado inuentore, chordarum triginta, Samium, abhinc Pythagorã Lyricos concentus inuenisse constat, instrumentum verò lyræ quinque chordarum Corœbus reperit, cui postea sextam chordam Hiagnis Phryx addidit, & septimam Terpander eamq; primus in Græciam Cadmus Agenoris filius attulit. Nec verò satis, nam Clorus tibicinas leges instituit, quas alij pro varijs vsibus varimodè accommodarunt: etenim multiplex olim erat tibia, vtpotè Threnetica, quà ad luctus vtebantur Thebani eam ex ceruinis ossibus factitabant, Scythæ ex ossibus aquilarum & vulturum, Ægyptij ex calamis, reperitq; in tibijs Anthippus harmonicam, Doricam & Lydiam, Nicophales Athenam tibiam sacram Mineruæ. Mitto nunc Paraenias tibias, quibus in conuiuijs vtebantur, mitto Spondaicas hymnis, Choticas dithyrambis, Hipertelias virorum choris, & Parathretas threnis accommodatas, mitto rurales illas fistulas quibus pagani ludunt qua inter alios clăruit Tonius, quem sic in Bucolicis venustè describit Mantuanus;

Lyra.

Tibia multiplex.

Et cum multifori Tonius cui tibia buxo
Tandem post epulas & pocula multicolorem

Toxius.

Ventriculũ sumpsit buccasq; inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit, ciliisq; leuatis,
Multotiesq; altis flatu à pulmonibus hausto
Vtrem implet, cubito vocem dat tibia presso,
Nunc huc nunc illuc digito saliente vocauit,
Pinguibus à mensis, iuuenes ad cõpita cantu
Saltidico, dulciq; diem certamine clausit.

Atq; hæc quidem ars magno labore constitit, multaq; hominum ac diligenti obseruatione fuit parta, etenim vt Lucretius ait,

At liquidas auium voces imitarier ore,
Ante fuit multò, quam lenia carmina cantu
Concelebrare homines possent auresq; iuuare,
Et Zephyri caua per clamorum sibila primum
Agrestes docuêre cauas inflare cicutas,
Indè minutatim dulces docuêre querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata, canentûm
Auia per nemora, ac syluas saltusq; reperta:
Per loca pastorum desertaq; deuia syluis,
Sic vnum quidquã paulatim protrahit ætas.

Nihilominus tamen hæc ipsa (quæ tamen pars aliqua Medicinæ videtur, licet non integrans, saltem coadiuuans) ab aliquibus spreta fuit & neglecta vel posthabita. Hînc Eudamidas, cum cantor quidã mirè placuisset, ac sciscitarentur nonnulli, cuiusmodi ei videretur, respondisse fertur; *videri eum sibi demulsorem magnum in re minuta.* Etenim

Eudomidas.

com-

complures Musicos cantus pro nugis habuêre: vndè Spartiata de quodam qui lyram conuiuio intulerat, dixit, *non esse Laconicum nugari*, & Demaratus vbi in Psaltem bonũ inuasisset, subiecit; *non malè sibi eum videri nugari.* Certè Archidamus Zeuxidami, cùm nimiò plus admiraretur quidam Cytharædum, vimq; eius laudaret: *ô præstantissime*, inquit, *quodnam bonis viris præmium statues, cui tantum arridet Cytharædus?* Rursum, cum ex assistētibus quidam intulisset; Psaltes eximius hic est: at, inquit, *apud nos bonus cantor, bonus cupediarius est*, ceu nil prorsum intersit, cupedijsne, ac lautitiâ concilietur voluptas, an modulatione ex organi sono. Antisthenes cùm audiuisset Hismeniam optimum habere tibicinem, *at*, inquit, *est homo nequam; non enim, si probus foret, tibicen esset:* quo dicto Musicos arguebat vt vnguentarios & ministros voluptatum. Sed & animos Musicam effæminare vetustas credidit, vnde Chromaticum Musicæ genus repudiatum fuit olim, quòd adolescentum eo genere animi remollescerent: proindè Philippus Macedonum Rex, cùm accepisset filium Alexandrum suauius alicubi cecinisse, tacitè eum obiurgauit: *Non te pudet*, inquiens, *quòd tam bene canere scias*: & Hismenias ipse arte musicâ adeò præclarus & excellens habitus, vt

Genus Chromaticum.

etiam, teste Boëtio, multis ægrotantibus omnes animi molestias absterfisse sit creditus, parùm laudis ex hac consecutus videtur: etenim fulgentibus gemmis sese ornare coactus fuit, vt eà ostentatione ars Musica pluris æstimaretur.

At vero hæc ij scommaticè contra Musicam effutierunt, qui eius vel non capaces vel non sequaces extiterunt. Etenim vt in Musicæ laudibus, quà Medicina plurimùm vtitur, pergamus, artis Musicæ beneficio, maiorum nostrorum res præclarè gestæ in posteros sunt transfusæ, vt quorum victoriæ in cantu viuant, ac cunabulis, pro filiorùm ad parentum vestigia sectanda institutione, occinantur, non aliter ac si tapetibus depictæ cernerentur, quarum alioquin memoria forsitan intermortua dudum occubuisset. Sic Virgilius Arma virumque; Homerus Batrachomiomachiam seu Ranarum & Murium pugnam, atq; alia cecinêre, dicente jam dicto Virgilio. 1. Æneid:

Hic canit errantèm Lunam, Solisq; labores.
Vnde hominum genus, & pecudes, vndè imber, & ignis
Arcturum, pluuiasq;, Hyadas, geminosque Triones.

Qui idem Virg: Cretea pugnas & arma Græcorum cecinisse scribit 9. Æneid: inquiens:

Et

Et Clycium Æolidē & amicū Cretea Musis,
Cretea Musarū comitē, cui carmina semper
Et cythara cordi, numerosq́; intēdere neruis,
Semper equos atq; arma virûm pugnasq; canebat.

Sic Thamyrim Threïcium Musas in certamen cantus prouocare audentem Titanum aduersus Deos pugnam, Demodocum Corcyreum Troiæ direptionem, ac Veneris & Vulcani nuptias, Phæmium Ithacensem reditum Agamemnonis & Græcorum, Amphionē verò, Stesichorum, & Terpandrum, compluresq́; alios alia cecinisse memorant historiæ. Proinde, postquam Pythagoras Musicam apud Græcos per malleorum ferientium inæqualia pondera vt per chordarum inæqualitatem, ac per calamorum inæqualem longitudinem reperisset, varios posteritas musicos modos excogitauit, vtpote Dorium, prudentiæ largitorem, & castitatis effectorem, Phrygium, pugnas excitantem & furoris, votū inflammantem; Lydium, intellectum, acuentem, & Æolium, animi tempestates placantem. Quo nomine, his qui ebrietate aut crapulà inducti aliquid mali perpetrabant, tibias & concentum accommodarunt, vt ingenia his modis irrigata honestiores maturescendo mores acquirerent. Est igitur Musica omnibus grata & quibusuis rebus appli-

Dorius so-nus, Phrygius, & Æolius.

Musica laus & vtilitas.

applicabilis, hàc numen placatur, hàc laudatur DEVS, hâc pellitur mæstitia, hàc animatur miles, per hanc labores fugiunt, imo exagitati dæmoniacis spiritibus cātu musico permulcentur, prout Iosephus lib: 6. cap. 9 Antiquit. Iudaicarum de Dauide à Saulo rege dæmonium cantu & fidibus arcente, memorat, & vt habetur 1. Regum, cap: 16. Veteres Ischiadicos dolores cantu & tibicinum modulis mitigabant, & Theophrastus Musicam viperarum morsibus mederi scripsit; cum & Democritus plurimos morbos tibiarum cantu pelli scripserit. Asclepiades frementis vulgi seditiones crebro cantu cōposuit, & tuba surdis mederi fuit solitus. Febrem, & vulnera musicà modulatione curauit antiquitas. Xenocrates organicis concentibus Lymphaticos liberauit & Cretensis Thales cytharà pestilentiam, Terpander verò & Arion apud Aones & Lesbios grauissimos morbos fugàrunt, prout Diuus Seuerinus refert, & peruetustus ille Herophylus ægrorum venas musicis modulis pensitabat. Sed & hoc audi: Aranea Appula prægrandis si quem læserit, pestifer quidem morsus est, at Musica curatur; etenim læsus audito Musicæ sono se dat in choreā, qua tam diu exercetur, donec delassetur & dissipata veneni vis euanescat. Testis Syrenarū ille cantus quo nautę

Medicationes per Musicam præstita.

Terpander & Arion.

Aranea Apula.

Syrenes.

illecti

lecti adeò cōsopiuntur, vt in mare protinus puppi præcipites deturbentur. Etiam cum quondam Lacedæmonij seditionibus inter se tumultuarentur, accersitus Terpander Lesbius, suauitate cantus eorum animos adeò deliniuit, vt in amicitiam relictâ seditione redierint. Chrysogonus modulator tanta arte remigum manus dirigebat, vt cum remorum pulsum Chrysogoni cantibus accomodarent, delectabilem & iucundam efficerent harmoniam, quæ laboris, cuius Cicero lib. 2. de legib: meminit, esset solatium, & Alexandrum quoq; Thimothei Milesij sono excitatum & ad res bellicas alacrius uibratum legimus, quæ cum Musica & præstet & præstiterit haud mirum est si hæc ipsa à Dijs adinuenta, â regibus ac primatibus exculta, à Philosophis factitata, à mortalibus summè expetita, cultis simul hominibus & agrestibus, imò & tyrannis feris placuerit; etenim Tranquillus refert Neronem Terpni, Cytharædi cantum, ad mediam vsq; noctem assidentem & meditantem, sedulò & attentè audiuisse, nec eorum quidquam omisisse quæ generis eius artifices vel conseruandæ vel augendæ vocis causâ factitarent. Vespasianus Tarpeium Diodorum ob Musicam multis donis cumulauit, & Iopas aurea lusit cytharâ, prout Virgilius 1. Æneidos;

Thimotheus Milesius.

——————— *cythara crinitus Iopas*
Personat auratâ, docuit quæ maximus Atlas.

Canus choraules & tibicen à Galbâ multà pecunià donatus est quod eum in cœna eximiè delectasset. Mitto nunc innumeros alios, qui Musicà arte clari, laudem, opes honorem, & sempiternam quasi memoriam sunt consecuti: inter quos non postremum locum obtinet Misenus ille, de quo Virgilius

——————— *atq; illi Misenum in littore sicco*
Vt venêre, vidẽt indignà morte peremptum
Misenus. *Misenum Æolidẽ, quo nõ præstantior alte*
Ære ciere viros: Martemq; accẽdere cant
Hectoris hic magni fuerat comes &c.

Et Stentor ille de quo Homerus apud Erasmum,

Stentor. *Stentoris in specie validi, cui ferrea vox, q*
Quinquaginta alios æquas clamore sonoq;.

Et vero nemo est tam fero & agresti ingenio, qui talium oblectamentorum non teneatur affectu, quiq; Musicæ sono non consistat, cùm & dij ipsi modulatione gaudere videantur, cuius rei non ignara antiquitas, in sacris suis Musicam adhibebat: vndè Ouid lib: 1. de Ponto.

Ante Deûm matrem cornu tibicen adunc
Cum canit, exiguæ quis stipis æra neget

Et Homerus lib: 1. Iliados ait.

Phœbeas iras placabant carmine Graij

Ph

Per luces totas pulchrum Paana canentes,
Cantantes Phœbum, huic mulcebant gaudia
pectus.

Erant autem cantilenæ in ſacris nihil aliud, quàm commemorationes eorum beneficiorum quæ ſibi à Dijs collata fuiſſe opinabantur, cum clementiæ & liberalitatis ipſorum multa amplificatione, & precibus vt benigni ac faciles exaudirent: prout Pilochorus ait in lib: de ſacrific: & vt ſignificant hymni Orphei; & teſtatur Apol: lib: 2.

Veterum cantilenæ.

Incenſa ſtatuere choros altaria circum
Cuncta, ibi Iopæaona Iopæaona Phœbum
Cantantes, vnaq; Oeagri filius Orpheus
Biſtonia ſumpta cythara canere incipit altè,
Horrendum vt fixit ſerpentem ritè ſagittis:
Ad iuga Parnaſſi ſaxoſi paruulus infans
Phœbus, adhuc nudusq;, & gaudēs crinibus
Sis placidus, faciliſq; veni, &c. *(aureis,*

Hæc autem paulô fuſius in Muſicæ laudem, quatenùs ea Medicinæ conducit ac inſeruit, huc attulimus, quã vt Medicæ facultatis ornamentum plurimi iniquè polluerunt, eamq; inanibus quibuſdam ac diſſonis incantationibus contra punctum veritatis pugnantibus, ac in eiulatum quendam pias aures offendentem deſinentibus non modo perturbarunt, ſed etiam defœdarunt, quorum opificum infinita penè delira-

menta

menta Trallianus, Marcellus Empiricus, Sammonicus, Gordonius, Valeſcus, Villanouanus, auctor Roſæ Anglicæ, & aliij tradunt, quæ ad Epilepſiam, Odontalgiam, Ophtalmiam & conſimiles morbos pellendos vſurpabant. Et Galenus 6. de ſimpl. med. Sacerdotes qui priſcis temporibus ferè medicinam exercebant, in radicum effoſſionibus incantationibus vſos eſſe ſcribit. Atq; vt nonnulla in illorum ignominiam & confutationem magis pateſiant, notum ſit quod &c. Serenus ad propulſandum Hemitritæum de verbo Abracadabra chartæ in pyramidalem formam inſcripto, quæ deinde lino incluſa de collo ſuſpendi debeat, tradit. Sic M. Cato de re Ruſt. Part. 160. pro luxationis & fracturæ curatione ait. Luxum ſi quod eſt vt excantes, hac cantione ſanum fiet: Matas danatas, dari es dardaries eſt araries. *Id eſt*, ein Stock oder Pappernarr / *ſeu ſtultus quadratus*. Et paulò infra haud abſimilem diabolicam cantilenam exhibet, quæ taliter ſonat. Haut, haut, haut, iſta, piſta, ſiſta, damiano, damauſtra, *ſeu multarum nugarum plurima plauſtra*, Vel hoc modo: Haut, haut, haut, iſtagis, turſis, ardannabon,

Incantationes.

Abracadabra.

Excantationes.

pon, damaiſtra. *Sic eueniunt ſiniſtra.* Multa ſunt quæ de verbo Agla; à fabuloſis fabulosè traduntnr. Multa de Has has, nachas nachas, bela bela, ce ce. Sed his linguis dæmon vtitur, eſtq; is ſermo in Academià Diabolorum valdè familiaris & conſuetus. Ad canis itidem rabidi morſum nugatores iſti pani comedendo verba quædam inſcripſerunt. Irioni, Rhiciori, Eslera, Rhuder fere &c. Vel fruſtulo pomi, Hax, Pax, Max, Deus Adimax. Ad profluentem ſanguinem, Soc non ſoc non. Item Charat, Carà, Sarite, Confirma, Conſona, Imaholite. Ad Odontalgiam hoc appendebatur, Galbes, Galbat, Galde, Galda, atq; hæc ego fidelitèr recenſeo vt nugæ eorum hominûm penè infideliûm pateſcant, infidelitèr porrô, ne cæteri ex his quæ adduximus aliquid addiſcant. Hiſce nugis priſcorum ætas plerumq; inhiabat quæ in eiuſmodi errorum tenebris oberrans etiam doctiſſimos viros occæcauit. Sic Homerus 19. Odyſſ. Vlyſſi, cum in Parnaſſo monte venatu feras inſectaretur & ab apro grauiter percuſſus eſſet, ſanguinem è vulnere profluentem carmine cohibitum eſſe tradidit. Et Apuleius magico ſuſurramine amnes agiles

Vlyſſes.

reuerti, mare pigrum colligari, ventos inanimes expirare, Solem exhiberi, ſtellas auelli, noctemq; teneri cenſuit. Hinc Virgilius in Bucolicis.

Carmina incantatoria.

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam.
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis.

Hæc enim philtris & incantationibus homines in bruta transformabat, prout idem Virgil. 7. Æneid. ait.

Circe.

Hinc exaudiri gemitus iraq; leonum.
Vincla recuſantûm, ac ſerâ ſub nocte rudentum.
Setigeriq; ſues atq; in præſepibus Vrſi
Sæuire, ac forma magnorum vlurare luporum,
Quos hominum ex facie Dea ſæua potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Etenim qui prædictum philtrum ebibiſſent veneficâ virgà ad metrum magici carminis percuſſi, in belluas protinùs vertebantur, qualitèr autem præter incantamentum id philtrum præparatum fuerit, innuit Ouid. 10. Metamorph.

Metrum Magici carminis.

Circes philtrum.

Nec mora miſceri toſti iubet horrea grani
Mellaq;, vimq; meri, cum lacte coagula paſſo,
Quiq; ſub hac latrant furtim dulcedine ſuccos
Adiicit.

Filia

Filia hæc fuit Hecates, quæ ex Nymphà & & Perſeo prognata cum veneficijs incumberet, & non aduenis modô hoſpitibus ac exteris, ſed patri quoq; exitialis exiſteret, in Colchidem ablegata, Aætæ patritio nupſit, ex quo jam dictam Circem & Medeam ſuſcepit, de qua Auſonius.

Fertur in Aæta penetralibus eſſe puella,
Hanc Hecate docuit ſuper omnes pharmaca quotquot
Vel Pontus, vel terra tulit, molleſcere flammas
Indomitosq; ignes docuit, fluuioſq; rapaces
Firmauit, quamuis properanti flumine currant,
Sideraq; & Lunæ curſuſq; viaſq; ligauit.

Auſonius de Circe.

De Circe ſic ſcribet Ouid: 14. Metamorph:

Exiluêre loco (dictu mirabile) ſylua,
Ingenuitq; ſolum, vicinaq; palluit arbor,
Sparſaq; ſanguineis, rubuerũt pabula guttis
Et lepidis viſi mugitus edere raucos
Et latrare canes, humus ſerpentibus atris.
Squallere, & tenues animæ volitare videntur.

Talem quoque magicam incantatricem Medeæ prioris artibus inſtructam earundemq; peritiâ ſi non famoſam ſaltem infamem deſcribit Tib. lib. 1. his verſibus.

Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi,
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditq; solum, manesq; sepulchris
Elicit, & tepido deuocat ossa rogo.
Iam ciet infernas magico stridore cateruas,
Iam iubet aspersas lacte referre pedem.
Cum libet, hæc tristi depellit nubila cœlo,
Cum libet, æstiuo prouocat orbe niues.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus queis fallere posses,
Ter cane, ter dictis despue carminibus.

Amphion Thebanus.

Huius magicæ incantationis apprimè peritus fuisse fertur Amphion Thebanus, qui Ægyptijs admirationi fuit, de quo ficta extat fabula de arboribus auritisq; scopulis eius cantui obtemperantibus. Qualem incantationis vim describit Poëta hoc metro.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Sistere aquam fluuiis & flumina vertere retrò,
Nocturnosq; ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, descendere montibus ornos.

Et Virgilius incantationis vim sic exprimit.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis,
Atq; satas aliò vidi traducere messes.

Vim

Vim hanc Carminum deſcribit idem Virgilius 4. Georgic: tribuebant eam autem veteres ſoli eloquentiæ, forſan neſcij incantationis aliquid magicæ ſub hac ſpecie latere. Vndè is ipſe Virg: loco jam citato Orpheum tam facundum fuiſſe commemorat vt ex ſequentibus patet, vt incredibilia præſtaſſe viſus fuerit. Locus Virg: ſic habet.

Virgil: 4. Georgic:

At cantu commota Erebi de ſedibus imis
Vmbræ ibant tenues, ſimulachraq; luce carentum.
Quin ipſæ ſtupuêre domus atq; intima lethi
Tartara, cæruleoſque inhians tria Cerberus ora
Atque Ixionæi vento rota conſtitit orbis.

Similia fere de ſaxis, plantis, & arboribus carmine commotis apud Ouid: 10. Metamorph: fab: 2. leguntur.

Ouid: 10. Metamorph:

Talia dicentem neruoſque ad verba mouentem
Exangues flebant animæ nec Tantalus vndam
Captauit refugam, ſtupuitque Ixionis orbis
Nec carpsêre iecur volucres, vrnisque vacarunt
Belides, inque tuo ſediſti Siſyphe ſaxo.
Tum primûm lachrymis victarum carmine fama.

Eumenidum maduisse genas, nec regia coniunx
Sustinet oranti, nec qui regit ima negare, &c.

Apud Propertium quoque Saga de vi sui carminis ita gloriatur.

Quidquid in orbe vides, paret mihi: florida tellus
Cum volo spissatis arescit languida succis,
Cum volo fundit opes, scopulíq; atque horrida saxa
Niliacas iaculantur aquas, mihi pontus inertes
Submittit fluctus: Zephyríq; tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes: mihi flumina parent,
Hircanaq; tigres, & jussi stare dracones.
Quid leuiora loquor? Luna descēdit imago
Carminibus deducta meis, trepidusq; furentes
Flectere Phœbus equos reuoluto cogitur orbe,
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quiescit
Virgineis extincta sacris, Phœbeia Circe
Carminibus magicis socios mutauit Vlyssis.
Proteus esse solet, quidquid libet, his ego callens

Propertius, de Sagâ venefica.

Artibus

Artibus Idæo frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluuios in summo vertice ponam.

Nutrita hæc postea fuit in Septentrionalibus regnis nequitia, vndè (vt Olaus magnus refert) Biarmienses pugnaturi arma artibus plerumque permutare sunt soliti, carminibusque in nimbos cœlum soluere, ac lætam aëris faciem tristi imbrium aspergine confundere consueuerunt. Nam & Haquinus Noruegiæ Princeps Danos inuasurus, coorti imbris maleficio ita hostium vertices inusitatis grandinis ictibus conuerberauit, vt eorum oculi veluti quibusdam nimborum spiculis lacessiti, prospiciendique penitùs facultate defecti, grauiorem ab Elementis pugnam, quàm ab hoste sentirent. Et Hollerus Magus inter alia Aquilonis numina cultus, adeò præstigiarum vsu clarus euasit, vt ad traijcienda maria, osse quod diris carminibus obsignasset, nauigij loco vteretur, nec segnius eò quàm celerrimo velorum ventorumque vsu præiecta aquarum obstacula superaret. Talis quoque incantatrix fuisse legitur Hagberta Vagnofti gigantis filia, quæ insolito suæ granditatis aspectu, nunc contractioris, nunc exilis, nunc defluentis substantiæ modo corrugata, modò explicati corporis situm arbitraria mutatione transformare fuit solita: atque nunc proceritate cœlis inuecta, in hominem angustioris

Oræ Septentrionales, ab Oleo Magno descripta.

Haquinus Princeps Noruegiæ Magus.

Hollerus.

Hagberta

habitus composita cœlum deponere, terram suspendere, fontes durare, montes diluere, naues sublimare, Deos infirmare, sidera extinguere ac Tartarum illuminare posse credebatur. Ab ea Hagberta Bertæ nomen fluxisse videtur, quod inter puerorum minas numeratur, quando de terribili Bertæ (quam Germani die Berchţ vocant) adorsione ludificati, in inanem metum aguntur. Haud absimilis huic fuit Dipsas illa anus venefica 1. Am. & 8. his versibus ab Ouidio descripta.

Die Bercht.

Est quædam quicunq́ volet cognoscere lenam
Audiat, est quædam nomine Dipsas anus.
Ex re nomen habet, nigri non illa parentem
Memnonis in roseis sobria vidit equis.
Illa magas artes Ææaq́ carmina nouit,
Inq́ caput liquidas arte recuruat aquas.
Scit benè quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.
Cum voluit, toto glomerantur nubila cœlo.
Cum voluit, porro fulget in orbe dies.

Ææa carmina.

Huiusmodi præstigiator extitit Ericus rex Sueciæ, adeò dæmonibus familiaris quorum cultui vacabat, vt quocunque pileum suum verteret indè confestim optatus ventus aspiraret. Harum quoque incantationum peritia claruisse leguntur Marsi Italiæ populi à Marso Cir-

Ericus Rex Suetiæ Magus.

Marsi populi.

Circes filio oriundi (de quibus Gell. lib. 16. cap. 11.) per incantamenta medelarum quasi quædam miracula præstantes. Vnde Sil. Ital. lib. 8.

Haud procul & sacrum Phœbo Soracte frequentant,
Spicula bina gerunt, caput his cudone ferino
Stat cautum, Lyciot damnant hastilibus arcus.
Hæ bellare acies norant, ac Marsica pubes
Et bellare manu, & chelydris cantare soporem,
Vipereumq; herbis hebetare & carmine dentem.
Æetæ prolem Anguitiam, mala gramina primam
Monstrauisse ferũt, tactuq; domare venena,
Et lunam excussisse polo, stridoribus amnes
Frenantem, ac syluis montem nudasse vocatis
Sed populis nomen posuit metuentior hospes
Cum fugeret Phrygios trans æquora Martia Crenos,
Mygdoniam Phœbi superatus pectine loton.

Eadem sordida planè scientia etiam Choatris circa Meotim populis adscribitur, de quibus Val. Flaccus lib. 6. Argon. sic scribit.

Choatri.

Centoras, & diros magico terrore Choatras.

Tantam autem vim olim carminibus antiquitas tribuit, vt vix vlla amplius medicatio,

quæ magices expers foret superesse videretur tam manifestæ ac fraudulentæ huic deceptioni adeò fidens vt nec quidquam nisi per hanc effici posse putarit. Tuccia vestalis apud Romanos solius precationis vsu aquam in cribro tulit, & Plinius Vestales fugitiua mancipia nondum vrbe egressa, precatione tantùm retinere potuisse tradidit. Cęsar verò itineris sospitatem ter repetito carmine auspicari solitus est, qualia fortè ea carmina fuêre quibus veteres aduersus grandines & ambusta vsi sunt. Incantationum eiusmodi vires exprimere volens C. Man: libr. 1. suæ Astronomiæ sic ait.

Tuccia Vestalis.

Consultare fibras, & rumpere vocibus angues
Sollicitare vmbras, imumq; Acheronta mouere,
In noctemq; dies, in lucem vertere noctes.

Hac sanè Magiæ specie plurimum se effectum vetustas credidit, quam Medicinæ coniungens prima quidem fronte admirabilem, deprehensa verò fraude omninò detestabilem reddidit, siquidem eius adminiculo stupendas operationes non modò in Medicina, sed etiam in alijs diuersarum actionum modis adiuuante incantationum auctore ac executore diabolo perfecit, cuius potentiæ maxima quæque adscribere ausa est. Vndè fascinationũ harum efficaciã describens Ouid. sic canit:

Vetustas decepta.

Cum

Cum volui, ripis ipsis mirantibus amnes
In fontes rediere suos, concussaq́ sisto, Ouidii loeus.
Stantia concutio, cantu freta, nubila pello,
Nubilaq́ induco, ventos abigoq́ vocoq́
Vipereas rumpo verbis & carmine fauces,
Viuaq́ saxa sua, conuulsaq́ robora terra,
Et syluas moueo, iubeoq́ tremiscere montes,
Et mugire solum, manesq́ exire sepulchris.
Te quoq́ Luna traho.

Item,

Cessauêre vices rerum, dilataq́ longâ
Hæsit nocte dies, legi non paruit æther,
Torpuit & praceps audito carmine mundus.

Et alibi.

Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam,
Deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes, cantataq́ vitibus vua
Decidit, & nullo poma mouente fluunt.

Sollemnem hanc in Medica facultate incantationis vsurpationem obseruauit quoque Sil. Ital. alibi, nempè lib. 5. Silius Italicus.

—————— medicas hinc ocyus artes
Et senioris opem Synali vocat, vngere vulnus
Herbarum hic succis, ferrumq́ è corpore cantu
Exigere, & somnum toto misisse chelydro.

Tantam itaque efficacitatem incantationibus, excantationibus & carminum vocûmque Wundsegen.

que magicarum prolationibus prior ætas signauit, vt incantationem etiam Medici partem statuisse visa sit. Vndè Pindarus in P thijs Ode. 3. Stroph. 3. inter tres species cu tionis morbis per Chironem adhibitæ, inca tationem numerat, inquiens: *Quosdam mo bus incantationibus tractans, quosdam verò nia bibentes aut membris circumponentes v dique pharmaca, quosdam autem sectionibus st re fecit rectos.* Quin etiam incantationib (prout modò commemoratum est) prisca i ætas adeò vacauit, vt ferè nullum remediun adhiberet, quod non fasciniorum suoru virtute efficacius efficere attentarit. Hin Theophrastus Ischiadicos carmine sanari scri psit. Et M. Varro Podagricis affectibus, Cat verò luxatis membris carmen prodesse trad dit. Veruntamē ista medicatio) vtpotè à pseu domagistro diabolo profecta) incerta plan ac inconstans erat, prout ex Virgil. 7. Æneid colligitur.

Incantationes tandem derisa ac posthabita.

> *——— & morsus arte leuabat,*
> *Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum*
> *Eualuit, neque eum iuuêre in vulnera cantus*
> *Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus*
> *herbæ.*

Tandem verò ab huiusmodi incantationibus excantationibusque fallax hominum cohors digressa Augurijs, Extispicijs, Diuinationibus,

Auguria, Extispicia

Diuinationes & Sortilegia.

us, Sortilegijs & alijs similibus nugationi- sese dedidit, vt criminationem priorem am quam commiserat Dei abnegationem dololatriam exacueret, & sibimet ipsi gra- rem redderet. Exindè insulsi quidam vates futurorum præsagi, imò etiam Crystallo- ntes & somniorum interpretes arrepta an- sese in Medicam facultatem intruserunt.

Fauebant his nugatoribus inter philoso- os maximè Stoici, vt qui talibus ineptijs us fidei habentes, portenta, auspicia, sortes magicas operationes aliquid certi in se cō- nere stultè arbitrati sunt. His vaticinijs & ræsensionibus longa die priscorum ætas ab- rrauit, donec tandem eas vanas & irritas esse osteritas deprehendit, quas proindè non nodò Peripatetici, sed etiam Epicurei philo- ophi maxima ex parte reiecerunt.

Delirantiū turba.

Tanta autem olim erat eiusmodi deliran- tium turba, vt penè totus orbis horum erro- rum œstro percitus insanire videretur, alio dextrum vel sinistrum auium volatum ob- seruante, quomodo Calchas Agamemnoni numerum annorum belli Troiani ex numero passerum prædixisse fertur; alio pastum pul- lorum aduertente, alio aliter nugante aut ho- stiarum exta inspiciente, prout Poëta canit.

——————pecudumq́; reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Qua

Qua de re Baptista Mant. libr. 1. de Cal.

Baptista Mant.

tempor.

Nec contenta bonis diuûm quæ munera
lus
Protulit, in partem scelerum vocat a
deosq;
Exercetq; preces magicas & consulit aras,
Infernoq; vocans manes altaria circum
Nocturnas adhibet vestes, tetroq; vapore
Orgia perlustrat, ducensq; in puluere circ
Murmurat, & variis distinguit signa figur
Extaq; Tyrrheno risu scrutata requirit.

Veruntamen stultitiam hanc simul ac m litiam Hippocrates quamuis Ethnicus adue tens, nihil prorsus huiusmodi vanitatibus impietatibus tribuendum esse censuit, vnd in lib. de morbo Sacro aduersus hos Expiato res ita scribit. *Cæterùm qui primi hunc morbu sacrum pronunciauerunt, tales mihi hi fuisse v dentur quales etiam nunc sunt Magi & Ex piatores, ac Circulatores qui se vehementer pio esse simulant & amplius quid scire.* Plinius ve rò suâ ætate à Nerone falsitatem vanitatem que magices primò deprehensam esse perhi bet, persuasum proindè fuit artem eam peni tùs irritam, inanem ac detestabilem esse dæ mone veritatis solùm vmbra per veneficia ludente. Sed & Socrates in incantationes iu sto quodam zelo nec immeritò inuehitur cũ

Hippocr. lib. de Morbo Sacro.

Plinius.

Socrates.

ait.

c. Incantationes sunt verba decipientia ratio-biles animas secundùm interpretationes, aut se-cundùm timoris impressiones, vel secundùm de-terationes.

Attamen ab Ethnicis digredientes sacras udiamus literas hæc omnia diaboli delira-menta non modò reijcientes, sed etiam eorũ sum strenuam comminatione interdicentes, am Deuteronom. 18. sic legitur. *Quando in-gressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te qui lu-stret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, aut obseruet somnia atq; auguria: nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat nec diuinos, & quæ-rat a mortuis veritatem. Omnia enim ista abo-minatur Dominus, & propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu suo. Perfectus eris & absq; macula cum Domino Deo tuo. Gentes istæ qua-rum possidebis terram augures, & diuinos au-diunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter insti-tutus es.* Et in criminibus Manasses 2. Paral. ca. 33. numerantur etiam similia maleficia, prout ex sacra scriptura liquet. *Maleficis artibus in-seruiebat, habebat secum Magos & incantato-res, multaq; mala operatus est coram Domino.* Et Isaiæ 47. Babylonem sic Devs per Pro-phetam alloquitur. *Venient tibi duo hæc subitò*

Comminatio diuina.

in die

in die vna Sterilitas & Viduitas. Vniuersa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiem incantatorum tuorum vehementem. Vide quæso quomodo Asa rex à Domino reprehensus fuerit 4 Reg. 1. qui (vt habetur 2. Par. 16.) in infirmitate sua non quæsiuit Dominum, sed magis in Medicorum arte confisus est. Quo in loco per Medicos Magi intelliguntur, prout nonnullorum dictum hoc per catachrêsin prolatum esse arbitrantium fert opinio, ita vt non secùs quàm Ochozias Rex ægrotans deliquisse visus sit, cuius nuntijs Elias occurrens ex Angeli præceptione dixit. Hæc dicit Dominus. *Nunquid quia non erat Deus in Israel, mittis vt consulatur Beelzebub Deus Accaron? idcircò de lectulo super quem ascendisti non descendes, sed morte morieris.* Æquiparandi planè huic Regi sunt omnes huiusmodi maleficia, incantationes excantationesque, sortilegia, exorcismos illicitos, characterismos absurdos, verba incognita imò diabolica, quandoque etiam sacra sed præpostero vsu in abusum & malitiam conuersa & directa adhibentes, aut aliter diaboli consilijs sese quoquomodo cōmittentes, super quo rectissimè lamentatur Hieremias cap. 8. sic inquieus. *Nunquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi?* Nihilominus tamen mortales improbi ac veri

Ochozias ex Re

Hierem.

boni

[...]oni osores his nefandis & sceleratis syco[...]hantijs impietatibusq́ adhæserunt, quos [p]roindè non iniquè Poëta carpit inquiens.

Gens inuisa dijs maculandi callida cœli,
Quæ nūc stare polos & flumina mittere nouit,
Æthera sub terras adigit montesq́ revellit.

Sed & magicam istam malignitatem & nequitiam ipse Hippocrates licet Ethnicus detestatus est, prout ex eo Otto Heurnius colligit hoc Argumentum introducens: *Omnis artifex dominatur suo instrumento, at Magus instrumento quippe se longè potentiori (spiritu nempè diabolo) non dominatur. Ergò nec Magus est nec artifex, nec Magia ars.* Et licet dæmon nonnunquam Magis sese obedire simulet, id tamen non facit vt hominem reddat potentiorem, sed vt ipsum credulitate deceptum impietatis ac æterni exitij socium efficiat.

Argumentum Heurnij.

Et verò etiam Poëtas parum his incantationibus tribuisse perspicuum est, cum quas commendasse sint visi, non rarò riserint; namq́ue nec amoris stimulos hisce susurris pelli posse testatur Ouidius 1. de Rem. amoris inquiens.

Poëtarum in incantationes lusus.

Fallitur Æmonia si quis mala pabula terræ
Et magicas artes posse iuuare putat.

Et ibidem,

Deme veneficiis carminibusq́ fidem.

Et iterum,

Me duce non tumulo prodire iubebitur
vmbra.
Non anus infami carmine rumpet hu-
mum.

Et Horat.

Quæ saga, quis te soluere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?

Dido. Sanè Virgiliana Dido 4. Æneid. ab his veneficijs abhorruit, ac ſeſe ab ijs alienam eſſe teſtata eſt cum dixit.

Teſtor chara deos, & te germana, tuumq́;
Dulce caput, magicas inuitam accingier
artes.

Philænis ſaga, Martialis lib. 9. Epigram. 22. Epitaphium ſagæ Philænidos ſic deſcribit, vbi ei terram tam leuem pro tumulo precatur, vt effoſſum illius corpus à canibus deuoretur.

Secula Neſtorea permenſa, Philæni, ſenectæ
Rapta es ad infernas tam citò Ditis a-
quas?
Euboicæ nondum numerabas longa Sibyllæ
Tempora, maior erat menſibus illa tri-
bus.
Heu quæ lingua ſilet, non illam mille cataſtæ
Vincebant, nec quæ turba Serapin a-
mat:

Nec

Nec matutini cirrata caterua magistri,
Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.
Quæ nunc Thessalico Lunam deducere Rhombo,
Quæ sciet hos, illos, vendere lena thoros.
Sit tibi terra leuis, mollíq; tegaris arenâ,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

Horum & consimilium dæmonicolarum udia in Rebuspub. minimè toleranda; mò seuerâ legum vltione sunt punienda : penitùs extirpanda exterminandaque, um impium sit, circa eos esse remissos, quos elestis pietas non patitur esse impunitos, vtpotè omnis malitiæ ac impietatis omites, vti non iniquè Vlpianus I. C. cripta eorum *improbatæ lectionis libros* appellat, quod videlicet ex ijs nihil quàm nequitia hauriatur. Vndè in Decemuiralibus uoq; tabulis incantamenta excantamentaque his legibus prohibebantur.

NB.

Vlpianus.

Ne pelliciunto alienas segetes excantando
Nec incantanto: ne agrum defraudanto.
Ne frugem aratro quæsitam mox furtim depascunto.
Puberes si secanto, Cereri eos suspenduntó.
Impubes arbitratu prætoris verberanto.
Ac noxam duplionem decernunto.

Decemuirales tabulæ.

Medicina autem nugationibus iſtis ne eget, ſiquidem vniuerſæ naturæ benefic gaudet, quã in famulatum adhibet, ſinguli eius partes imò & indiuidua ſibi vendican. Quidquid igitur naturæ poſſibilitas tenet, i omne in ſuam familiam Medicina coopta rerum omnium facultates, effectus ac poten tias vſurpans. Adhæc ſi totius orbis terra rum amplitudinem, totq; effectuum, qual tatum ac operationum quæ in vuiuersà re rum naturà contingunt myriades conſide res, profectò in medicatione nihil non effi vel præſtari poſſe comperies, præterquam quod vel impoſſibile omninò eſt, vel ſuper naturale ac metaphyſicum, quod Medicin naturali modo non perficiat. Turpiſſimum proindè eſt diabolo ſeſe ſubiugare, & leuem quandoq; ob cauſam vinctas ei manus trade re, quæ enim in naturà poſſibilia ſunt, abſq eius ope præſtari poſſunt, quæ ſupernatura lia cum vel à Deo, ſiue ab Angelis edantur perficianturque, ineptum eſt nos moliri: qu autem ea facere attentat quæ facere non po tis eſt; aut ſuperbire, aut inſanire vel ſtul teſcere haud immeritò exiſtimandus eſt.

Deciſio.

Nihil igitur magicis his incantamentis ex cantamentiſque, & alijs conſimilibus ac qua libuſcunque Magicarum artium attentatis cum verà Medicinà commercij, cum hæc

Sacra

-ra sanctaque sit, illa autem fraudulento-
n artificum deliramenta nihil aliud exi-
nt quàm Heurnio teste, *noctuæ quædam*
boli, ad animarum aucupia. Fit enim vt
rum qui maleficis huiusmodi commentis
sistunt suamq; vel salutem eis credunt, vel
columitatem ab ijs acquirere conantur,
à cum corporibus ipsæ quoq; animæ per-
nt ac æternæ neci succumbant.

Heurnius.

Hæc autem digna Magorum merces est
sto ijs Dei judicio erogata, vt artifiees eius-
odi toties sibi parent præcipitium, quoties
fectant fastigium, ac pace mentis nunquam
udeant; nam & artium harum magistri,
i ij quoq; qui eorum operà vtuntur semper
nxii existunt, & nunquam inter spem &
erum futurorum quiescunt.

Exulent igitur ab omni medicatione ver-
a incognita, Carmina, Exorcismi, supersti-
osa amuleta, periapta, philtra, ligaturę, ima-
ines, characteres, numeri, diuinationes, au-
uria & figuræ tanquam insana documenta,
uæ vt acrius torqueremur nostra credulitas
xcogitauit, habeaturq; Domino DEO ho-
or, obedientia & fides, penès quem est
omnis potestas vitæ ac mortis, & meritò is
pse metuendus qui post mortem potis est
mittere in gehennam. Scriptum est enim
Leuitici 20. *Anima quæ declinauerit ad*

Altera decisio.

Domino DEO fides habenda.

magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui. Et eodem in loco legitur. *Vir siue mulier in quibus Pythonius vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur, lapidibus obruent eos, sanguis eorum sit super illos.* Præceperat enim Dominus DEVS Leuit. 19. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, vt polluamini per eos.* Etenim vt ait Eccles. cap. 34. *Diuinatio erroris, & auguria, mendacia, & somnia malefacientium vanitas est*, Iosue cap. 13. *Baalam filium Beor ariolum occiderunt.* Vera autem est Medicina, firma habens principia, fidos progressus & vsus arte & experientiâ certificatos, quibus DEVS benedicet, si homines ad eiusmodi vanitates, errores ac irrita consilia non declinauerint, seseq; non huius modo vitæ periculis sed etiam dæmonibus in prædam exposuerint.

Pythonius spiritus.

CAPVT

CAPVT XXI.

Medicina luget ſe propriis viribus à DEO ſibi datis primitùs confiſam, peruersâ hominûm impietate ad Idololatricas, Characteriſticas, ac alias exleges curandi rationes iniquè protectam.

INcantationibus, excantationibuſque ferè abſolutis ac raucеſcentibus, ſilente jam propemodùm fiſtulâ ac tibijs illis Magicis in cœnum propriæ abſurditatis abiectis, cum nemo eſſet qui cantum ſolueret; aliud quoddam fraudùm diabolicarûm genus introducere ſtuduerunt, etenim his forſan clangoribus Satyri expergefacti, ac Cyclopes, ex antris ſuis protinùs aduenêre, vnâ cum Mandragoris quas vulgo Alraun vocant, hi tibicinibus his ſeſe ſatisfacturos ſunt polliciti, expectabantur autem à Mandragoris iſtis Bryaniatis maxima præmia, familiarum crepundia, largitiones, diuitiæ, facultates, copiæ ac in ſummâ voluptates,

Mandragora Alraun.

fortunæ fauores, mercimoniorum ac vecti-galium celebres vſuræ, hoſtium ſi non victoriæ, ſaltem perterrefactiones, atq; haud alitèr quam incantamenta fæx quædam populi impia grauitèr blaſphæmando introduxit. Itaq; cum ſtultos ac nimiûm credulos per has Mandragoras ſomnum alioquin inducentibus ac ſenſu tandem penè omni hominem priuantibus in eam opinionem abduxiſſent, vt tanta ab ijs idolis donaria ac vtilitates ſeſe percepturos ſperare inciperent, Bryoniæ radices prægrandes ad hominis, ſiuè marls, ſiuè fæminæ figuram ſculpſerunt, circa loca quæ alioquin natura pilis veſtire vel tegere ſolet ſemina Maioranæ puſilla in ſculptam hanc ac effigiatam radicem inſigentes ſicque eam rurſûs in terram tamdiu defodientes, donec ſemina Maioranæ huic infixa radicularum tenerrimarum capillamenta ederent, ſicq; Bryonias has vel maſculatas vel effæminatas, priûs autem ſinè dubio coniuratas, vel alitèr ſuperſtitiosè obſeruatas, magno ſtultis emptoribus pretio venditarunt, atq; ſic Idoli huius artifex Idololatra, alium quoq; huius Idoli cultorem futurum decipit, fraude propriâ ſeipſam deſtruente, cum tamen veræ radices Mandragoræ quibus nos Medici vtimur vt quæ in Officinis noſtris Pharmaceuticis proſtent tales laruas non referant.

Mandragora ſomnum inducit.

Bryonia vulgô Stickhwurtzel *in humanam formam ſculturâ effigiatur.*

Neſcio

Nescio autem quà impietate (quæ apud ficta est pietas) adacti angelos quoq; ex stallo quouis fusos, in subsellio dormienti-s simillimos sibi cõpararũt, per quos sub citrà positis, omnem rerum cunctarum titiam adipiscerentur, vt is Angelus seu umbeus seu stanneus, cupreus, argenteus, reus, auricalchantinus, vel ex ære Cyprio ncta metalla præter ferrum in se continen- confectus, per somnum dormienti secreta uæuis panderet, de scientijs eum instrue-t, arcana detegeret, lapidem Philosopho-um ferè nolenti obtruderet, & similia quæ c dormienti per somnum patefacta puta-antur antequam vero is expergisceret ei-dem ê memorià dudum fluxerunt, relicto hic oscitante quodam Idololatrico stulto qui sese de magnis rebus eruditum iri spera-uerat.

Angeli Magorum somniatores.

Vlteriùs autem icones & sculptilia eius-modi efformarunt, quæ certis & non dete-gendis coniurationum modis abominabili prorsus ratione ac horribilibus incantamen-tis pro suà nequitià temperàrunt, vt inde & absentibus nocere, ac è contra non quidem pro Dei glorià, sed dæmoni potiùs honoris alicuius fuco comparando quandoq; auxi-liari possent. Quem nocendi modum priscis familiarem ingeniosus poëta dete-

Icones coniurata.

git Medeæ fabricas ſic carmine ſuo carpens.

Deuouet abſentes ſimulachraq; carea fingit,
Et miſeras tenues in iecur vrget acus.

Et iterum,

Sagaq; Phœnicea defixit nomina cerâ.

Iacula Magica.

Quinimò iacula quædam magica è plumbo fabricata in eos à quibus vindictam expetebant emiſerunt, vndè hi oborto in crure vel brachio carcinomate intra triduum doloris acerbitate exanimabantur. Qua de re Olaus magnus lib. 3. cap. 17. Hos perſtringit illud Hieremiæ Proph. cap. 2. *Tranſite ad inſulas Cethim & videte, & in Cedar mittite, & conſiderate, vehementèr & videte ſi factum eſt huiuscemodi. Si mutauit gens Deos ſuos, & certè ipſi non ſunt Dii populus verò meus mutauit gloriam ſuam in idolum.* Sed

Homunculi.

& nefandà & horrendà quâdam impietate, homunculos abſq; maris cum fæminà congreſſu ſolà artis ope ex virili ſemine producere tentauerunt, à quibus ſe omnium rerum cognitionem adepturos omniaq; illorum ope abſq; negotiò cognituros ſibi ipſis pollicebantur, Nam talem homunculum eò quod ex arte natus eſſet, cuncta repentè ſine omni labore ſponte ſuà intellecturum

rati

rati sunt, vt qui omnis generis scientias, etiam rerùm naturas citra doctoris aut magistri operam ipse quasi doctor & magister sit traditurus sciturusq́; omnia ea quæ alioquin longà variarum disciplinarum ope consequimur. Huius tam stulti opificij & diabolici homuncionis insulsa pseudoparacelsistarum quorundam fæx meminit, vt quæ ab humani generis nefario hoste in curiositatis vitium proprio quidem suo consensu adacta singulari forsan Numinis vindictà Diuinæq́; iræ permissu in calamitosam hanc & animæ lethiferam phantasiam seu potiùs nequitiam flammis dignam, prolapsa fuerit, ideoq; hoc immane scelus nequitèr patrandum, hancq́; prorsus execrandam rationi & naturæ aduersantem nec non in Deum ipsum blasphemam hæresin addidicerit, quæ vel diabolico quodam somnio suscitata, vel ab antiquis Ægyptijs ac Magis traducta rursus in lucem prodierit, non considerans quod Deus in Ouan grauissimè ob inanem seminis effusionem animaduerterit, de quo Genes. cap. 38. sic legitur. *Introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcircò percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.*

Scelus nefandum.

Ouan & eius punitio.

Verun-

Veruntamen omnis pietas ſordet ijs, qui in cæno iniquitatis ſuæ inſtar brutorum animalium volutantur, in quo tandem computreſcentes in extremam perniciem abeunt.

Quoniam verò huiuſmodi diaboli nulliatibus, non modò rationem, ſed etiam ipſum ſenſum fallentibus, aliqui parûm confiſi, (quod mendax eſſet) ſeſe nihil obtenturos ſperabant, vel hoc ipſum cum dæmone negotiandi genus aſpernantes, alia ſubindè diuerticula & ſubterfugia quærentes ſubtiliore ingenio certitudinem ſcientiæ ſuæ ſigillis quibuſdam communire ac ſtabilire ſtatuerunt, atq; ea quidem ſanctitatis cuiuſdam ſpecie prætextata in forum Medicum introduxerunt, tantà quidem facietenùs pietate, tanquam inſigni frontiſpicio exornata, vt etiam Chriſtianiſſimos homines fraudùm ſuarum vinculis implicitos deceperint; quippe impoſturis ſuis ſacræ ſcripturæ ſententias aut alios rithmos, verba, & carmina quid ſanctimoniæ præ ſe ferentia, loco piarum precum premiſêre, vel his admiſcuêre, ne diaboli dolus facilè aduerti & ſub hàc vmbrà eius veneficium latere poſſet, qui etiam ſacris varimodè abutitur, ſicut & hæreſes pietatis probitatiſq; fucatà ſpecie molitur, & non alitèr quàm Simon Magus Apoſtolorum vires æmulatur. Huius abuſus extant quam pluri-

Sigilla.

plurima exempla, quorum enumerationi neque temporis neq; chartæ ſpatium concedendum eſſe arbitramur, attamen vt eorum ſtultitia magis innoteſcat paucula in horum confuſionem ſubiungemus.

Itaq; ad effigies, ſimulacra ſeu idola ex idolatrià originem ſumentia accedendo vel hoc imprimis annotandum occurrit, Aſſyrios & Chaldæos Lecanomantiæ quoddam genus exercuiſſe inditis in peluim aquà refertam auri argentiq; laminis ac gemmis certo charactere cælatis, ex qua pelui poſt aliquot verba expreſſa exilis vox inſtar ſibili percepta ex aquis reſponſa edidit. Ab hoc magiæ genere illa quæ de Sigillis priſcorum literis prodita ſunt, promanaſſe videntur, nam vt pauca in eorum deluſionem hoc loci proponamus, videat quilibet quæ de Sigillis ad Zodiaci normam effictis & certitudine quàdam horarûm ad ſingulares influxiones & virtutum peculiarium impreſſiones diſpoſitis, ſub inſigni pietatis prætextu à veteribus tradita ſunt; libuit autem uonnulla ex ijs in medium proferre ne quid fraudulenti ex proprio ingenio huiuſmodi artificibus adſcripſiſſe videamur. Ea igitur præmiſsà ſanctimoniæ ſpecie ſic inchoantur. *In nomine viui Patris.* Accipe aurum puriſſimum, & fundatur Sole intrante Arietem XV. Calend.

Lecanomantia.

lend. Aprilis, post formetur indè Sigillum rotundum, & dum formabitur in rotundum dicas: *Hic studio tacere oportet*, & dicatur Psalmus. Et cum factum fuerit, reponatur; postea Lunà existente in Cancro vel Leone sculpatur in eo ab vnà parte figura Arietis dum Sol est in Ariete, & in circumferentia, & ex alià hæc sacratissima verba sculpantur. Hoc Sigillo veteres contra dæmonum insultus, capitales inimicos, maleficia, fulgura, tempestatum iniurias, inundationes, pestilentias, ac ventorum impetum vtebantur, id quoq; phreneticis, Maniacis, Dæmoniacisq; profuturum sperantes, à quo etiam lucrum, gratiam, & vectigalium prosperitatem exspectabant. Sigillum aliud dæmonum insidijs amoliendis destinatum, imò ad comparandas mansuetudinis, misericordiæ, honestatis ac sapientiæ virnutes, renum dolores euitandos, ac mortem subitaneam fugandam ab ijs parari consueuit recitando. Ista autem Sigilla duodenis Zodiaci signis æquali numero accommodabant. Vndè Sigillum Tauri, fabro dicente, *Exurge Domine Deus, adiutor meus, & recitante Psalmum* (*hic subticeto*, excusum, contra Ophtalmias, Anginas, & Synanches nec non omnes colli & gutturis affectus continebat) hic rursus sileo, & ex alià parte in circumferentià. Sigillum Geminorum

Sigillum hoc forsan fuit Arietis.

Sigillum Tauri.

um habet: quod quidem numiſma Cancro, *Sigillum Geminorum.*
ondylomatibus, Ficubus, & Chiragræ doloribus aduerſaturum crediderunt. Sigillum *Sigillum Cancri.*
ancri fiebat dicēdo, &c. quod pectoris, pulmonis, ventriculi, cordis, arteriarum noxis
uxiliaturum ſperabant. Sigillum Leonis *Sigillum Leonis.*
duersùs ſtomachi laterum, dorſi & renum
aſſiones, itemq; ad febres acutas & peracutas commendabant. Sigillum Virginis Colicæ, *Sigillum Virginis.*
ac ventris dolori debellando deſtinatum.
igillum Libræ me præterfugit ſinè dubio *Sigillum Libræ.*
uis opinionibus haud carens. Sigillum *Sigillum Scorpionis.*
corpionis ad Epilepticos, è ventre & veſicà
aborantes, Phthiſicos, neruorum malis obnoxios, nec non Quartanà aut Quotidiana
vexatos parabatur. Numiſma Sagittarij, *Numiſma Sagittarij.*
Dæmoniacis, Arthreticis, Sciaticis, ac febri è
putrida bile contracta laborantibus præſenti *Sigillum Capricorni.*
remedio futurum arbitrabantur. Capricorni charagma formabatur contra Guttam
& rabidi canis ac venenatorum animalium morſus. Sigillum Aquarij aduerſus *Sigillum Aquarij.*
reptilium noxas, oculorum lippitudinem, &
infecti ſanguinis vitia fingebatur. Sigillum *Sigillum Piſcium.*
Piſcium ad Gangrænas, fiſtulas, fœda vlcera,
ſanioſas infirmitates, & Podagram ſub certa
tali inuocatione cuſum quoque parabatur.
Videntur autem hæc ex Theurgia quæ apud *Theurgia.*
veteres ſpurcæ ac illiberalis Magiæ ſpecies

erat,

erat, & Sacrosanctorum nominum bonorumq; Angelorum abusiuis præcationibus perfici solebat promanasse.

Verisimile est ex isthac veterùm de Sigillis traditione moderna illa adhuc passim inter gentes vsitata pullulasse. vndè Iaspidi Scorpionem certà die incîdere solent, quem postea gestatum vt cutem attingat renum calculos attriturum exclusurumq; promittunt. Similiter etiam Andreà Cordubensi & Alberto Magno testibus, magnoperè celebratum memoratur Sigillum istud.

Lapides constellati.

Si in laminâ auri purissimi figura Leonis sculpatur Sole versante in Leone, & Lunâ non aspiciente sextam domum, nec Domino ascendente Saturnum vel Martem Lunaq; ab illis recendente. Valebit eiusmodi Sigillum circa renes gestatum ad sæuissimos eorundem dolores & cruciatus abolendos.

Et si componantur Trochisci ex Puluere selecti Olibani cum hircino sanguine, inprimanturq; in dictà laminà, & siccati soluantur in vino albo, quod à ieiuno bibatur. Mirabilis efficacia erunt aduersus calculos renûm & vesica lapidem.

Eudemus.

Eudemus philosophus contra morbos & fascinationes certos annulos confecit. Et Iosephus suà & Vespasiani Cæsaris præsentià ab Eleazaro Hebræo annulum Dæmoniaco ad-

Iosephus. Hist:

motum, ea operatione dæmonem è nari-s extractum fuiſſe gloriatur. Ad ſanandos ſuper genitalium dolores & ſanguinem co-bendum vetuſtas in cupri lamina Scorpij fi-guram hora Saturni ſurgente tertia facie A-quarij, cum eodem Saturno ſculpere conſue-uit, & aduerſus Podagram Sigillum Piſcium. Sic ad ingenij, memoriæq́ue præſtantiam an-nulum è puro auro fabricabant (prout ex Her-mete colligitur) cui adamas incluſus erat, ſub coniunctione Saturni & Iouis. Pro teſte eſt Ptolemæus lib. de Imaginib. veteribus in mo-re poſitum fuiſſe, aſcendente tertia facie Ca-pricorni imaginem cati murẽ in ore geſtantis ſtanno vel cupro incîdere dicendo: *Ligo omnes mures per hanc imaginem, vt nullus in loco ubi fuerit manere poſſit*, quam quidem imaginem corio inuolutam in medio loci ſepelie-bant.

Annuli Magifica-ti.

Miſera murium profliga-tio.

His deliramentis innixa prior ætas cum ſe-ſe maximè ſapere putaret, immenſum deſipe-re deprehenſa eſt. Vtinam etiam Sigillum ali-quod ad vanas eiuſmodi doctrinas abolendas, & animi ad Magiam declinantis temulentiam fugandam concinnaſſet, aut imaginem ad il-luſtrationem viſus mentis ad veritatem cęcu-tientis efformaſſet, cum ſemet non quî dece-pta ſit, ſed ne deceptam quidem agnouerit. Etenim quis quæſo Medicinæ adeò imperitus

Sanguis hircinus.

exiſtit, vt qui hircinum ſanguinem iam multis ſæculis ad renum & veſicæ calculos comminuendos, atterendos excludendosq́; etiam ſine vllius figuræ Leonis impreſſione maximoperè celebratum ignoret? Quis itidem Iaſpidem, aut lapidem Nephriticum eius quandam ſpeciem, ſui geſtatione (licet nullus vel Draco, vel Scorpius eidem incidatur) non agnoſcit? Sic omnis boni oſor cacodæmon vbique veritati mendacium aſtruere conatur, & quod res quædam per ſe vera prȩſtat, id ipſe ſibi ſuisque nugationibus vult adſcribi, ac in ſuam rem quæ non ipſi ſed veritati quæ à Deo procedit, & rebus quibuſcunq́; peculari dote inſita eſt debetur, transferre ſtudet.

Iaſpis & lapis Nephriticus.

Phyſica ligatura.

De phyſicis verò ligaturis, extirpatione maleficiorum ac experimentis aduerſus dæmones & faſcinationes quàm quæſo abſurda, ſtupenda imò ipſi rationi aduerſa leguntur? vtpotè de *Nuce venefica* in duas partes diuidenda, de *Glande aut Fabâ*, nec non alijs ad thori veneficia expurganda modis? Nexus enim concubantium multis ac diuerſis maleficiorum ritibus olim abſoluebatur, & ligatura concubitum impediri poſſe norunt ij, qui à maleficis artibus damna ſenſere. Proinde id ſortilegij vel veneficij genus D. Auguſtinus, ſuo ſæculo frequens extitiſſe conqueritur, de quo poëta Platonicus.

Necte tribus nodis trinos Amarylli colores,
Necte Amarylli modo, & Veneris die vincu-
la necto.

Præclarum ſanè artis opificium, quod (vt Villanouanus docet) permicto annulo pronubo euaneſcit, neq; enim (ſi tamen remedio fides habenda) alijs alexiterijs quàm ſordibus euinci merentur, vt quibus illudere cupit diabolus ab iiſdem illudatur & ipſe. Alia tamen æquè ſuperſtitioſa recenſent alij de verbis in paropſide ſeu patina ad quatuor eius partes adſcriptis *Auis grauis*, *ſeps*, *ſipa*, ac de Euangelio S. Ioannis, nec non de infante virgine die Veneris, Sabathi vel Dominico ſanctiſſimam Virginem Deiparam ante Rubum hora Solis ſalutante, deque alijs Exorciſmorum ac Expiationum ritibus, quibus priſcorum aliqui plus fidei adhibentes ſemetipſos in has offuciarum foueas præcipitarũt, vt cum ſeſe maximè pietati deditos arbitrarentur omnium maximè impij meritô iudicati ſint, nã ea quæ Deo cælitibusq; ſacra ſunt, profano vſu non cõtaminari debent. Veruntamẽ diaboli aſtutia ſępius pietatis tegumento velatur, vndè is Chriſtum in deſerto tentans, argumẽtis è ſacra ſcriptura petitis callidè vſus eſt. Verùm de his S. Mater Ecclesia Catholica columna veritatis, ea quæ decernenda eſſe à Spiritu S. eſt edocta decreuit, neque in hoc foro tanquàm ad Medicum

Illuſio Diaboli.

Tentator Diabolus.

non ſpectantia occurrunt ventilanda. Eos itaque qui ſacra profanis & profana ſacris, ſumma imis imaque ſummis miſcere ac confundere ſolent, hîc taxaſſe ſufficiat.

Conſimiles nugas, Exorciſmos & ſtellarum adoptiuas vires magico quodam charactere gemmis, lapidibus, cryſtallis ac Gammahuijs hominum impietas quondam inſculpſit, quas quidẽ ſculpturas vix aliud quid quàm diaboli quoddam chirographum eſſe arbitramur.

Gammahuii, ac lapidum cælatura.

Perplures inſuper dæmonis fraudes præter iam enumeratas cognoſcere licet ex ijs quæ nobis pateſcunt per acus mortuorum, per iudicum ſceptra, per dentes ac vſneas humanæ caluariæ, per linteum â defuncti ſindone reſectum, per patibuli mumiam, per carnificum vincula ac ferramenta, per pannum mẽſtruatæ, per incantationes excantationesq́; ac varia piamenta, imò cruenta ſacrificia executioni mandari ſolita, eò quod ſanguis humanus (prout apud Homerum de Elpenoris anima colligitur) dæmonis philtrum eſſe putaretur præſertim verò menſtruus, quem veteres inſignis amentiæ ſtimulis agitatos, non ſolùm immolaſſe, ſed etiam potitaſſe eique Deam quandam Fluoniam dictam præfeciſſe conſtat.

Supellex ſuperſtitioſorum.

Sanguis humanus Dæmonis philtrum.
Sanguis mẽſtruus.

Permagnam autem & grauem cùm vim, tum malitiam huic ſanguini ineſſe tota nouit morta-

mortalitas, testaturque Plinius lib. 7. cap. 15. nihil magis esse monstrificum muliebri profluuio. *Acescunt enim* (ait) *eius superuentu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorûm germina, fructus arborûm quibus insedêre decidunt, speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri perstringitur, eborisq; nitor, aluei apûm emoriuntur, as etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorq; dirus aëra: in rabiem aguntur gustato eo canes, atq; insanabili veneno morsus inficitur. Quin & bituminûm sequax alioquin & lenta natura, in lacu Iudea qui vocatur Asphaltides, certo tempore anni supernatans, nequit sibi auelli, ad omnem contactum adhærens præterquam filo quod tale virus infecerit.*

Sanguinis menstrui noxa.

Lacus Iudææ Asphaltides.

Hoc itaque vt & alijs compluribus diaboli instrumentis maleficiorûm architecti vsi sunt, quorum innumeras nugas & vana somnia recensendo, tempus terere istisque obscænitatibus modestum lectorem fatigare, non indecorum modo sed etiam inutile duximus.

CAPVT XXII.

Medicina luget, se vitæ prolongatricem, vanis oblocutionûm portentis ac si inanis operæ existeret ludificari.

TAndem etiam mortis necessitatem inculcant pseudoli, ideò quod corpus nostrũ ex diuersis & inter se discrepantibus ac perpetuo conflictu pugnantibus elementis eorumque discordi concordia sit constitutum, vndè non nisi mors, ac interitus expectandus, dicente Biante Philosopho mortem non vocatam vltrò veturam, cæterisque Philosophis assentientibus, qui naturam nobis vitæ solummodo, tanquam pecuniæ vsuram dedisse, nec nobis certum in hâc vitâ habitandi locum, sed tantillum commorandi diuersorium concessum esse.

Bias philosophus.

Nempe omnes sine delectu iuuenesq; senesq;
Intereunt, moriturq; immensa potẽtia Regũ.

Cum enim humidum radicale non aliter quam lampas quamdiu huius pabulũ prostat ac superest, continuo effluxu absumatur; fit vt corpus eius succo destitutũ, nec hoc benigno

ac vi-

vitali rore rigatum, tandem arescat & expi-
t: hinc cum nobis innata sit ipsa interitus
ecessitas, nemini non obuia, linguas acuunt
aleuoli, Medicinæ obloquentes, obtruden-
esque illud Poetæ.

——— *Neq; enim gloria nobis*
Non aurum, non diuitiæ, non celsa potestas
Non quæ istis melior sapientia prorogat annos
Lex & conditio moriendi est omnibus vna.

Obijciunt etiam illud Virgil. 1. Æneid.

——— *Veniet lustris labentibus ætas.*

& illud Horatij lib. 2. Ode. 12. inquientis. Eheu fugaces Posthume, Posthume labuntur anni, hinc Ouid.

Tempora labuntur tacitisq; senescimus annis

prout Lucret. lib. 1. innuit his verbis.

Et quasi longinquo fluere omnia cernimus æuo.

cum vetustas omnia corrumpere soleat, nihilque sit quod non temporis longinquitate perimatur, vndè idem Lucr.

Cuncta senescunt.

Deniq; non lapides quoque vinci cernimus æuo?
Non altas turres ruere? & putrescere saxa?
Non delubra Deûm? simulachraq; fessa fatisci,
Deniq; non momenta virum, dilapsa videmus?

Et Homerus in Iliadibus.

Non potuit Parcam quisquam vitare viro-
rum,
Fortis vel timidus, cum visit luminis auras.

Lamentatur Martialis vitæ nostræ decessum ac effluxum sic describens.

Iam nostri benè computentur anni,
Et quantûm tetrica tulêre febres:
Aut languor grauis, aut mali dolores,
A vita meliore separentur:
Infantes sumus & senes videmur.

Thraces. Hinc non immeritò Thraces ac finitimi populi auctore Valer. Max. in infantium natalitijs conuocatis consanguineis, quantum miseriarum eis transeundum restaret, deplorabant, exequias verò cum hilaritate celebrabant. Miseriam hanc notans Luc. sic eam carmine descripsit.

Lucret.

Tum porro puer vt sauis proiectus ab vndis
Nauita nudus humi iacet infans, indigus o-
mni
Vitali auxilio, cum primùm in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profundit,
Vagituq. locum lugubri complet vt aquum
est,
Cui tantum in vita restet transire laborum.

etenim cum quę nos ambiunt, nunquam non insidientur, & quæ intra nos clausa continemus sæpius perniciem minari soleant, fit vt maxi-

maxima vitæ nostræ pars, calamitoso decursu in tristem ærumnam desinat, foris namq; labores, domi premunt angustiæ, & quæ nos extra fatigant curæ, intra afficiunt sollicitudines, nec nobis in negotio sine periculo versandi nec in otio cum dignitate consenescendi datur facultas. Sic igitur.

Currimus in fatum, tacitisq; recedimus annis, *Ætas flexilis.*
Mortuaq; ætatis pars est iam maxima nostra,
Pallida præteriti spatium mors occupat æui,
Quod superest expectat hians.

Egregiè simul ac accuratè Poëta quidam de verbo HODIE scribens rem hanc ac vitæ vel ætatis nostræ statum ac conditionem hoc disticho est complexus.

Sæpè rogas quot habes annos: respondeo nullos
Quomodo? quos habeo, Pontice non habeo.

Hinc proteruum hominum genus quoddam, voluptati vitam dicandam censuit, ac si morte omnia finirentur, vndè Eccl. 2. malum inière consilium. *Venite ergò & fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis.* Vnde Poëta.

Vtendum est ætate cito pede labitur ætas,
Nec bona tã sequitur, quã bona prima fuit.

igitur Martialis carmine desperabundi quasi vtuntur cum inquiunt:

Viue velut rapto, fugitiuaq; gaudia carpe
Perdiderit nullum vita reuersa diem.

est enim vita hominis valdè incõstans & præsentibus semper periculis exposita, cum vt Plautus ait nihil homini sit perpetuum datũ.

Ouid. *Ludit in humanis diuina potentia rebus,*
Et certam præsens vix habet hora fidem.

neque est quidquam, vt Seneca ait ex omni parte beatum, etenim *prima pars æui sese nescit, media curis obruitur, vltima molesta senectute premitur, & iuuentâ nihil est fugacius, quæ vbi semel auolarit nunquam redit*, etenim

Virgil. *Optima quæq; dies, miseris mortalibus æui*
Prima fugit: subeunt morbi, tristisq; senectus.

atque hæc nulla arte nullo auxilio retardari potest prout aduersarij arbitrantur adferentes illud Senecæ,

Nemo tam Diuos habuit fauentes,
Crastinum vt polliceri sibi posset.

Vnde Horat.

Quis scit an adijcient hodiernæ crastina vitæ
Tempora Dij superæ?

cum hæc sit hominis conditio, vt quam citò in lucem exeat, moriturus existat, etenim vel Hippocratis testimonio, primus vitæ dies calidissimus & humidissimus existit, ideoque viuacissi-

[p]acissimus, à quo gradu, continuo postmodũ [d]fluuio eoque perenni confestim deflectit ac [d]eclinat, iam iam enim mors quæ summis æ[q]uat infima,

Imminet & tacito clam venit illa pede Tibullus.

[E]t vita humana similis est ferro, quod si exerceas atteritur, si non exerceas rubigine con[s]umitur. Vndè

Stat sua cuiq; dies breue & irreparabile tempus Virgil.

Omnibus est vita.

etenim

Et pace & bello, cunctis stat terminus aui Sil. Ital.

cum fata cunctos maneant, & impossibile sit his reluctari, imò ridiculum plane videri si quis se fatis opposuerit, vnde Medicinam hoc loci nihil planè posse contendunt, quorum calumniam supra capite primo nonnihil repressimus donec nobis hic locus, hæcque fusius de his differendi occasio obtingeret.

Hâc igitur opinione putatiua, obstreperi hi susurrones, Medicinam ideò quod vitam immortalem præstare non possit, nihili faciẽdam sunt arbitrati, atque sic ridiculè tam præclarè arti fraudulenter quandoque illudunt, his quandoque versibus vsi Susurrones.

Nos vitam, & causas viuendi adscribimus arti
Aut Medicis, famulisq;, aut ipsis sæpè propinquis
Obliti quod certus & immutabilis ordo est,

Rerum,

Rerûm, quod præscripta homini sunt tempo-
ra vitæ
Quæ fas corripere fas est producere nulli
Seu iuuenis moritur, seu magno vir pius æuo.

Galeni de vita prorogãda opinio.

Infringit horum hominum opinionem nixa rationibus firmis Galeni sententia, 6. de Sanit. Tuenda scribentis, eos qui salubrem viuẽdi rationem ignorant, hos citiùs quam pro naturæ lege interire: multi enim vel non obseruata victus ratione, aut viuendi methodo conuenienti, vel neglectis artis Medicæ præsidijs, vitæ suæ terminos breuiores reddunt, cum hac ratione his ipsis demant ac detrahãt, imò eos ipsos quandoque supprimant, qui alioquîn inculpata valetudine frui, ac à natura, præscriptos vitæ limites æquare potuissent. Atque hi quidem neglectis Medicinæ Theorematis, afflictam, ac morbis pressam vitam degentes, obitus sui præmaturam ruinam sibimet struxerunt. Proindè idem Galenus ne præproperè animal senescat sed iuuentæ tenorem quam longissimè seruet, complura præcepta fideliter tradidit, & Hippoc. diutinæ sanitatis conseruandæ, imò & vitæ prorogandæ documenta promulgans, *benè se habendũ ad labores, cibis vero corpus non satiandum, atq; insuper seminis substantiam conseruandam esse* docuit. Hinc qui valetudinis suæ curam nullam gerunt, sed vel crapula, vel luxu & luxu-

Hippocrates.

ria aut

aut libidine, vel alio quouis enormi exces-
, corpora sua fatigant, in miserrimas calami-
tum, dolorum, morborumque ærumnas, ac
ęmaturas mortes, properanter incidere no-
uimus, quorum vitam ars alioquin Medica
utius auxiliante DEO produxisset, quæ cru-
tates dil genter cauere monet, vt videre est
pud Galen. lib. de Cib. Bon. & Mal. Succ. ete-
im cruditates, & ex his emergentes morbi,
lures occidunt, quam gladio perimuntur.
Hac de causa Eccles. 37. legitur. *Propter crapu-
am multi obierunt, qui autem abstinens est ad-
ciet vitam*, vbi idem Eccles. paulò antè mo-
uerat. *Noli auidus esse in omni epulatione, &
on te effundas super omnem escam, in multis e-
im escis erit infirmitas.* Hinc Iosephus lib. 2.
e Bello Iudaico cap. 7. scribit Essenos longis-
imæ esse vitæ, ita vt plurimi eorum vsque ad
entenariam ætatem perueniant, propter vi-
am benè ordinatam, & victus simplicitatem,
estatur enim solum panem & vnicum pul-
mentum singulis apponi. Igitur illi qui Medi-
cæ arti obloquitur, & vitæ suæ breuitatem in-
onti huic scientiæ ac arti vel imputare, vel ir-
rogare conatur, quam ipse sibi per propria
peccata consciuit, obtrudatur illud Ouidij 1.
Fast.

Ecclesiasticus.

Esseni longaeui & quare.

Nequitia est quæ te non finit esse senem.

Hinc Martialis Epigr. 87. in Parthenopæum

Parthenopaeus ager.

ægrum

ægrum inuectus, quod Diætam non seruare[t]
sic scripsit,

Leniat vt fauces Medicus quas aspera ve[xat,]
Assidua tussis Parthenopæe tibi.
Mella dari nucleosq́; iubet, dulcesq́; placen[tas,]
Et quidquid pueros non sinit esse truces.
At tu non cessas totis tussire diebus:
Non est hæc tussis Parthenopæe gula est.

Vides quam diutinam vitam hi egerint, qu[i]
bona victus ratione (quæ pars est Medicinæ)
ac abstinentia vsi, varios victus errores ac pec-
cata declinarunt, etenim Ioannes de Tempo-
ribus 361. annos vixit, de quo Mantuanus i[n]
Alphonso. Sanctus Ioannes Apostolus po[st]
gloriosam ascensionem Domini nostri IESV
Christi 68. annos vixit. Sanctus Simeon cum
martyrio afficeretur 120. annorum erat, &
Sanctum Iacobum minorem ieiunijs & ora-
tionibus continuò vacantem, ac carne & vin[o]
abstinentem ad 96. annorum terminum æta[s]
prouexit. Herodicus Philosophus, Aristoteli[s]
(vt in Prolem eiusdē habetur) testimonio, de-
bilem alioquin à natura corporis cōstitutio-
nem nactus, Diætæ beneficio cū Tabidus pu-
taretur, centesimum attigisse dicitur. Memi-
nit huius Plato lib. 3. de Rep. Galenus verò lib.
de Marasmo & lib. de Sanit. Tuend. refert su[o]

Ioannes de Temporib.

S. Ioannes Apost. & Euangelista.

S. Simeon.

Herodicus Philosophus.

quo-

quodam tempore Philosophum quendam extitisse qui cum ad octoagesimum ætatis annũ peruenisset, vt ei non nisi ossa & cutis superesset, eò tamen vitę metas direxisse, ac proba victus ratione moderasse, vt non vllo dolore afflictus, lentissima tandẽ tabe confectus fuerit.

Fatetur idem Galen. 5. de Sanit. Tu: eos qui sensibus illæsi, sano ortu in hanc lucem enati fuerint, Diæteticæ artis beneficio, ab omni morbo alienos, ac à dolorib. liberos, ad summam senectutẽ peruenire posse, qui de seipso hæc scribit. *Ego vero tametsi nec salubrem corporis statum ab ipso ortu sim nactus, nec vitam planè liberam egerim, hac tamen ipsa arte vsus, post 28. ætatis annum, ne minimo laboraui morbo, nisi fortè diaria febre, ob lassitudinẽ aliquando contracta.* Vixit autem annos 140.

Gal. ni ætas.

Samius ille senex ad centesimum decimum septimum annum vitam suam produxit integer, nulla vnquam (vt Gal. refert) à quinquagesimo ætatis anno aduersa valetudine tentatus.

Samius senex.

Certè Hippocrates noster Cous, quem modestissimè vixisse constat 104. annos ad minus attigit, cum alij eundem 169. annis vixisse referant. Vide quam diutinam vitam hi egerint, qui bona victus ratione, ac abstinentia vsi, varios victus errores ac peccata declinarũt. Sanctus enim Ioannes Apostolus post ascensionẽ Domini

Hippocrates.

S. Ioannes.

Domini nostri IESV CHRISTI, 68. anno vixit, de cuius obitu vel potius in aliud sæculum transitu nobis nihil certi constat, quem DEVM vt dilectum discipulum tantisper forsan transtulit, vt maneat donec ipse veniat. Dionysius Areopagita 100. annos aut plures attigit, Sanctus Simeon cum martyrio afficeretur 120. annorum erat, & Sanctum Iacobum Minorem, ieiunijs ac orationibus continuè vacantem, ac carne & vino abstinentem, ad 96. annorum terminum ætas prouexit, Ioannes verò de Temporibus 361. annos vixit de quo Mant. in Alphonso. Herodicus Philosophus Aristotelis (vt in Problem. eiusdem habetur) testimonio, debilem alioquin à natura corporis constitutionem nactus, Diætæ beneficio cum rabidus putaretur, centesimum attigisse scribitur, meminit huius Plato libr. de Rep. Galenus verò lib. de marasmo & libr. de Sanit. Tuenda, refert suo quodam tempore, Philosophum quendam extitisse, qui cum ad octoagesimum annum peruenisset, vt ei non nisi ossa & cutis superessent, eo tamen vitæ metas direxisse, ac proba victus ratione moderasse, vt non vllo dolore afflictus lentissima tandem tabe confectus fuerit. Fatetur, idem Galen. 5. de San. Tuend: eos qui sensibus illæsi, sano ortu in hanc lucem enati fuerint, Diæteticæ Medicinæ beneficio, ab omni morbo alienos,

Dionysius Areopagita, & S. Simeon. S. Iacobus Apost.

Ioan. de Tempor.

Galenus.

alienos, ac à doloribus liberos, ad ſummam senectutem peruenire poſſe, qui de ſeipſo hæc ſcribit. *Ego vero tametſi nec ſalubrem corporis ſtatum ab ipſo ortu ſim nactus, nec vitam planè liberam egerim, hâc tamen ipsâ arte vſus, poſt 28. ætatis annum, ne minimo laboraui morbo, niſi fortè Diaria febri, ob laſſitudinem aliquando contracta.* Vixit autem annos 140. Samius ille ſenex ad centeſimum decimum ſeptimū annum vitam ſuam produxit integer, nulla vnquam, vt Galenus refert à quinquageſimo ætatis anno aduerſa valetudine tentatus. Certè Hippocrates noſter Cous quem modeſtiſſimè vixiſſe conſtat 104. annos ad minus attigit cum alij eundem 169. annis vixiſſe arbitrentur.

Samius ſenex.

Vixerunt longas ætates Monachi, Anachoretæ, Epiſcopi, Eremitæ, abſtinentiæ dediti cuius beneficio magnas ac multas viuendi metas ſuperarunt. Etenim Dorotheus Præſul Antiochenus 119. Theremon Eremita 100. Simon Cleophæ Hieroſolymitanus Epiſcopus, 120. Paulus primus Eremita 113. Paconius Abbas 110. Proſdocimus Epiſcopus, 114. Cronius Anachoreta 155. Patricius Secundus Niuernēſis Epiſcopus 122. & Hugo ſucceſſor S. Bernhardi 117. annos æquauit.

Monachi & Eremitæ.

Anachoretæ, & Epiſcopi.

Ceſſent itaque reclamare maledici, Medicinam vitam tutari, protrahere, ac prolongare men-

Medicina vitam tuetur variè modè.

re mentientes, hæc enim his ipsis testimonijs corpus agile ac alacre vegetumque reddere, vigorem sensibus præstare, causas & origines morborum rescindere, memoriam verò præ cæteris conseruare, animales facultates, ac ingenij vires tueri, sapientiã alere, ac mortem tandem suauem sine dolore præstare his ipsis exemplis demonstratur.

Philosophi.

Progrediamur autem vlterius ad philosophos quos longos dies vixisse cõstat sola Diætetica parte Medicinæ contentos ac modestiæ addictos, vnde Carneades 100. Apollonius Thyanæus 180. Gorgias Leontinus 107. Xenophilus Chalcidiensis 105. Democritus 309. annos vixit de quo dici queat.

Et quem fama refert hyemes vidisse trecentas.

Seneca Cordubensis 114. Epimenides Gnosius 157. Pictoreus Ætolus 300. annos attigit, hunc autem annorum numerum æquasse legitur Arganthon Turesiorum Rex, de quo Sylius lib. 3.

Arganthon.

Arganthoniacos armat Carteia nepotes,
Rex proauis fuit humani ditissimus æui,
Ter denos decies emensus belliger annos.

De eodem Mantuanus in Alphonso.

Et vetus ille auri diues ditissimus æui,
Hesperiis quondam Rex Arganthonius oris

Sim-

Simplex ex ſimplici caſu valetudo ſuboritur, multos enim morbos multa fercula fecerunt, etenim *in multis eſcis non deerit infirmitas*, nam *vbi vber, ibi tuber*, vndè intemperiebus abſtinere naturalis eſt morborûm obex, quæ quidem abſtinentia Plutarcho teſte longum cultori ſuo prorogat æuum, cum ſupplicia plurima eaque iuſtiſſima à natura ipſa luxuriæ ſint ſtatuta, vndè doctiſſimus Fernelius Luem veneream tantoperè ægros excarnificantem *miſerabile ſcoriatorum flagellum* rectiſſimè dixit. Quod ſi pomum id vetitum Adam non comediſſet, mors non intraſſet in mundum, vnde illud Sac. Script. *Patres noſtri comederunt vuam acerbam & dentes filiorûm obſtupeſcunt.*

Obex morborum.

Itaque Philoſophi ſolius fere Diætæ beneficio, cum tamen Diætetica vna tantum ſit Medicinæ pars ad tanta vitæ ſuę culmina peruenerunt, quid ſi ijs remedijs interea repertis, ac ex orbe conuectis gaudere potuiſſent, quibus iam abundanter vtimur, terminos vitæ ſuæ multo plus amplificaſſent? Sanè abſtinens fuit Sibylla Cumana cui diuturnam vitam adſcribit Ouid. quam ſic loquentem introducit.

Diætetica pars Medicinæ.

Sibylla Cumana.

——Nam iam mihi ſæcula ſeptem
Acta vides: ſupereſt vt numeros æquem,

Tercentûm messes, tercenta musta videre.
Tempus erit cum de tanto me corpore paruam;
Longa dies faciet, consumptaq; membra senectâ
Ad minimum redigentur onus, nec amata videbor.

De ea Statius lib. I.

——— Tu Troica dignus
Sacula & Euboici transcendere pulueris annos,

innuens prædictam Sibyllam annos tot ab Apolline petijsse, quot ipsa pulueris grana manu comprehendere posset, qua de re alibi idem Statius.

——— Vel quantos ego Deli poposci

Nestor. Forsan & Nestor. 300. annos attigit. eum enim hæc nostra sæcula, magnum ætatis gradum conscendisse, optatu suo vulgari, quo longæuitatem cuiquam Nestoreorum annorum precari consueuerunt testantur, de eius ætate sic Iuuenalis Satyr. 10.

Rex Pilius magno si quidquam credis Homero,
Exemplum vita fuit à Cornice secunda.
Felix heu nimium qui per tot sacula mortem.
Distulit atq; suos iam dextra computat annos.

Intel-

Intelligitur autem ex his carminibus ſa-s quidem obſcuris, eum Cornicis æta-em æquaſſe, quæ 300. annos viuere cre-itur, vndè ſic apud Eraſmum ſcribit He-ſiodus

Ter tria ſæcla hominis tranſmittit garrula Cornix

de huius ætate ſeu potius ſenectute idem plu-ra, & vix credibilia recenſet, humanam enim vitam 96. annorum ipſa longè ſuperat:

Cornix.

Ter binos decieſque nouem ſuperexit in annos

Iuſta ſeneſcentûm quos implet vita dierûm,

Hos nouies ſuperat viuendo garrula Cornix.

Noſtro porrò æuo Aloyſius Cornarus cum ad ætatis ſuæ 40. infirmam valetudinem duxiſſet Diætam inſtituens probam, & exquiſitam, ſeu exactam, tandem ad nonaginta ſeptem annos prouectus fuit, cum centenos ſibi Diæteticæ artis beneficio, ac diligēti cultu promiſiſſet. Idcircò licet certi nobis vitæ termini ſint ſtatuti, cum nobis ſit connata moriendi neceſſitas, quam non quiſquā eliminauerit, plurimi tamen victus intemperantia, quomodolibet perpetrata, immaturæ morti fiunt obnoxij, qui proprios vitæ terminos vi-

Aloyſius Cornarus.

uendi constitutos vix attingunt nedum transgrediuntur.

Et etiamsi morbis obnoxius, ac ijsdem penitùs implicatus, remediorum vsu, liber euaserit, non tamen in immortalitatem assertus esse putetur, sed quod Medicinæ beneficio longius vixerit, qui citiùs vi ægrimoniæ mori vel potuisset, vel debuisset, atque ab infirmitate vindicatus propterea vlteriorem vitæ terminum non acquirit, sed iuuatur in tantum, vt eum qui sibi præfixus est vitæ terminū, ne præpropere intereat ope Medica consequatur & attingat. Nemo enim à morbo liberatus nouum acquirit vitæ principium, aut noua vitæ rudimenta, vel fundamenta,

Immortalitas hominibus non concessa.

Nec est in Medico semper releuetur vt æger
Interdum docta plus valet arte malum.

Vita igitur hominis per pharmaca Medicæ pietatis saluatur ac protrahitur, & à violenta peremptione subuerti aut aboleri prohibetur, cum ij qui intemperanter viuentes, calorem natiuum in quo vita sita est obruant, humidum radicale supprimentes, quando elementorum corpus nostrum constituentium Symmetriam & Crasin subuertunt proprij temperamenti latitudinem & Idiosyncrisiam, certa mensura ac pondere constantem in rui-

Idiosyncrisia.

in ruinam agentes, ac non modo hallucinari vel titubare imò penitùs labaſci ac corruere facientes. Itaque temperanter ac modeſtè ſeſe gerentes, morborum cauſas, vel cauent, vel declinant, ac ſubſtantiæ vitalis effluuium cohibent, reſtringunt, vires reficiunt, & ſi quæ corporis afflictiones adſunt, tempeſtiuè remouent. Ex quibus omnibus patet Medicinam non inanem eſſe, nec præcepta eius vt futilia contemnenda, ſed pro conſeruanda ac reparanda valetudine, quæ vitæ quædam eſt ſemita, ijs ipſis ſtudioſè incumbendum, cæteris maleuolis citiùs ſuam in necem ac propria pericula abeuntibus.

CAPVT XXIII.

Medicina luget, Medicis, ſuis cultoribus ac fidis ſamulis propriam perſæpè inualetudinem obijci.

OBijciunt porro ij ipſi qui Medicam opem ſæpiſſimè ſenſerunt, proprijs ſuis Medicis inualetudinem ſuam, ac priuati ſui corporis noxas, crebrò illud inſuſſurantes, *Medice cura teipſum.* Imò aliquando quoque ridiculè illos

illos taliter taxantes excipiunt, cum inquiunt, *Medice curua teipsum*, ac si Medicus non æquè bene homo esset, quam alius sibi vel affinis, vel propinquus, communem mortis necessitatem cunctis hominibus congenitam à prima sua compage nactus, elementis continuo prælio inter se pugnantibus, ac effluente calore natiuo in quo vita residet, indies dissolubili, vt cæteri mortales præditus.

Hanc vt calumniam refutemus, obseruandum est tria in & circa hominem esse consideranda, res nimirùm naturales, non naturales, & res præter naturam. Res autem naturales sunt eæ quæ homini insunt, nempè Elementa, humores, complexiones, temperamenta, &c. Non naturales quia nobis non insunt, sed varimodè corpus alterantes extrinsecus adueniunt sic dici solitæ à quibus, & per quas homo vel in morbos incidit, vel eosdem declinat, in sex classes sunt digestæ, continetur enim in earum censu Aër, Cibus & Potus, Motus & Quies, Somnus & Vigilia, Inanitio & Repletio ac præterea Animi accidentia. Eas quæ præter naturam res sunt, vtpotè Morbus, Causa, & Symptoma hîc præteribimus solummodo res non naturales, de quibus iam modo diximus considerantes, inter quas primo loco occurrit Aër, quem Medicus suis ægris præscribit purum, clarum, temperatum, nebula,

Res Naturales.

Non Naturales.

Sex Res non Naturales.

Res præter Naturã.

Aër.

nebula, fumis, fætore, putredine, ventis, pruina, ac infectione aliqua morbida carentem, cum is ipsemet in Nosocomijs, Xenodochijs, inter fætores Phtisicorum, Lue venerea, aut Peste infectorum, in itinerum periculis, nimbis, niuibus, inundationibus, æstu ac algore viuere, imò stercora, sputa, vrinas, sudoresque odorari, atq; etiam cũ mortuis quandoq; ratione sui officij versari ac viuere cogatur, quẽ quidem Medicum nisi tot millies DEI Omnipotentis misericordia custodiret, præseruaret, ac eriperet, mirum ferè esset vel hac sola ex causa, eum si non perire, saltem sanum viuere posse, cum aer magis sit necessarius, quam vel cibus, vel potus aut vestis.

Dei Misericordia ac prouidentia Medicos custodit.

Cibus porrò Medicorum tametsi bonus, sit & esse soleat, ac Deo dante sanus & laudabilis existat, cibationis tamen eorum tempus vtplurimùm vel interrumpitur, vel aliter multitudine negotiorum aut hominum importunitate perturbatur, vt prandium nonnunquam in cænam transeat, vndè cibos non modo bis, sed etiam sæpius coctos ingerere coguntur. Nunc antè meridiem, iam post meridiem, tum vesperâ fermè aduentante cibantur. Norunt id optimè & quotidiè penè experiuntur Medici in aulis victitantes, aut Castris addicti, hinc ex inordinata tali comestione ac nulla concoctionis debitæ obseruata ratione,

Cibus & Potus Medicorum.

cruditates necessariò exurgere oportet, ci-
bantur quando fastidiunt, porrigitur autem
eis potus inter alia persæpè imò ferè vi infun-
ditur ipsis neutiquam siticulosis, vrgentu
eorum ventres ac nimio sæpè potu ob Re-
gum, Principum & Magnatum sanitates vnc
plerumque haustu ingurgitandas, adeò di-
stenduntur vt nonnunquam crepare videan-
tur; imò ad compotationes persæpè accersiti
& inuitati, in commessationibus totas horas,
easq; cõplures, licet inuiti, consumere cogun-
tur, hinc crapulæ, ebrietates, temulentiæ & ab
intemperantia hac nati morbi proficiscuntur.

Motus & quies.

Motus & quies sic sese habent, Motus ferè
perpetuus, quies autem rara vel intercisa
ac interrupta hinc enim instant itinera il-
linc discursiones, ægrorum in varias partes
distributorum, aut hinc indè longa loco-
rum intercapedine dissitorum visitationes. Et
licet exercitiorûm tria sint ex mente Galeni
præcipua commoda, quæ hæc ipsa consequũ-
tur, & concomitantur, *insiti* nimirũm *caloris*
augmentum, spiritus citatior motus, & solidarũ
partium ex mutuo attritu robur ac firmitudo,
nemo tamen dubitet etiam ex hoc attritu Me-
dicos atteri, qui quasi cotes alios acuendo cõ-
sumuntur. Nescius huius rei est is, qui hæc ne-
scit, vel non obseruat, Medici namq; sunt ho-
mines vt cæteri, omnis alterationis capaces,

Exercitiorum commoditas.

quam

quam ipsi alterando, anteuertere vel præcauere non possunt, cum non vacet quandoq; Medicis suam curare valetudinem neglectis interim proximis. Quieti porro nec domi nec foris quandoque locus.

Somnus integer persæpè non est, coguntur adstare Medici lethaliter decumbentibus aut in graui, præcipitique periculo constitutis, aut quos animi deliquia crebrò exoluunt, vel qui subitaneo aliquo morbo confestim sunt correpti, imò & parturientibus, vbi enixus seu partus periculosa tardaque instat difficultas, vndè totas noctes frugi Medicum suis ægris aduigilare iubet eius officium, in proximi charitate situm. Hinc iuges emergunt vigiliæ, aut maturæ ad Gallicinium expergefactiones, somni interruptiones, & alia his similia. Cum enim Somnus sit *quies & vacatio ab animalibus actionibus, vel animæ delatio secundum naturam, à finibus ad principatum*, vt habetur libr. Definit. Med. is autem homini sit omninô necessarius, & ad collapsarûm viriûm instaurationem admirabili DEI prouidentiâ datus, ideô eundem justa proportione obseruandum meritô ducimus, etenim

Somnus & Vigilia.

Somni definitio.

Quod caret alternâ requie durabile non est.

Ad inanitionem & repletionem pertinent corporis purgatio, venæ sectio, minutio sanguinis

guinis per hyrudines vel cucurbitulas, itemque per ſudores, Diætas tenues, ieiunia, abſtinentias, ac alias cõmodas vacuationes. E contra verò refectiones & apotherapiæ confortantia quælibet omniaque ea, quæ corporis vires rurſus inſtaurare, reficere, atque id quod per labores aut alias occaſiones corpori deceſſit reponere queunt. Horũm autem opportunitates Medicus ob ægros ſuos ſæpè negligere, differre ac non niſi valetudinis ſuæ aliquali diſpendio ſeponere, ac in alîud tempus reijcere vel ſolet, vel ex charitate facit.

Animi accidentia.

Iam verò quoad animi accidentia qualia ſunt gaudium, mæror, lætitia, ira, inuidia, indignatio, cupiditas, metus, excandeſcentia, deſiderium, moleſtia, ſollicitudo, pauor, terror, ærumna, luctus, mœror, verecundia, miſericordia, æmulatio, & his ſimilia quam plurima mentem vel animum ex Zenonis Cittici & Stoicorum ſententia varimodè immutantium, ac nunc in gaudium, ſpem, ac libertatem, nunc in contrarias paſſiones impellentium, diuerſos actus attinet. Obſeruabimus conſcientioſos Medicos, curis, ac ſollicitudinibus propemodum ægrificari, & penè quandoque conſumi, vt proindè meritò Medicorum CVRÆ dicantur, quæ ſub dormientis Medici culcitram collocatæ eundem protinùs ex-

Zeno Citticus.

Cura Medicorum.

nùs expergefaciunt, & integras ſeminoctes dormire non permittunt, vndè vigilijs Medicorum vires non rarò ex parte non minima franguntur, vel ſaltem debilitantur. Somno autem *morbos quoſdam curari Hippoc. libr. de Arte* ſcripſit, qui tamen nimius exiſtere non debet, prout nec vigiliæ, horum autem perplexus eſt vſus apud Medicos, & nulla certa regula, ſed occupationibus, moleſtijs, interruptionibus curiſque diuerſis varimodè confuſa.

Quomodo igitur fieri poſſit, vt rebus his non naturalibus non obſeruatis homo perfectè ſanus viuere poſſit non video, eorum autem cultus & obſeruantia Medicis occaſionaliter ob opera charitatis neceſſariò cæteris pluribus præſtanda denegatur aut perturbationibus varijs infringitur vel hebetatur: Sunt enim Medici Cotes qui alios acuendo conſumi videntur.

Medici cotes.

Non autem ob hęc Chriſtianos turbari Medicos nos oportet, imò Domino DEO ob hos labores ſummas imò infinitas gratias agere decet, quod non modo occaſionem ad bona plurima præſtanda, & charitatis opera magno & multo in cœlis fænore reditura nobis benignè obtulerit, deindè verò quod honeſtas per tales labores facultates, ad familias noſtras ſufficienter & porrigat & adhuc porrexerit,

tertiò

tertiò quod operationes noſtras ipſemet nobis indignis clementer benedicendo aſſiſtat, tum etiam, quod nobis occultos, Diuinæ ſuæ Maieſtatis & Magnificentiæ per Medicamenta reuelet & oſtendat, item curationes noſtras ipſe dirigat regatq;, quod nos in curis conſoletur, in periculis grauiſſimis, quæ per prædicta incurrere poſſemus nos anteeundo aut tutelarem Angelum ſuum nobiſcum in infinitis tot ac tantorum diſcriminum ſcopulis ſanos ſeruet ac protegat, quos honeſta facultate Medica dotauit. Regibus ac Magnatibus charam, honorabilem, & ſummè expetitam, noſque donationûm beneficiorumque ſuorum diſpenſatores & oëconomos, vt fideles ſerui & fidi eſſemus in officio noſtro operatores delegit, ac proximis noſtris cunctiſque mortalibus noſtra ope indigentibus, conſcientiam noſtram conſiderantes, fidelibus conſilijs ſubueniremus, ea quæ nobis concredita ſunt ſanctè diſtribuentes. Ne igitur ob hos labores, tot ac tantos occupationes ac faſtidia prout ſæpè nobis eſſe iniquè videntur, & inter primos motus obueniunt vel occurrunt, contra Dominum DEVM murmuremus vel impatientèr in ijs verſemur, eidem obloquentes ne ſimiles fiamus Iudæis contra Moyſen in Sin murmurantibus.

Dei Opt. Max. beneficia.

Exod.

ntibus ac obstreperis propriam peruicaci-
n ibidem prodentibus.

Et etiamsi Medici proptèr alios, proprias
as quoq; valetudines periculo exponant &
orti, ac vitam suam pro ægris ponant ni-
ilominus tamen ij ipsi qui sese sæpius â mor-
is ope Medica imô ab ipsá morte (accedente
DEI beneficio) liberatos esse agnoscunt &
confitentur, in Medicos eorumq; sanitatem
udicrè linguas suas exerunt, complura in eos
actantes conuitia, cum eos Podagricos, Fe-
brientes, Articulorum, Coli ac Renûm do-
loribus affligi cernunt vel obseruant, imô ijs
insultant, eô quod qui alios in morbis infectis
& contagiosis ipsaque Peste curant, similem
sæpè morbum incurrant, aut ex eo morian-
tur ac obeant Christiani enim & Pestem
& præseruationem â Peste, etiam in Medico
dona DEI esse agnoscunt,

Medici petulanter riduntur.

Quare multum aberrant, qui hunc
morbum putant esse infamem, & ijs tantum
obuenire qui in ira DEI sunt, cum vel San-
cti aliqui ex Peste mortuos fuisse legantur,
Pulchrè proindè Cyprianus, *Mortalitas ista
vt Iudæis & gentibus & Christi hostibus Pe-
stis est, ita DEI seruis salutaris excessus est.*
Vide hac de re Medicorum Ecclesiasticum
Diarium Ioannis Molani Ciuis, & Regij Theo-
logi Louaniensis, Cap. de S. Rocho.

Pestis non est morbus infamis.

Sunt

Sunt quidam ea in opinione, Medicum p vitam ſuam omnibus morbis conflictari on neſque eorum impetus ac ſymptomata ſent re, debere antequam ipſe alijs conſilia præſcri bat vel auxiliari nitatur, vt tantò meliùs tan quam paſſiuus morborum qualitates & con ditiones ipſe prius in proprio ſuo corpore ex pertus, cæteris explicare, eorumque querel tantò fidētius credere ac magis cōmiſerante cū ipſis agere poſſit. Alij porrò in cōtraria ſun opinione, Medicum tota ſua vita nullo mor bo affici debuiſſe, vt omnes eo melius intelli gere, & diſcernere valeat, ſicut enim cuncta animalia armata in lucem hanc prodeunt, ita ſolus homo inermis gignitur, vt cunctorum brutorum armis vti poſſit. Veruntamen hac de re alij decernant, ego iudicio prudentûm hic lubens ſubſcribo.

Etenim

Velle ſuum cuiq; eſt nec voto viuitur vno.

CAPVT

CAPVT XXIV.

Medicina luget, se numeris penè omnibus absolutam, nunc demum ad Arithmeticas supputationes & Geometricas proportiones adigi.

QVantum olîm studij & laboris prisca sæcula in expolienda exornandaque Medicina posuerint, supra pluribus in locis demonstratum est, exceptis ijs fœdis artificibus qui alienas sacræ arti technas moliti, eandem non parum suis nequitijs polluerunt. Nihilominus tamen pars aliqua eorum Medicorum qui illis ipsis temporibus sibi mutuò subsecutis superstes erat, impietatem omnem deuitans, in pio Medicinæ studio colendo ac illustrando perseuerauit ac subsistit. Excepit eorum diligentiam nostrorum quoque temporum selecta quædam & à maleficijs ac impuritate immunis neotericorum quorundam cohors, Medicæ artis nitorem tersum splendidumque conseruare, eiusque vigorem non modo fouere, verùm etiam augere, studiosa semper & sollicita: huius fidis laboribus Me-

Medicina numeris omnibus absoluta.

dicina in extremum exculta fuit, ita vt numeris omnibus absoluta videretur. Interuenit porro numerorũ quædã cõfusio, ac si ea Medicæ arti plurimum seruire posset. Initium autem desumptum à diebus illis Criticis seu Decretorijs, de quibus aliqualiter supra egimus hoc nunc solùm adijcientes, eos falsò imparibus dieb. adscriptos esse, quomodo enim decimus quartus Criticus esse posset, cũ æqualis sit? at aiunt eum ex duobus septenarijs cõponi ideoque imparem esse nominandum, quæro autem cum tertius septenarius vigesimũ primum efficiat, à quo septenario vigesimus vel generetur, vel proficiscatur? cũ æquè ac alter sit Criticus & ęqualis omnino? Veruntamẽ rei huius fundamenta maiora mox patebunt, è quibus vis numeri erui potest, cũ de Octimestri partu qui secundũ quosdam ob numerum lethalis & nõ viuus existit, agetur, cũq; alij de diebus Decretorijs adeò neruosè scripserint, inter quos doctissimus vir D. Doctor Andreas Laurentius ac alij, ideo vlteriori hoc loco disquisitioni hac de re supersedendum esse cogitaui, cumque in superioribus perfunctoriè tamen tantũm de his egerim, nobis verò ad octimestris partus conditionem explicandam sit transeundum, quem quasi suppositìtium, abortiuumque fætum & degenerem ad hæreditates non admittendum esse nonnulli Iuris-

Dies Critici seu Decretorij.

Andreas Laurentius de Crisibus.

periti

eriti sunt arbitrati, admiranda autem sanè penitusq́; stupenda res est octauo mense genitos vitales non esse, vel si viui in lucem prodierint, paulô post interire, memini profectô me rei huius causam â paucis quod sciam exactè traditam, quam altius indagare operæ prætium esse ratus sum, cum mirum in modũ non rarô meipsum aliosq; torserit, etenim tot tamq́; graues auctores id quasi vno ore affirmare, neminem vero interitus huius causam lucidè satis assignare videmus, sic Philo Iudæus libello de Mundo, Sigismundo Galenio interprete, octomestres partus omnino non viuere posse asserit, quod ipsum Haly Abbas, & Abrahamus cõfirmant, prout & Varro sentire visus est, qui vt Censorinus de die Natali testatur in libr. cui titulus est Tubero seu de origine humana octauum mensem à legittimo pariendi tempore penitus excludit, quîn & Guilielmus Budeus in Annotat. supra Pandectas, à quadragesimo die, (*intellige figurationis*) partus immaturos edi scribit ac eorũ quidẽ nonnullos vitales esse, qui proindè ζώσιμοι καὶ βιώσιμοι dicuntur, nonnullos verò non vitales, vt qui quinto sexto & octauo mẽse prodeunt. Vndè nõ immeritò D. Ambr. 39. Epist. ad Horont. ait, *octauo mense interdicta naturali lege pariẽdi cernimus tempora, ac si fortè lethalis necessitas partus claustra laxauerit, periculum*

Auctora.

Philo Iudæus.

Haly Abbas & Abrahamus.

Censorinus.

Budeus.

S. Ambrosius.

culum pariter generantis paratur & pignoris cuius quoque opinionis est Volateranus lib. 4. supra vigesimum Philologiæ. Longum sanè foret si omnium hac in re testimonia enumerare vellem, hoc solum ex aliorum mente promere volui ne me propria ex opinione loqui quispiam arbitretur. Et licet plurimi sint, prout dictum est, qui octauo mense genitos viuere non posse credant, non desunt tamen qui contrariam sententiam tueantur, etenim Aristoteles 7. de Hist. animal. 4. hos in Ægypto viuere atque adolescere posse scribit quin & quibusdam alijs in locis vbi mulieres fertiliores sunt, multosque simul & ferunt facilè, & parturiunt, etiamsi monstrosi sint. Atque is ipse autor in Græcia quoq; nonnullos permanere superstites tradit, quod Albertus Magnus de ijs qui in terra Adekil, Auicenna de ijs qui in Hispania, Plinius lib. 7. de ijs qui in Italia nascuntur confirmat, imò Polybius ac Diocles, Plutarcho lib. de placitis Philosophorum, teste cap. 18. multos quamuis paulò languidius, & Euriphon Gnidus, Censorino de die Natali referente, omnes octauo mense genitos viuere posse opinatus est. Sic Hippon Metapontinus à septimo ad decimum vsque vitalem fœtum edi posse credit, quin & Ioannes Grammaticus octauum mensem omnino esse naturale pariendi tempus opinatur, nec sane

Volateranus.

Cōtrouersia de Octomestri partu.

Aristoteles.

Albertus Magnus & Auicenna.

Plinius

Polybius ac Diocles.

Euriphon Gnidus.

Hippon Metapontinus.

Ioannes Grammaticus.

ne D. Thomas in opuſculo de Fato cap. 38. que ad 46. octomeſtribus vitam denegat, quamuis eorum complures intereant; ad quã ſententiam inclinant Apponenſis differ. 49. & Florent. Tract. 3. cap. 9. ſermone 6. de membris generationis. Marſilius Ficinus in præfat. ad libellum de vita cælitus comparanda, & in Commentarijs in Plotinum: Victor Trincauellius lib. 1. Conſil. 34. & Ioannes Manardus lib. 16. Epiſt. 1. Cardanus ſuper lib. de ſeptim: & octim: partu, Ropertus Olkot in Commẽt. ſuper lib. Sapient lect. 88. & Antonius Muſa Braſauolus in Comment. ſupra quartam ſect. Aphor. 1. compluresque alij quos breuitatis cauſa omitto, vnum hoc ſubiungam quod Plinius lib. 7. Nat. Hiſt. cap. 5. memorat, *Veſtilia inquit C. Hercidij, ac poſtea Pomponij, atq; Orphiti clariſſimorum ciuium coniunx, ex his quatuor partus enixa, Sempronium 7. menſe genuit, Suillum Ruffum vndecimo, Corbulonem ſeptimo, vtrumq; conſulem, & poſtea Cæſoniam Caij principes coniugem octauo.* Itaque in re tam ambigua, certi quid vel ſtatuere, vel definire difficile non modò eſt, ſed & temerarium eſſe videtur. Etenim veteres cum Philoſophos tum etiam Medicos octauum menſem tanquam illegitimum pariendi tempus reieciſſe, eoque editos fœtus viuere nequaquam poſſe arbitratos eſſe, omnium conſtat teſtimonio,

D. Thom. *Nicolaus Florentinus.* *Marſilius Ficinus.* *Victor Trincauellius.* *Manardus.* *Cardanus.* *Rupertus Olkot.* *Antonius Muſa.* *Plinii locus.* *Veteres Philoſophi.*

Gellius. adeò vt & Gellius lib. 3. Noct. Atticar. 16. de Veterum ſententia Octomeſtrem partum *abortionem quandam* eſſe ſtatuerit, & vetuſtiſ- *Hippocrates.* ſimus Hippocrates libr. de Carnibus, octauo menſe genitum nullum vnquam vixiſſe libe- *Plato.* re aſſerere auſus fuerit, ſic vt Plato quoque quemadmodum Tiraquellus refert 5. de Re-pub. cap. 56. nullum aliud legitimum pariendi tempus præter ſeptimum, & decimum men-ſem agnouerit, quod ſi quis vnquam octauo genitus ſuperuixit, (qui tamen fortè falſa ma-tris ſupputatione) octauo genitus credebatur portentoſum id erat, & miraculi ſimile, Deo-rumque adſcribebatur numini, cum Aſclepia- *Aſclepiades.* des ſolas Naxias mulieres Iunonis munere o-ctauo menſe vitales partus edidiſſe memoret. Veruntamen miſſis his, quamuis nonnulli o-ctauo menſe viui in lucem prodierint, eorum tamen vix vllus ſuperuixiſſe viſus eſt, id quod *Hippoc. locus.* notauit Hippocr. in libello de alimento in-quiens, *eſt autem & non eſt Octomeſtris partus*, partum talem eſſe quidem; quia viuus nonnunquam excluditur, non eſſe, quia vita diu perfrui nō poteſt innuens. Doctiſſimos res hæc viros eosq; ſanè plurimos mirum in mo-dum torſit, adeò vt cauſam eius indagantes, in varias opiniones deſcendere coacti fuerint, cum enim firmam ſtabilemque, & quæ certo aliquo demonſtrationis fundamento nite-

retur

retur rationem aſſignare non potuerint, ad probabilia veriſimiliaque deuoluti, varia pro ingenij ſui arbitrio aſtruere non dubitarunt.

Eorum igitur aliqui cauſam huius rei in numeri paritatem, quam infœcundam eſſe voluerunt reiecêre, prout Arithmetici & Pythagorici cuncta in ſpecie figura & numero conſtituentes, alij porrò ſeptem Planetarum influentiæ totum adſcripſerunt, octauum menſem Saturno qui vitæ eſt inimicus tribuentes, alij demum alia atque alia finxerunt, quibus ſeſe abſtruſi huius negotij cauſam reddituros opinabantur, veruntamen rem ipſam altius perpendenti, facilè patebit eos circa corticem duntaxat & exteriora verſatos, nucleum non eruiſſe veramque emphaſin non aſſecutos. Primos itaque Pythagoricos non abs re numeris multa hac in re tribuiſſe opinor, etenim quod octauo menſe, (ſub quo vel mortui vel infirmi moxque interituri partus in lucem eduntur) reiecto, ſeptimeſtrem qui tamen minus maturus videri poſſet, ad vitalem fœtum producendum idoneum eſſe, vel experientia monſtrante crediderint, id nunc in ſeptenarij numeri dignitatem reiecerunt, tum quod

Variæ doctorum virorum de Octomeſtris partus cauſa opiniones.

Pythagorici.

Numeri Septenarij dignitas.

quod is impar esset, ideoque & masculus, & indiuiduus, ideoq́ue principij rationem habens, ex quo cum simili numero impari, par generari possit, tum quòd is ipse à veteribus penè cunctis sacer & venerandus appellari meruerit. Sic Indorum Magi, & sapientissimi Ægyptiorum sacerdotes, septenarium maioris & minoris mundi numerum dixere. Notabile porrò cumprimis id est, quòd Philo Iudæus lib. de mundi opificio notat, eamque septenario prærogatiuam tribuit, solus quod hic neque gignere, nec gigni natus sit; etenim cum ex alijs numeris, qui intra denarium sunt alij gignant & non gignantur vt vnitas, alij gignantur non autem gignant, vt octonarius, alij demûm & gignant & gignantur, vt quaternarius, solus septenarius nec gignit nec gigni potest, vndè diuinitas eius liquet & perfectio, quidquid enim nec gignit, nec gignitur, immotum manet. Sanè Pythagorici septenarium humanæ vitæ vinculum nevumq́; nuncuparunt, & Tullius in somnio Scipionis eundem omnium rerum nodum esse arbitratus est. Numerus hic maximè harmonicus est, & quasi fons pulcherrimus diagrammatis, harmonias enim omnes diatessaron, diapente, diapason, omnes item proportiones Arithmeticam, Geometricam, harmonicam continet, vndè non immeritò Theologi numerum perfe-

Indorum Magi Ægyptiorum sacerdotes.

Mira septenarii numeri conditio.

Tullius.

Veteres Theologi.

erfectionis numerum quietis, ſanctificatio-
is, vltionis, pœnitentiæ, & beatitudinis di-
êre, qua ratione quoq; priſci, felices ter qua-
erque beatos appellaſſe nouimus. Mitto nūc *Linus.*
a quæ Linus antiquiſſimus de ſeptenarij lau-
dibus memoriæ prodidit, mitto quod à pluri-
nis obſeruatum eſt, ſeprem eſſe in orbe mi-
anda, ſapientes veteres ſeptem fuiſſe, eundem
numerum ſeptentriones maiores, minores, in *Exempla*
cœlo facere, cœlum ſeptem cinctum circulis, *ſeptenarii.*
ſeptem ſtellas erraticas, vrſam ſeptem ſtellis
conſtare, Pleiadum choros ex ſeptem ſtellis
abſolutos, ſeptem eſſe quæ conſpiciuntur, ſe-
ptem vocis mutationes, ſeptem Phyſicos &
naturales motus, ſeptem apud Græcos voca-
les, ſeptem ætates, ſeptimam auream ætatem
futuram, ſeptem oſtia Nili, ſeptem metalla,
ſeptem artes liberales, ſeptem in capite ſacra
Palladis arce feneſtræ, ſeptem quæ vna ſibi
muro circumdedit arces, ſeptem humanarum
actionum cauſæ, ſeptem de ſtirpe Homeri
certantes vrbes, marem ſeptimum numero
mira & occulta proprietate ſcrophulas perſa-
nare, fœminam ſeptimam numero, ſua præ-
ſentia partum iuuare, heptaphyllon herbam
venenis reſiſtere. Veruntamen miſſis his ad
ſolidas eaſque efficaces, vtpotè Phyſicas de-
monſtrationes deſcendamus.

Commemorabile eſt, quod obſeruarunt

Philoſophi & Medicl, vitam noſtram ſepte-narijs diſpenſari, ὁ δὲ αἰὼν, (inquit Hippocrate libro περὶ ἀρχῶν,) τοῦ ἀνθρώπου ἐστὶ ἑπταήμερος, id eſt, hominis ætas ſeptenario dierum numero conſtat. Nam & pleriq́ue eorum qui per dies ſeptem nihil quicquam aut edere aut bibere volunt, his ipſis diebus moriuntur, quia & contrahitur ieiunum inteſtinum, & ventriculus diuturna officij vacuitate ſui omnino redditur immemor. Semen quod poſt viri eiaculationem intra ſeptem horarum ſpatium non fuerit in effuſionem relapſum, hæſiſſe in vitam pronunciatur. Septimo poſt conceptionem die, ſpermaticarum omnium partium prima apparent rudimenta, habetq́ue (ait ſummus Dictator) genitura ſeptimo die quæcunq́ue corpus habere par eſt. Septimeſtres partus ζώσιμοι ſunt, non Octimeſtres; ſeptimo poſt partum die iactat reliquias vmbilici. Poſt bis ſeptem incipit ad lucem viſus eius moueri, poſt ſepties ſeptem liberè, iam & pupillas & totam faciem vertit ad motus ſingulos. Septimo menſe dentire incipit. Poſt bis ſeptem ſedet ſine caſus timore, poſt ter ſeptem ſonus eius in verba prorumpit. Poſt quater ſeptem incedit, poſt quinquies ſeptem incipit lac nutricis

Hippocratis locus.

Medici.

Summus Dictator Hippoc.

Infantiũ ætas ſeptenis diuiſa mutationibus.

[p]icis horrescere. Septimo anno dentes [p]ermutat, fitque vt scribit Hippocrates li[b]ello περὶ ἀρχῶν, dentium tertia genera[t]io, à solidioribus alimentis, tunc lo[q]uendi integritas absoluitur, vndè septem apud Græcos vocales. Bis septem annis peractis lucent pubertatis indicia; puellis enim erumpunt menstrua, turgent mammæ, totum corpus libidine titillatur; mares verò τραγίζειν καὶ ἀφροδίζειν, id est, hircire, vocem asperiorem edere & Venerem agnoscere incipiunt, ob natiui caloris ἐκλάμψιες. Post ter septenos firmam aggrediuntur ætatem. Quarto, quinto, & sexto, septenarijs conseruantur vires, eaque ætas virilis & constans dicitur. Septimus septenarius quadratus est. Nonus climactericus & periculosissimus iudicatur; obseruatum enim in multa hominum memoria expertumque est, (vt notat A. Gellius) in senioribus plerisque, hunc vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire aut corporis, morbi aut grauioris, aut vitæ interitus, aut animi ægritudinis. Elegans legitur apud eundem authorem Diui Augusti ad Caium nepotem de anno climacterico congratulatio. *Aue*, inquit, *Cai ocellus iucundissimus*, *quem*

Septem apud Græcos vocales.

Nonus septenarius climactericus est.

Augustus ad Caium.

quem ſemper medius fidius deſidero, cum à me abes, ſed præcipuè diebus talibus qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quẽ vbicunq; hoc die fuiſti ſpero lætum & bene valentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum: nam vt vides, climactera communem ſeniorum omnium tertium & ſexageſimum annum euaſimus. Decimus ſeptenarius qui ſeptuageſimum annum complet, meta creditur viuendi; vt ex ſacris literis colligitur: *Septuaginta anni dies ſunt hominis, hos vltra labor & dolor*; ſunt ergò ſeptenarij omnes & dies, & mẽſes, & anni (quos *hebdomaticos* vocant) maximè cõſiderandi quoniam inſignes in illis mutationes contingunt: propterea monet Ficinus ille Platonicus, vt qui vitam producere cupit, ſeptimo quoque anno Aſtrologum & Medicum conſulat; Aſtrologũ quidem, vt vndè vitæ impendet periculum intelligat; Medicum verò, vt rectam victus rationem præſcribens, aſtrorum minas & vim maleficam effugiat. Ariſtoteles ſeptimo de hiſtoria animal: hoc quaſi eximium ſeptenario tribuit, quod ſingulis ſeptenarijs mutationes maximæ contingunt. Galenus ſanitatis præcepta tradens per ſeptenariorum rationem, ætatum facit diſcrimina. Meritò itaque Pythagorici ſeptenarium rerum omnium principium, Tullius rerum omnium nodum nexumúe

Ficinus Platonicus.

Ariſtoteles de ſeptenario.

Galenus.

amúe (geminam quippe vim habet vincien-
) Medici verò certa experientia persuasi Re-
em inter decretorios dies appellarunt. Pro-
terea Pythagorici & Arithmetici septime-
res partus ideò vitales esse volunt, quod im-
ari & perfectissimo numero constent. Hoc
idetur etiam agnouisse Hippocrates, libro
περὶ ἀρχῶν. Septimestres enim ideò vitales es-
e vult, quod iustum & plenum septimana-
um numerum sint consecuti. Octimestres
erò vitales non esse, quia plenas septimana-
rum decadas non expleuerunt. Quin etiam li-
bro de septimestri partu, *fœtuum conceptus, abortus & partus ijsdem temporibus indicari, quibus & morbos* scriptum reliquit: At impa-
ribus diebus ferè omnes iudicantur morbi,
suntque soli septenarij verè Critici, sed de his
satis.

Septenarius inter numeros Rex.

At verò haud sufficientem, sed magis ap-
parentem quam veram esse Pythagoreorum
opinionem quiuis rem altiùs examinans &
perpendens facilè intelliget, nam & veteres
præter septenarium alijs quoque numeris
multa adscripsisse legimus, vtpotè denario,
quod is numerorum omnium quædam sit
quasi perfectio, eosque omnes in se conti-
neat. Tum verò, quod è directo cum Pythago-
ricis pugnat, octonarium quoque ab antiquis
celebratum legimus, etenim vt Plutarchus in
vita

Denarius numerus perfectionis.

Octonarius.

Plutarch.

vita Thesei memorat, prisci Neptunum, o-
ctauis celebrabant, numerus enim octauus
qui tessara ex pari primus est, & primi qua-
drati geminus propriam repræsentat stabili-
tatem & soliditatem virtutis illius diei quem
ἀσφάλιον, id est, stabilientem dicunt, &
γαιήοχον quod terram coerceat. Sed & his
quoque sepositis numerum ad quantitatem
referri apud Philosophos ideoque per se a-
gendi vim nullam habere constat, licet ra-
tionem numeri quæ veluti forma quædam
est temporis omnia naturæ opera conclu-
dens, cuius Hippocrates mentionem facit
sub finem libri περὶ ἀρχῶν mira nonnunquam
præstare non eam inficias. Solidior mihi A-
strologorum & Genethliacorum videtur
sententia, hi enim siderum ortus & occasus
& reuolutiones, nec non mutationes, quæ i-
psorum influxu & lumine accidunt accura-
tè obseruantes, Septimestris, Octomestris &
Nonimestris partus ad varios iam dictorum
siderum cursus, aspectus & oppositiones re-
ferunt, cuilibet mensi peculiarem Planetam
præesse volentes. Primò equidem Saturnum
frigida siccaque qua præditus est facultate,
calidum humidumque semen retinere, coge-
re, ac coaguli instar densare aiunt, secundò
verò benignissimum Iouem vitali calore in-
cremen-

Numerus actionem non habet.

mentum Embryoni præbere asserunt, in- verò Martem mense tertio calore siccita- que sua membra cuncta disponere. Tum oque Solem insignis suæ caliditatis ope eatus omnes dilatare, venas, arterias, vasa- ue cuncta ampliora reddere docent. Ac uinto quidem mense Venerem decore quo- am venustam artus membraque effigiare, xtoque Mercurium sensuum organa mo- usque instrumenta absoluere, perficere & erpolire tradunt, tandemque septimo Lu- am benefica humiditate neruos quodam- modo nudos fibrarumque spatia adhuc va- ua adipe carneque implere, vterique oscu- um pro facili partu consequendo rigare cre- dunt. Atque his quidem Planetarum dotibus muneribusque exornatus paruulus in lucem si prodierit, vitalis esse quam maximè poterit. Quod si verò vel ob imbecillitatem, vel ob a- liam aliquam causam ex vteri latebris exilire nondum potuerit, & quasi retardatus octauo mense cui Saturnus ille maleficus vitæ nostræ quæ in calido & humido consistit, insidiator atrocissimus præest, fieri nequit quin infans, sub ipsius dominio natus, non funestam eius experiatur tyrannidem, subita præsertim ea accedente mutatione qua ab ima Luna ad su- premum Saturnum præpropero saltu est de- latus, attamē vbi iam dicti aduersarij minas & horridam

Astrologorum de Octomestri partu sententia.

Saturni nequitia.

horridam debacchationem, ſæuamq́ue tru
dandi cupiditatem puellus quaſi metuens,
ctauo ſe menſe, vtero vallatus materno, ta
quam in clauſtro quodam abdiderit, non
rurſus ſecurus in lucem prodire poterit, Iou
amici munifica benignitate, cuncta Satur
maleficia pellente, ſed & ſi diutius in vter
detentus infans decimum vndecimumq́u
menſem attigerit, nihilominus Martis Solisq́
beneficio vitali lucis huius vſura frui poterit
Planetis his cum vitæ noſtræ principijs ana-
logam ſocietatem & cognationem habenti-
bus. Atque hæc eſt Aſtrologorum & Geneth-
liacorum de humani partus temporibus ſen-
tentia, cui aliquis lubentius ſubſcribet & ad-
ſtipulabitur, quo minus firma hæc illorum
argumenta conuelli poſſe viderit, niſi rudis
quiſpiam & rerum Mathematicarum imperi-
tus ſtellarum ſiderumq́ue influxum, quorum
tamen influxui celebriores Philoſophi ma-
iorq́ue Phyſicorum turba plurima tribuere
ſolet pernegare voluerit.

Solis benignitas.

Imprimis autem fieri non poſſe videtur, vt primo & octauo menſi Saturnus in perpetuū præſit, cum quolibet anni tempore, die horaq́ue mulieres & concipiant, & concipere poſſint? Deindè verò cur Plinius naturalis Hiſtoriæ ſuæ lib. 7. cap 5. eos tantum ſeptimo menſe vitales in lucem edi credit, qui aut pridiè po-

Ratio Aſtrologorū examinatur.

ſteroúe

eroúe plenilunij die aut interlunio concepti nt, insuperque quæri posset, cur cerui octa-o mense semper vitales prodeant, vt narrat ristot. 6. de nat. animalium. Mitto quæ do-tissimus Io: Picus Mirandulanus in libro suo uem contra Astrologos edidit firmis solida-um rationum munita præsidijs, doctè & ap-ositè commemorat. Atqui ne fide sua carere ideatur hæc impugnatio, Chalcidium adfe-o fidum Platonis interpretem, qui non Sa urnum modo, verum etiam alia sidera qui-bus mali aliquid ab Astrologis adscribitur ab niuria hac facillimè vindicabit, hic enim stel-as omnes diuinas esse & bonas, nec quidquã mali facere firmiter demonstrat, eo quod in sancto illo & pleno bonitatis loco, malefici nihil esse queat, cumque omnia sidera plena sint cœlestis sapientiæ, minimè conuenit ma-lefici quidquam illis adscribere, tum quoque fas nõ est existimare stellarum earum aliquas bonas esse, aliquas verò malignas, propterea-que beneficia maleficiaque præbere ac ero-gare cum absurdum non immeritò censeri debeat, putare cœlestem substantiam vnâ ea-demque naturâ præditam, eandem in omni-bus stellis non esse, sed plerasque à propria natura degenerare, atqui verò quod nemo sa-næ mentis negauerit, cum non modo cœlum, sed etiam cuncta sidera ætherea planeque di-

Cerui octauo mẽse nascuntur.

Io: Picus Mirandulanus.

Chalcidius.

uina & pura ſubſtantia conſtent, nec concre
tum quidpiam aut contrar js qualitatibus cō
ſtans in ſe contineant (vndè malum in rebu
prouenit) fieri profecto nequit vt eorum ali-
qua mali quid, alia verô boni quid nobis ad-
ferant. Si enim aſtra ex Platonis in Epinomide
ſententia, cui Proclus lib. de anima & dæmone
adſtipulatur cap. 37. ad rerum inferarum per-
fectionem à Deo ter Opt. Max. ordinata ſunt,
qua quęſo ratione perniciem nobis largiri po-
terunt? Et ſi ſidera terram fæcundare, alimo-
niam proferre, viridaria rigare, ſatis fertilita-
tem ſubminiſtrare, beneficoq́ue ſuo & vitali
calore omnia fouere rectè creduntur, intelli-
gi non poteſt, qua ratione ornamenta hæc or-
bis pulcherrima tot illuſtrata Dei dotibus, ad
totius vniuerſi vſum & conſeruationem crea-
ta, vel minimæ noxę labe corpora noſtra pol-
luant, effectrix enim nulla cauſa contraria per
ſe vnquam efficere poteſt omnium Philoſo-
phorum teſtimonio. Quamobrem ſi bona at-
que commoda permulta, aſtra animantibus
cunctis impertiri & conferre ſoleant, vt rectiſ-
ſimè Plato ſentit qua quæſo ratione Saturnus
puellum octauo menſe natum necare, adeoq́;
morte qua vix quidquā peius afficere poterit?
Hinc Auerrhoës eos, qui aſtra corporibus no-
cere exiſtimant aliena credere ab omni Philo-
ſophia veraciter pronunciat, ſed ita certè eſt,

Proclus.

Auerrhoes.

nulla professio cœlo magis inimica aut iniuria, Astrologica vanitate, quæ quidquid in infimis vitio materiæ euenit, præter naturã præterque ordinem id totum sideribus imputat, nec putat saluam esse suam dignitatem, si non illis indignissima quæque accepta referantur, clades, incendia, pestes, desperatæ messes, arborûm, frugûm, vitiûm, armentorum, apum infelices prouentus, defectus & corruptiones oleæ, nucum glandiferarumque arborum sterilitates, bella, alluuiones, quo quid absurdius dici possit non video. Audiamus Aristotelem qui lib. I. Metaphys. capite decimo ex Agyrophilo & Bessarione in his quæ sempiterna sunt atque ætherea neque malum neque errorem aut corruptionem inueniri conceptis verbis testatur, de quibus omnibus Marsilius Ficinus & Plotinus Platonis interpres, & Chalcidius super Timæum fusius disserunt. Verior sanè mihi ac probabilior longè videtur Geometrarum partus causam ad conformationis, & motus proportionem referentium opinio, hi enim duplicem conformationis ad motum, & triplicem motus ad partum proportionem statuunt, quam si puellus obseruet, vitalis in lucem prodire poterit. Septimestris igitur infans ex horum sententia vitalis ideo existit, quia trigesimo quinto conformatur, septuagesimo

Geometra.

mouetur, ac denique decimo & ducentesimo in lucem prodit.

Reiiciuntur priores de Octimestris partus interitu allatæ rationes.

Quæ itaque de octimestri septimestrique partu hactenus à nobis commemorata sunt veri speciem quidem aliquam præseferuut, attamen si ad exactam veræ rationis trutinam ponderentur nihil in vniuersum demonstrationis perhibent, nam quæ de numeris dicuntur nugatoria sunt, quæ de sideribus vsquequaque incerta, quæ de Geometrarum proportionibus in octauum quoq; mensem quadrare possunt, etenim si quadragesimo die cõformetur puellus, mouebitur is octoagesimo & ducentesimo quadragesimo die nascetur octimestris.

Vera ratio ex Hippocrate deprompta.

Vera autem & ex ipsius Medicinæ fundamentis eruta ratio ob quam octimestris puellus viuere nequit hæc est quam diuinus Hippocr. in initio libelli de octimestri partu tradidit puerulum inquiens duas sibi mutuo succedentes afflictiones ferre non posse, etenim cum mulier septimum mensem prætergressa fuerit, vterus ei dehiscit fœtusque quasi se ad exitum in nono mense subsecuturum præparans descendit, quo in descensu ligamenta quædam & membranas aliquas mira naturæ prouidentia rumpit, quo faciliùs nono mense progrediatur, itaque in hoc plurimum labotat infans nec non ex membranarũ diruptione in-

ne in-

ie inflammationem quandam contrahit, quę quadraginta diebus iudicatur hinc fit, vt dictas ob causas circa octauum mensem seu sextum quadragenarium infans ægrotet, pellicutis partim disruptis, partim tensis, & vmbilico conuulso, ex quo & dolores parentem maximè diuexant, si itaque fatigationes septimi mensis præcesserint & octauo statim mense partus labores doloresque superuenerint, puello quoad vires per conflictum & colluctationem septimi mensis amissas nondum instaurato, eundem necessariò succumbere debere quilibet intelligit, qui tamen septimo mense, vno videlicet eodemque labore, vel paulò fortè maiore, incolumis, vtpotè iam perfectus enasci potuisset. Quin etiam octimestris fœtus vitalis non est, quia venit post diem partus qui septimestris esse debebat, ante diem verò illius, qui nonimestris erat futurus, vndè sinistri aliquid aut fœtui aut fœtæ contigisse existimandum est, quod vel septimestrem partum tardarit, vel anteuerterit nonimestrem Hæc semper Hippocr. nostri eiusque sectatorûm Physica planeque naturalis fuit ratio cur octimestris partus nunquam vel vix vnquam vixisse visus sit ideoque sub nominis eius auctoritate & sententiæ ipsius euidenti veritate conticesco vnum hoc corollarij loco subdiderim *conceptio & gestatio mor-*

Alia ratio.

Ratio Hippocratis Physica.

bus quasi quidam sunt partus verò Crisis insta, vt Galenus vult, iam verò sextus quadragenarius diei sexto morborum acutorũ responde qui tyranno similis existit, & in acutis ægritudinibus mortem vt plurimum adfert, si itaq; parturitio quam Crisin quandã esse diximus in octauum mensem seu sextum quadragenarium incidat, periculum fœtui minatur, cum eo tempore fœtum vt plurimum ægrotare scripserit Hippoc. cum enim tres sint quadragenarij fœtui infensissimi, quorum primus statim à conceptu supputatur, secundus qui circa octauum mensem voluitur, tertius quadragenarius ille qui à die partus initiũ habet, & in quo fœtus plurimum quoque laborat, fieri non potest, vt infans octauo mense natus superstes existat, vtpotè qui octaui mensis tædia & fatigationes perpessus, sequentis quadragenarij malignitatem sustinere nequeat. Videor hisce rationibus veram ac euidentem huius rei causam assignasse, vtpotè quæ non à probabili tantum, sed multò magis ab euidenti ratione Physica dependens, veracis demonstrationis nomine gaudere queat.

Tres Quadragenarii circa fœtum considerandi.

Ad nos ipsos verò Medicos deueniendo, plurima reperiuntur in facultate nostra, quæ numerosa aliqua superstitione sunt respersa, etenim quæ de geniculis Verbenæ, secundum numerum modo Tertiananæ, modo Quartanæ fe-

Medici numeros obseruantes.

e febri curandæ adhiberi solitis referuntur
ſpicione aliqua inerti non carent, plura ta-
ı de herbis & radicibus alijs, eorumque nu-
erosa obſeruatione colligendis apud aucto-
ːs præſertim verò Empiricis paſſim legun-
ur. Vnum hoc coronidis loco adferam, Me-
icorum communi quaſi voto ſtatutum, vt
ilulæ impari ſemper numero exhibeantur, *Pilulæ.*
el tres, vel 5. modo 7. 9. 11. tandem 15. pro Doſi
na parari iubent, inter paria non eſſe actio-
nem dicentes. Veruntamen medicamenta ta-
lia ſiue pari ſiue impari numero deuoranda,
aut deglutienda idem ſemper agunt, ſi medi-
camentum ipſum ritè præparatum ac debita
Doſi porrectum fuerit, quod experientia te-
ſtatur quotidiana, quamuis ego ipſe imparem
vt plurimum numerum in Pilulis effingendis
obſeruare ſoleam, non alia tamen ratione,
quam ne ſingularis eſſe, & cæterorum nor-
mam ſine tamen impietate aſſequi non velle
videar. Itaque Medici numeros in diebus de-
cretorijs, pulſibus, febrium circuitibus, & alijs
eiuſmodi occaſionibus obſeruare poſſunt,
dummodo non ex naturali curſu, ſuperſtitio-
nis aliquid eliciant, & quæ Phyſica planè ſunt,
pura, & incontaminata, ſuperſtitioſa aliqua
obſeruationis alicuius adiectione vel pol-
luant vel peruertant. Atque ſic capitis huius
finis eſto.

CAPVT XXV.

Medicina luget, se magno olim in honore habitam, summisque dignitatibus ac præmiis affectam, nunc à maleuolis paßim contemni ac vilipensam posthaberi.

VItam hanc esse superiorem humana conditione si philosophicè transigatur, fatetur Aristoteles ad Nicom. vndè homines vitas Deorum imitati cum nobilissima sui parte viuerent, non aliter olim quam Dij suspiciebantur. Vnde Anniceris Cyrenæus philosophos non homines sed Heroas, mediæ cuiusdam inter homines Deosque naturæ constituit, eoque commento Platonem vi tempestatis Æginam delatum, & quod Atheniensis foret, mox occidendũ, morti subduxit, quod diceret legem de necandis Atheniensibus latam in homines, non in semideos. Magni enim olim æstimatas bonas literas, plurimumque ijs artibus tributum fuisse constat, quæ in bonum publicum ac Reipub. vtilitatem & incrementum institutæ, vel adinuentæ, atq; in-

Anniceris Cyrenæus.

per ad humanæ ſocietatis continuationem
t nixum faciebant. Licet enim hoc ex vete-
m ſcriptis elicere, quando prædeceſſores
ſtros laudabilium ſcientiarum inuentores
uſtres, aut earundem excultores ingenuos,
ppioſis præmijs, ampla mercede, aut digni-
tis, laudis, vel honoris ad poſteros transmit-
ndi gloria largè donatos dimiſiſſe, imô eo-
um memoriam æternitati conſecraſſe Hiſto-
icos annotaſſe legimus. Exemplo ſit nobis
teſichorus cui Phalaris Agrigentinus licet
mmaniſſimus Tyrannus, diuinos in patria
vrbe honores decreuit, eiq; magnificum tem-
plum exædificandum ſtatuit. Platoni Siciliam
venienti Dionyſius tyrannus, ad omnem alio-
quin ſuperbiam pronus, & ad ſæuitiam quaſi
natus, vittatam nauem miſit obuiam, & litto-
re egredientem albis quadrigis exceptum do-
mum deduxit. Lampſaco vrbi in Helleſpon-
to Perſarum Rex pepercit propter Themiſto-
clem vt Marcell. lib. 22. teſtatur, vt Cn. Pom-
peius cui ſe oriens occidensq; ad ſeruitutem
ſubmiſerat Poſſidonij Philoſophi domum in-
traturus, fores à lictore percuti non modò ve-
tuit, ſed etiam faſces januæ ſubmiſit, doctum
virum non tam modeſtè viſitans quàm ho-
noratè ſuſpiciens.

Philoſophi honorati Steſichorus. Plato.

Exempla Regum. Themiſtocles.

Archimedem Syracuſium Geometra ac
Machinator inſignis, nec non ſyderum noti-
tia

Archimedes Syracuſius.

tia clarum, qui ſphæram illam vitream diſ-
miles circulorum motus continentem, eſt fa-
bricatus: Marcellus in expugnatione Syracu-
ſarum, ſolum violari vetuit, de hoc Claudia-

——— iura poli regnumq; Deorûm
Ecce Syracuſius tranſtulit arte ſenex.

Zeno.

Zenonem quoque philoſophum Athenien-
ſes tanto honore perſecutos fuiſſe veterũ mo-
nimanta teſtantur, vt eum ærea ſtatua, aurea-
q́ue corona donatum condecorarint, & apud
eum vrbis claues, tanquam nullibi magis ſe-
curas depoſuerint. Scribit inſuper Suidas apud
Volaterr. Troianum Imperatorem curru ſuo

Dion Pruſiæus.

plerumque dignatum fuiſſe Dionem Pruſiæũ
Sophiſtam & Philoſophum, quem etiam Ro-
mam triumphans ingreſſus ſuo deduxit vehi-
culo. Atque hęc quidem & longè plura hono-
rum ac dignitatum munera, priuilegiaq́ue in
doctos viros de ſe bene meritos deuictam be-
neficijs tyrannidẽ contuliſſe ſcimus, quæ Me-
dicos Philoſophis longè maiores excellentio-
resq́;, poſteaquã operationum eorundẽ fide-
litatem ac auxilijs plena negotia experta fuit,
non minoribus præmijs afficiendos putauit:
quorum præcipuis diuinum honorẽ deferen-
dum cenſuit, quorũ merita nullis ſeſe ſumpti-
bus compenſare poſſe cognouerat, laudis ta-

Hippocrates.

men diutius duraturæ perennitate nonnihil
æquaret, vndè Hippoc. noſterq́uẽ totus de-
miratur

atur & obstupescit mundus, æquales Her- dignitates à Græcis est adeptus, cui pater- quidem progenie ab Æsculapio, materna ò ab Hercule oriundo, ob medendi peritiã doctrinæ perspicacitatem *Magni* nomen positum fuit: *erat enim in eo verborum pres- proprietas, sententiarum concisa subtilitas, monis veneranda antiquitas; & artificij cõ- endabilis dignitas* quique, vt Cornel. Celsus t, vir arte & facundia clarus extitit, & vt Ma- cobius vult, *tam fallere quam falli nesciebat*: nta insuper benignitate præditus, *nihil vt ciuerit quod nos nescire voluerit*, tantaque sol- ertia ac sapientia dotatus, vt, *quod ipse ignora- uerit, post illum sciuerit nullus*.

Hippoc. Magnus, est eius encomia.

Vixit hic coæuus Assuero, quem Græci Xer- xem, Chaldæi Artaxerxem dixêre, regnante apud Persas Dario Longimano, Hesteris fortè filio, quæ Assuero nupsisse creditur; materna quidem stirpe, ob matrem Phanareram Hera- clideam vicesimus ab Hercule, paterna verô decimus septimus ab Æsculapio, huius enim filius fuit Podalyrius, quẽ secuti sunt ex pro- geniei serie Hippolochus, Sostratus, Dardanus, Cleamitides, Crisamis, Theodorus secundus, Sostratus tertius, Nebrus, quẽ Amphictyones cõtra Cryseos locrorũ vicinos bellũ gerentes, ac templi Delphici opes repetituri ad arcendã Pestẽ vocarunt, cuius Thessalus Hippocratis filius,

Hippocratis tempora.

filius, in oratione ad Athenienses habita meminit: huic successit Gnosidicus, huic Hippocrates primus, cui libri de Articulis & Fracturis tribuuntur, huic Heraclides Hippocratis Magni pater, Amyntæ Macedonũ Regi charus, inde Hippocrates Magnus, qui circa annum mundi 3537. anno secundo belli Peloponensiaci, cum ex Pannonia & Illyride Pestis deuastans in Græciam proficisceretur ac serperet, eique diram stragem minaretur, Acronis forsan Agrigentini inuento, luem igne depulit, prout versus habet

Solers occultas rerûm cognoscere causas,
Hippocrates sacram sustulit igne luem.

de eo extat aliud Græcum elogium, quod Latine sic sonat. *Hippocrates lumen fuit, & saluauit populorum gentes, & mortuorum fuit raritas in inferno.* Coætaneos habuit Democritum Abderitam philosophum Prothagoram Sophistam, cuius libros Athenienses publico decreto exusserunt, Phidiam insignem illum statuarium Atheniensem, cuius meminit Plinius lib. 7. cap. 37. qui viuos Iouis vultus ex ebore duxit, & vt quidam autumant Esdram Prophetam, vixitque magnis honoribus auctus, annos 104. vel vt alij volunt multo plures imò vsque ad 160. Etenim quod ad eius honores spectat Thessaliæ, Macedoniæ & Thraciæ seruator dictus fuit, ac fœlix suæ gloriæ

Hippocratis coætanei.

riæ

ſpectator extitit, vt qui maiores quam vlli
rtali honores ſibi delatos viuus vidit. Ete-
n inter cætera ad Aſiaticorum Africano-
rúque regum amicitias, quas tamen ipſe a-
ore patriæ repudiabat, eſt inuitatus, namq;
taxerxes Perſarum rex Hyſtani præfecto
lelleſponti ſequentes ad Hippocr. inuitan-
um ſcripſit literas.

Magnus Artaxerxes Rex Regum, Hyſtani Helleſponti Præfecto hyparchoúe ſalutem gaudiumúe dicit.

Hippocratis Coi Medici ab Æſcu-lapio genus ducentis, ad me Medicæ artis decus peruenit. Quantum igitur aurum voluerit, illi dato, cæteraq; fuſim & abundè, quorum egeat, & ad nos mittito: æquo enim honore apud nos erit, quo & Perſarum Optimates, & ſi quis alius probus vir in Europa fuerit, hunc amicum Regiæ familiæ conciliato, nihilque opibus parcito. Vi-

Artaxerxis Epiſtola.

ros

ros enim qui consilio & prudentia pol-leant, non facilè est inuenire. Vale.

Artaxerxis igitur mandatis parens Hysta-nes, Hippocratem sic accersit.

Hystanes Hellesponti Præfectus Hyparchos-úe Hippocrati Medico ab Æsculapio genus ducenti, salutem & gaudium dicit.

Hystanes ad Hippocratem scribit.

Magnus Artaxerxes Rex tui egens ad nos præfectos misit, mandauitque vti tibi & Auri & Argenti quantum volueris, cæteraque quorum egeas, abundè tradamus, ad seseque celerrimè mittamus: nam eodem honore apud eum censeberis, quo & Persarum Optimates: Tu ergò quamprimûm venito. Valebis.

Ad hanc Hystani epistolam Hippocr. breuiter, vti ei mos erat, sic respondit.

HIPPOC. EPISTOLA.

Ad epistolam, quam ad nos mise-ras,

es, dicens, vti quamprimum ad Regẽ venire mus, quæ dico & respondeo, quàm celerrimè Regi mittito, quod Vectigalibus, veste, domo, reque omni ad vitam degendam necessariâ cumulatè fruimur, mihique fas non est Persarum opibus frui, nec barbaros homines à morbis liberare, cum Græcornm infensissimi hostes sint. Vale.

Hippocratis responsio.

Negotium insuper hoc Democrito Philosopho familiari suo communicandũ cum cẽsuisset, sic eidẽ rem totã per litteras significat.

EPISTOLA HIPPOC. AD DEMOCRITVM.

Hippocrates ad Democritum scribit.

Persarum Rex nos ad sese accersiuit, nescius apud me sapientiæ rationem plus valere, quam quoduis aurum. Vale.

Interim Hystanes acceptum ab Hippoc. responsum Artaxerxi transmisit, qui ob petitionis suæ recusationem ab Hippocrate factam, non ipsi modò Hippocrati, verum etiam toti populo Coo succensens comminatorias hasce literas ad Coos dedit.

EPISTOLA ARTAXERXIS AD COOS.

Epistola Artaxerxis comminatoria ad Coos.

Hippocratem Medicum nunciis meis date, malos mores habentem, & in me & in Persas insultantem & obloquentem. si minus, scitote & vos primos sceleris, & errati eius pœnas daturos. Nā bello persequar, vastabo, diruam vrbem vestram & insulam, & in pelagus pessundabo, ne posthac vnquam fuerit, nec se hoc loco insula, vel Coos vrbs dignoscatur.

Veruntamen pium compatriotam amans populus Cous quem Artaxerxis opes præ se spreuisse cognouerat, nullis Artaxerxis minis territus hæc ei respondit.

COORVM RESPONSIO.

Coorum responsio.

Coi nihil Merope, Hercule, & Æsculapio non dignum facient, quorum causa ciues omnes Hippocratem non dandum,

lum, non dabunt, tametsi peßimè perituri sint. Dario namque, Xerxiq; eius auis literas ad sese scribentibus, terram, & aquam à se patentibus populus Cous non dedit, cum eos videret, si contra sese venirent, posse sicuti cæteros homines perire. Quamobrem ô nuncij, qua via venistis, eadem ad Coas abite, vestroque Regi nunciate, quod Hippocratem non dandum non dabunt, quod & Dij non & nostrum curam non habebunt.

Quantus porrò Abderidani populi applausus ad Hippocratis aduentum Democritum curaturi, quem vulgus insanire putabat, extiterit, ex ipsius Hippoc. epistola ad Damagetum data patescit, vbi inter cætera se Iouem appellatum recenset inquiens, *O viri Abderidani, nihil mihi prius agendum est, quã vt Democritum videam*, qui cum hoc audissent, probarunt & lætati sunt, meque statim per forum duxerunt, plurimi nos sequebantur, multi præcurrebant, nonnulli vtrinque decurrebant clamitantes *ô Iupiter seruato, adiuuato,*

Populus Abderitanus.

 innato,

inuato, medicato. Quid de Athenienſibus referam? niſi illud ipſum quod ſenatusconſultũ ipſorum in Hippocr. honorem & immunitatem latum continet, vbi inter alia eius elogia hoc legitur: *Senatus ergò populusq́ Athenienſis, vti ſemper Græcis vtilia præ cunctis elegiſſe videatur, decentemq́ & dignam vti gratiam pro meritis referat Hippocrati, Senatui populoq́ Athenienſi viſum eſt, & decreuit magna ſacra & myſteria Cereris Hippocratem docere, & participem facere, quemadmodum Herculem Iouis filium coronaq́ aurea mille aureorum pondo coronari, coronamq́ eam magnis Mineruæ quinquatriis panathenaisúe, certamineq́ gymnico publicari, puerisq́ Coorum omnibus licere puerilem ætatem Athenis agere & inſtitui, quandoquidem eorum patria talem virum produxit, ciuitateq́ Hippocratem donari, publiceq́ eum in curia Prytaneoúe nutricari.* Eum Pœtus in epiſtola ſua ad Artaxerxem Regem data diuinum appellauit, eumq́ue per totum terrarum orbem Æſculapij adiumenta quemadmodum Triptolemus Cereris ſemina diſſeminare ſcripſit, ac ob id eum ſalutis & ſanitatis patrem, & dolorum ac malorum omnium medicatorem appellare non dubitauit.

Athenienſes Hippocrati honores decreuerunt.

Plato in Prothagora Æſculapij ſucceſſorem eum ſimiliter nominat, quem hinc indè Galenus Veracem, Magnum, Probum, Philoſopho-

sophorum omnium ac Medicorum Principem, Magistrum diligentissimum, Nobilissimum Ducem, Disciplinarum auctorem maximè admirandum, Senem venerandum virumque vocat, qui nihil vnquam frustra vel dixerit vel scripserit. Huic vita functo, Græci tumulum posuêre, ijs versibus honorificentissimum, cum inscriptione Græcorum carminum, quæ Morus sic vertit.

Amplior Hippocratis elogia.

Thessalus Hippocrates, Cous genere hâc iacet vrnâ
Phœbi immortalis semine progenitus.
Crebra trophæa tulit, morborum, armis Medicinæ
Laus cui magna, nec id sorte sed arte fuit.

Eius prætecessorem Æsculapium epulæ Decurionales cohonestarunt, cuius memoriam refert antiqua quædam inscriptio Mediolani in Lombardia extans, quæ sic habet.

Epula Decurionales.

Æsculapio & Hygiæ sacrum Copius, C. F. Leonas V I. Vir & Aug: Honoratus in Trib. C. L. Patrum. Et liberum clientium, & ad census patroni sanctissimis communicipibus suis D. D. quorum dedicatione singulis decurionibus II. Augustalibus & colonis Cœnam dedit.

fuerunt sanè Medici diuinis honoribus affecti, vt habetur apud Theodoretum.

Theodoretus de Medicis.

Hymnidici vates, artis Medicæq; periti,

Mortales cunctos primi post terga relinquunt,
Sunt vbi Dii superi magnis in honoribus aucti.

Vix minorem honorem ab Atheniensibus consecutus eius filius Thessalus vt ex oratione ea, quæ legatio dicitur, patet, ab ipso habita in senatu Atheniensi cum patriæ excidium deprecaretur, vbi se aurea corona donatum gloriatur. Democedas Medicus à Dario sanitati restituto duobus aureorum compedum paribus, & ab eius vxoribus aureis phialis donatus est, prout Herodotus in Thalia recenset. Thadeus Florentinus Medicus tantam nominis celebritatem est adeptus, vt ad ægros extra vrbem euocatus non vilius quam quinquaginta aureorum mercede in singulos dies peregrinaretur, qui ab Honorio quarto vocatus centum sibi porrigi postulauit, accepit autem ab eo curato decem millia prout recenset Mantuanus & Volaterranus. Romani liberto Musæ ob Augustum sanitati restitutũ æream statuam Æsculapij signo vicinam erexerunt, ipseque Augustus vniuersæ Medicæ familiæ immunitatem ciuilium dedit munerum, quæ postea immunitas rescriptis Vespasiani & Hadriani, aliorumque Imperatorum Medicis conseruata est l. vlt. ff. de munerib. Garcias ab Horto Lusitanus Medicus à rege quo-

Musa.

quodam Indorum Nyſa Malluco pluſquam duodecies mille Parados ex curatione accepit oblatis pro anno ſtipendio quadraginta millibus: Valet autem Parados moneta vnciam vnam argenteam ſeu Dalerum Germanicum. Sanè Iulius Cæſar Medicinæ profeſſores ciuitate donauit, prout apud Suetonium legitur. Vide etiam Gothofredum in l. 1. § 5. C. de cõmun: ſeru manumiſſ. Quis porrò neſcit quantam dignitatem Claudius Galenus ſub Commodo ſit conſecutus, vt qui Romæ ſtatua poſita immortalitate donatus fuerit, auxitque poſt Commodum Seuerus Medicorum præmia, annonas eis ex publico addens, qua de re audiendus iam dictus Gothofredus in l. Medicos C. de Profeſſ. & Med. lib. 10. Hinc etiam vi legum *Medici milites aut iudicem hoſpitandum non recipiunt, nec Equaſia, aut Camelaſia oneri ſunt addicti, nec ad iudicium deducuntur, nec eximuntur vel exhibentur, vel iniuriã patiuntur vllam, & ſi quis eos vexauerit pœna arbitrio iudicis plectatur, ac ne vllo modo vel in curatione, vel inſtitutione præpediantur publico eos ſalario Imperatores frui voluêre.* nam & hos Reges in ſuas familias admiſerunt. Podalyrius enim Syrnam Damethi Regis filiam quam ex caſu ægram perſanarat in vxorem duxit, duaſque ciuitates in Cherſoneſo condidit.

Medicorũ priuilegia.

Festa Meditrinalia.

Erant priſcis feſta quædam Meditrinalia, Meditrinæ Deæ ſacra, qua de re Feſtus, & Varro de Ling. Lat. his enim diebus ſolitum fuit vetus nouumque vinum libari medicamenti cauſa, quod facere ſolent etiamnunc multi cum dicant, *Nouum vetus vinum bibo noue veteri morbo medeor*, vide Flaccum. Atque hic erat priſcis temporibus Medicinæ honor, per quem inter cæteras artes ac ſcientias explendebat effulgebatque.

Ecclesiasticus de Medico.

Sed quid de his dicam? Audi quæſo Eccleſiaſticum cap. 38. ſic loquentem. *Honora Medicum, propter neceſſitatem etenim illum creauit altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatûm collaudabitur.* Quid quæſo hoc ſapientis conſilio ac iuſſu vel clarius, vel iuſtius proponi poteſt? Conſtituit enim is honorem dandũ Medico, & quidem indiſcriminatîm ab omnibus, idque propter neceſſitatem tanquam vrgentiſſimam cauſam, cui omnes ſumus ab ortu noſtro ſubditi, & in qua diuites pauperibus, & inopes opulentis æquantur, cui ſubueniendę Medicus à domino creatus eſt: atqui vt eum ſummè? neceſſarium eſſe innuat, ſubiungit, *& non diſcedat à te quia opera eius ſunt neceſſaria*, & ne quis ab hac neceſſitate ſeſe ſubducere poſſe ſperet, eodẽ in loco ait. *Eſt enim*

tempus

tempus quando manus illorũ incurras, hæc autẽ diuitibus simul ac egenis doctrinę causa exhibuit, vt cum pauperes propria rerũ suarum ac curtæ supellectilis egestate ac inopia premi sciret, eos à muneribus alijs ac donationibus Medico alioquin merito dandis & offerendis excusaret non aliã ab ijs nisi laudis mercedem repetens, à Rege autẽ cuius nomine opulẽti potentesq; subintelliguntur, donationem requirit, eamq; amplã seu Rege dignam, cum enim honorari debeat Medicus, sanè nõ magis is honorabitur, quã si ab eo qui in Repub. honoratissimus existit, qualis Rex est, amplam & munificã donationem accipiat. Regiam autẽ donationem duplici forsan de causa requirit primò vt Medicus magni ac solemnis præmij præstantia, vel valore copiosè remuneratus, etiã pauperibus donationes ac munera, vel opes ad hæc coẽmenda vel cõparanda non habentibus gratis & seruiat, & seruire possit, ijsque fideliter nõ minus consulat, quã si Regi à quo donationẽ accepturus est consuleret; Secundò ne Medicorũ honor ob præmij aut donationis exiguitatẽ vilesceret, vtpotè qui Regibus si nõ omninò pares, saltẽ gradu honoris finitimi existũt, ideoq; Regijs quoq; donationib. afficiẽdi. Notũ est enim priscos Reges oẽs ferè extitisse Medicos, & è Medicis Sacerdotes, è Sacerdotibus Reges quondã electos, idq; nõ

Donationes Medicorum quales esse debeant.

Regia debet esse Medici donatio seu liberalis.

apud Ethnicos solùm sed etiam apud Iudæos in more positum fuisse ex verbis Esaiæ colligi potest, qui cap. 3. sic ait. *Apprehendet enim vir fratrem suum, domesticum patris sui, & dicet, vestimentum tibi est, princeps esto noster. Ruina autem hæc sub manu tua. Respondebitq; in die illa dicens, non sum Medicus, & in domo mea non est panis, neq; vestimentum, nolite constituere me principem populi.* Ex quibus verbis patescit primam causam excusantis se, quod princeps populi non esse possit, fuisse hanc quod non esset Medicus, atqui ob id inidoneus ad principis dignitatem suscipiendam, vel eiusdem non capax.

Locus Esaia.

Neque verò Ecclesiasticus regia donatione Medico præstanda contentus est: possunt enim donationes & quidem magni pretij etiam malis ac pessimis hominibus offerri, sed adhuc subdit Medicum quoq; in conspectu magnatûm collaudatum iri, vt qui non magis præmio quàm laude sit dignus, vt significet eum virum probum ac bonum existere præmium non accipientem vt histrionem, vel scurram, qui quamuis donationis capax esse queat, laudis tamen particeps esse non potest, vtpotè infamis.

Duplex Medici honorarium.

Et vero Medicos magnis præmijs ac honoribus afficiendos esse ipsa naturæ lex Ethnicos docuit, vndè prisci lautis eos præmijs ac mune-

tribus præses ea quæ superiùs recensita sunt fecêre. Scribit enim Plinius Ptolemæum Erasistrato Medico ob patrem Antiochum Regem sanatum centum talenta, seu sexaginta aureorum millia juxta Budæi calculum, dono dedisse. Galenus ob Boëti conjugem sanitati restitutam quadringentos aureos pro munere accepit, qui non minus valebant, quam mille & trecenti aurei Rhenenses. Democides Polycratem Samiorum Tyrannum, duobus talentis curauit, qui idem teste Herodoto, ab Eginetis talento, & ab Atheniensibus centûm minis conductus fuerat, & Crinias Massiliensis referente Plinio centum reliquit sestertia, muris patriæ non minori summâ extructis. Extabant enim eodem tempore plures Romæ percelebres Medici, â Principibus Romanis ducentorûm & quinquaginta sestertiorûm, seu sex millibus ducentis & quinquaginta aureis, annuâ mercede conducti, inter quos erant Cassius Calpitanus Aruntius Albutius, Rubius & alij sibi mutuô subsecuti Cæsar Augustus suum Antonium Musam præter ingentem auri oblatam copiam, annulo & equestri dignitate donauit. Scribunt Argentonius & Philippus Comineus, Iacobum Cocterium Gallum, Ludouici Francorum Regis, eius nominis vndecimi Medicum, aureorum decem millia menstrua mercede recepisse.

Amplissima Medicorum præmica.

Largissima Medicorum stipendia.

Quanta porrò dignitate, quantisq; opibus nostro adhuc æuo durante claruerint Alexander Petronius, Hieronymus Mercurialis, Capeuaccius, Aquapendens, Ludouicus Mercatus, Hercules Saxonia, & alij complures vix est in orbe vel parùm versatus qui nesciat? Philippus secundus Hispaniarum Rex, Archiatro suo Francisco Vallesio, ob febriculam septem dierum spatio eliminatam, sex aureorum millia, prætèr annuum stipendium amplissimum dono misit. Magnus Mogor qui ex Tamerlanis intra Gangem in India latissimè dominabatur, Mizareno, qui Philosophus seu Medicus est Ægyptius (ita enim Arabica vox hæc sonat) quasi centum coronatorum millia añuo stipendio prætèr amplissimos honores assignauit, vt retulit Rodericus à Castro Lusitan9, qui hoc à Petro Texera in illis oris diu versato, ac viro fide digno accepit.

Medici nostri temporis, præmiis ditati dotatiq;.

Atq; hæc fuit veterûm in benefactores suos præcipuè verò Medicos gratitudo & liberalitas, quos prætèr tam larga præmia amplaque stipendia ac mercedes, maximis quoq; laudibus ac honoribus condecorasse constat. Hoc porrò tempore quo Musæ Mulæ sunt, doctaq; fama fames, plurimos reperire liceat, qui acceptorum beneficiorum memoriam impudètèr deponunt, est enim Impudentia prout Xenophon lib. 1. Cyripædiæ ait, ingratitudinis comes

Veterum liberalitas

Impudentia & Ingratitudo.

mes, quæ ad omnem turpitudinem maxi-
a dux exiſtit.

Et ſanè adeô fragilis hoc tempore benefi-
orum eſt memoria, iniuriarum verô tam te-
ax, vt vtrumq; horûm ſummo gradu exor-
itet: ſic mortales grauiſſiis morborum pe-
culis detenti, imô morti non rarô vicini,
rudelibus ſæuiſſimorum dolorum cruciati-
us excarnificati, febrium caloribus penè
xuſti, deliquijs propemodum exoluti & ab-
umpti, ægritudinum calamitatibus, in ex-
remam perniciem adacti, ac varijs variorum
caſuum difficultatibus intricati, grauati ac
oppreſſi qui fuerant, vbi Medicinæ DEI dono
datæ ope in libertatem rurſus aſſerti, priſti-
numq; ſanitatis robur denuô ſunt adepti, tan-
tum quandoque abeſt vt eidem gratiam ali-
quam rependant, vt ſe nonnunquam ſpontè
conualuiſſe, nihilq; proindè Medicinæ laudis
deberi dicere audeant, in quos juſtè quadrat
ſenarius ille prouerbialis apud Zenodotum.
Si dolet meminit: ſi placet obliuiſcitur, cum
contra admoneat prouerbium *Memineris ac-
cepti, dati obliuiſcere.* Sic Medica officia be-
neficiaq; in ingratos collata turpitèr pereunt,
eſt enim ingratus dolio perforato ſimilis, in
quod omnes immiſſæ gratiæ in vanum effun-
duntur, vnde Luſcinus.

Medici vero rum præmium à Domino DEO exſpectandū. Ingratus.

Rimarum plenus perdit tua dona ſceleſtus:
Si ſapis integro vina recondе cado.

Videtur itaque Medicina, quæ tot ingratos fouet ac beneficis vlnis exceptos mitissimè tractat, imò à morbo morteque quasi denuò rediuiuos enutrit, ac sanitatem eorum in maturam ætatem & amplius tuetur, lupinos catulos alere, vtpotè qui detractionûm morsibus in eam postmodum sint sæuituri, de qua re extat hoc Epigramma per Ianum Pannonium quinqueEcclesiensem conscriptum.

Agna lupum pasco propriis inuita mamillis,
Pastoris fatui sed iubet imperium.
Nutritus per me rursus, scio, sauiet in me:
Vertere naturam gratia nulla potest.

quam extremum versiculum sic vertit Alciatus.

Improbitas nullo flectitur obsequio.

Et verò missis ingratitudinis vitiosis moribus: quis quæso nescit, aut non videt, vel obseruat quantis hoc æuo Medicina calumnijs afficiatur? quantisq; exerceatur ęrumnis, nullibi quasi secura. Hoc vnum comminationis causa in ingratos subiunxerim, scelus hoc tetrum, immane ac horrendum vt deponant, eos enim non aliter quam hos qui parentes suos negligunt, aut erga eos ingratos sese exhibent, longæuos vix vnquam futuros, cuius exemplum Homerus descripsit de Hippotheo verba faciens.

Hippotheus.

Atq;

Atq; nutricandi non grata parentibus ille
Reddidit officia, sed ei breue contigit annum.

Est sanè Medicina parens, eaque sollicita [...]t quæ vitam hominum anxiè tueatur, proq; [s]anitatis obtentu diu noctuque desudet, imò [e]tiam antequam homo nascatur eius adhuc [i]n vtero existentis curam gerat. quam quidem [t]am benignam matrem qui despectui habue-rit, dubium non est quin præpotentis Dei vin-dicem dextram sit quandoque experturus, & [eg]regia is tandem censura in eum sit animad-uersurus.

Veruntamen hic consuetus ille mundi mos est, vt pro bonis mala rependat, vndè si quid durante morbo symptomatum vi aut morbi motu effectum, quod doloris vel acerbitatis nonnihil ægro attulit, id omne Medici errori-bus aut incurię, vel ipsis quoque medicamen-tis quantumuis ritè adhibitis adscribere pleri-que audent: si quid autem dextri euenit, id in proprias ac domesticas suas, vt vocant, medi-cationes absque Medici præscitu clam vsur-patas pomposè quidem sed vel nugaciter vel mendaciter referunt. Interim bono Medico qui noctu diuq; circa ægrum occupatus mul-tis curis, molestijs, studijs, defatigationibusq; in ægritudinis depulsionem laborauit nulla vel pauca laus est, & quandoque multò mi-nus præmij, quando etiam olim hæc queri-monia

Vos mundi.

monia extitit, prout antiquus versificator retulit, inquiens.

Tres facies Medicus habet vnam quando rogatur

Tres Medici facies.

Angelicam, colitur cum iuuat atq; Deus.
Postquam curato poscit sua præmia morbo
Horridus apparet terribilisq; Sathan.

quas quatuor formas sic alius expressit.

DEVS.

Dum nigris ægrum propè mors circũuolat alis,
Funestamq; aciem iam fera, iamq; parat.
Tum me promissis beat & domus omnis adorat
Tum vocat immensum me venerata DEVM.

ANGELVS.

Paulum vbi conualuit, paulũ de numine nostro
Cessit, & in nostris auribus ista sonant
Tu cœlo nobis demissus es ANGELVS *alto*
Præmia quæ vestri & quanta laboris erunt?

HOMO.

Iamq; Machaonia magis & magis arte leuatus.
Cum sedet antè focum progediturue tripes:
O HOMO *non frustra tantos subijsse labores*
Nosces: quod restat tu modo tolle malum.

DÆMON.

Ast ego si penitus iam sanuo præmia poscam
Ille DEVS *pridem mox Cocodæmon erit*

Cautior

ntior exemplo tu DVM DOLET *accipe nostro*
Qui Medicæ exerces gnauiter artis opus.
Proindè verum euadit id quod dicitur:
Medicis in morbis totus promittitur orbis.
Mox fugit a mente Medicus morbo recedente
Igitur.
Exige dum dolor est, nam postquam pœna recessit
Audebit sanus dicere multa dedi.

Indecorum verò ac immodestum, imò etiam mechanicum planè videtur, Medicum perfecta cura mercedem poscere, multa enim honestè accipi possunt, quæ eadem petere inhonestum foret: Et quid quæso Medicus pro restituta vel vita vel valetudiue petat? hæc enim ab ipso sumuntur nullo pretio, vt scribit Seneca exæquanda, vnde Soranus Ephesius ait, *Merces Medico si detur accipiatur, sed non exigatur nam quantum quisq; dederit vix vnquam beneficia Medica æquabit,* hinc complures Medicam artem gratis exercuerunt prout Hippocrates Medicorum omnium antesignanus & Menecrates Philippi secundi Macedonum Regis Medicus, quod ipsum factitasse Ausonium hi versus docent:
Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ
Officiumq; meum cum pietate fuit.

Atque hi quidem arti turpe duxerunt lucrum, quod donata sanitate præstaretur nisi à

ſanis vltrò in homines philoſophos & vitæ conſeruatores ea præmia locarentur, quæ honeſtæ vitæ ſufficere poſſent, multo porrò deformius ac immodeſtius id eſt, perſanatum ægrum de Medico remunerando ac laboribus eius compenſandi quandoque vix cogitare, ita vt Medicorum operæ tantæ quandoque æſtimationis apud ingratos non ſit, vt præmio digni videantur, proindè ironicum vulgi cõſilium hoc olim Medico ſuaſerat, vt ante ſanationem munus exigeret, aiebat enim,

Accipe dum dolet, post curam Medicus olet.

Ac ſi Medico laboris medicationis diu noctuque tam ſollicitè præſtandus pro defatigatione non ſufficeret, ſed ei tunc demum poſt abſolutum tædium de mercede decertandum foret. Ceſſabunt igitur forſan Medici hominibus benè facere, ne eis ob præmium lis obtingat: verum id ego non ſuadeo, ſed vt charitatem, quæ *non quærit quæ ſua ſunt*, potius ſectentur hortor, ea enim hic & in futurum cuncta beneficia mortalibus præſtita amplis muneribus eſt compenſatura. Galenum interim opes dare clament quantum velint, audire tamen poſſunt & illud

Hippocrates pauper, ſed ſanctio Iuſtiniana
Diuitiis gaudet, & magni pondere cenſus.

Quod ſi quempiam vulgus hoc aſtutum ex Medicis munere aliquo afficit, id pluries eam

ob

ob causam solummodo facit, vt ad labores eũ alliciat, eo tamen fine, vt quod præmium dederat non vlterioris muneris spem, sed diuturnioris persæpè defatigationis viam præstet, vt sic dono captus Medicus à labore retrocedere nequeat, id autem muneribus vlterius dandis parcere possit, sicuti Martialis Ruffum accusat lib. 9. quod muneribus primò ab eo captus nihil posthac ab ipso extorquere potuerit.

Martialis in Ruffum.

Dum me captares, mittebas munera nobis:
Postquam cœpisti, das mihi, Ruffe, nihil.

subiungit autem

Vt captum teneas, capto quoq; munera mitte,
De cauea fugiat ne malè pastus aper.

Hoc vnum huc annectere libuit, Medicos à populo in afflictione quidem laudari, coli, amari, suspici, ac honorari, secundo autem rerum statu non rarò vilipendi, posthaberi, ac contemni, quomodo Deum ipsum in prospera fortuna ab hominibus negligi, ac in aduersis tantum inuocari pluries obseruamus: & licet hoc à prudentioribus non fiat, fit tamen id à compluribus. Monemus autem vt neglecta hac vulgi malitiosi strue, à malis solum ac ingratis hominibus in Medicos concinnata, martyrium hoc fortiter Medici constanterq; perferant, non ad præmia attenti, non vanæ laudis æmuli, non cupidi pecuniarum, non opum conquirendarum auiditate capti, nõ su-

perbia exsufflati, non diuitiarum possidendarum spe illecti, nullius inuidiæ, rancoris aut malitiei stimulis exagitati, nullo item perturbati tædio, nec ob fluxilis honoris euanescibilem famam aut ad veritatis lumen cæcutiēs vanæ gloriolæ supercilium, vel ob rei alicuius exterioris & mox perituræ cupiditatem aut vilem quæstum Medicinā faciant, sed ob proximi tantummodo amorē, qui si ipsis scopus est futurus, dubium non est, legem Dei hac in parte adimpletam iri, Medicos autē pro eiusdem Dei gloria & honore, pro proximi amore fideliter ac studiosè laborantes, copiosam ab eodem Domino bonorum omnium effectore ac largitore remunerationem percepturos.

CAPVT XXVI.

Medicina luget, se paci & bello opportunam, nunc autem in maximis castramentationûm necessitatibus fermè negligi.

SVb his temporibus, cum iam iam operi huic ne id in nimiam amplitudinem excresceret (cum vix quarta querelarum Medicarum pars hoc libro sit recensita vel comprehensa) finem imponere cogitarem. Ecce lamen-

mentabilis clamor ac eiulatus voxque ad extremum miſeranda in propinquo exaudiebatur, quā ego vtpotè opellæ huic intentus, non animaduerteram. Itaque ab amico quodam meo, viro quidem pio ac philoſopho hac de re admonitus, iam dictos vlulatus obſeruare cæpi, notaui autem confeſtim, Lugentis hanc eſſe Medicinæ vocem, quam vt protinus conſolarer feſtinaui cumq; eam deſertam remoto à cæteris hominibus loco, veluti triſti quodā antro tales lachrymas tanto cum affectu ſingultientem fundere conſpexiſſem, eamque ex prioribus, quæ hoc libro acta ſunt plurimum conſolationis percepiſſe ſperaſſem, præter opinionem tamen hanc ita gementem, mæſtā, triſtem, puſillanimem & lachrymabundam ſine ſolatio, ac ne ſolatij quidem capacem reperi. Cauſam rei huius ſciſcitatus, vt aliud ſolaminis genus introducerem, reſpondere ſic mihi ea cum Ieremia Proph. cap. 1. viſa eſt. *Ego plorans & oculus meus deducens aquas, multi enim gemitus mei, & cor meum mœrens, facti ſunt filii mei perditi. Quoniam amaritudine plena ſum, foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt.* Cum autem aliquantiſper ſubticerē, ingentes eiulatus ac vociferationes, lamentantiū quarundā turbarū, threneticos Medicinæ planctus cōcinentiū aures meas percellebant, quæſiui igitur ex Medicina mea lugēte

& conſolari renuente, quid nam ſibi vellet miſerabilis iſta lamentatio, reſpondit illa, ſocias ſeſe habere viduas, quæ vna ſecum eodem planctu lugerent, etenim *Audierunt quia ingemigo ego*, erat igitur *Omnis populus eius gemens.* Cum autem tantam hominum copiam imô infinitum ferè numerum lachrimantiûm commiſerantèr paulô magis contemplarer, conſpexi, multa eſſe viduarum & pupillorum millia, Medidicnæ collugentium ac lachrymas ſuas affatîm vbertîmque fuſas, Domino DEO communi voto offerentiûm vt tandem aliquando ab ipſius miſericordia opem ac ſubſidium obtinerent, cum ab hominibus auxilium ſperare non potuerint. Erant autem meræ militûm in caſtris defunctorum viduæ, ac pupilli, cumq; ego ex cuius quas matres jeiunæ, famelicæ ac nudæ, humeris ex vno loco in aliud mendicando & ex non patria, in non patriam, per orbem circumferebant vagientes exaudiſſem, vix, ac ne vix quidem ego ipſe à fletu mihi temperabam, lamentabilis enim hic euilatus, & gemebunda illachrymatio, nubes tranſcendens, ac aëra transuerberans, ad cælos vſque penetrabat, defunctorum maritorum ac demortuorûm patrûm ex hac vita deceſſus coram Domino DEO explicans.

Defunctorum militum viduæ & pupilli.

Mulieres autem eæ, tantos in æthera planctus

ctus fundentes, viduæ erant maritis orbæ, nō quidem ijs, qui aperto Marte cæsi fuerant, sed eorum saltem, qui in castris per ægritudines, vel neglecti, vel non obseruati; sed deserti planè ac quasi despicantèr habiti occubuerunt. Bone DEVS quot hominūm millia sic periêre? plures sanè sæpiûs milites aut castris addicti hac moriēdi causa ac importunitate enecti sunt, quam quot aduerso prælio ciciderunt, vndè

Deserti milites.

——————— *It clamor cælo.*

Miseranda militûm vel ob hoc solûm conditio, quod qui ciciderit non habeat qui subleuet, qui ægro assistat, qui medicamentum præbeat, qui opem præstet, qui amico fidelem locet operam, itaq; , non solum sinè Medicis & Medicina, sed etiam sinè vllius ab amicis ac propinquis imô & consanguineis profecti auxilij spe, sani mortificantur, viui quodammodo sepeliuntur, gemiscentes solatium non habent, tandem si quid boni vestimenti superest, quo defuncti per vitam fruebantur interdum spoliati, vix terra teguntur, vt vel sordidi canes, ossa eorum nonnunquam rodant aut famelici hinc indè distrahant.

Luget itaque Medicina non immeritô, se neglectam, aut in consilium vel auxilium non admissam vel vocatam tot hominum millibus, qui patriæ defendendæ ac hostibus de-

bellandis sufficere potuissent, opem non præstitisse, imò eos vel consolandi vel iuuandi omnem sibi aditum præclusum negatamque occasionem fuisse. Medicina namq; , licet per se libera sit, facilis, misericors, ac liberalis, non tamen se impudenter cuiuis obtrudit, vel aliis negotijs non vocata, vel expetita se intromiscet, licet calamitates eas videat ac obseruet, quibus ipsa de facili amouendis subuenire potuisset.

Insignis militum miseria.

Luget iterum Medicina, tot Belli Duces, Capitaneos, Signiferos, Nobiles, optimarum familiarum ac prosapiarum honorificentissimarum soboles, & filios ab optimis ac laudatissimis parentibus progenitos, sic sine solatio miserrimè quandoq; perire, & sępissimè suam sic vt plurimum vegetam ac iuuenem vitam finire.

Mulieres castrenses Clinica.

Notum est plurimis, quot, ac quanti, mortis periculo exempti fuerint, sola mulierum castra sequentium ope Clinica, est autem Clinica Medicinæ Diæteticæ pars, quæ victũ subministrat, & cultum corpori præstat debitũ. Quod si miles decumbens aliquando pro refectione virium, parumper tantum aceti, aut vini, vel etiam aquæ degustare, aut eius compos fieri posset, morbo leuaretur, si thorace liberaretur, aut ligula abdomen claudens sibi aperta foret, si caput ei erigeretur, si ocreis aut calcea-

calceamentis exueretur, si modica offula reficeretur, vel haustu conuenienti recreatus animam fluentem recolligeret, si commodè quoad situm corporis solùm etiam in aperto campo locaretur, atque his & similibus adminiculis adstantium ope leuaretur, non dubito, quin magnus militum sic miserè pereuntium numerus saluus euaderet, iubente Medico, quid faciendum quiduè declinandum sit, qui exteriora hæc ad ægri salutem Deo dãte quandoque eò dirigere ac disponere potest, vt æger quidem sine vllo medicamento, sed tamen non sine Medicina vel Medicis pręceptis sanescat.

Ægris Medicina omninò necessaria.

Non hic opus est pretiosis illis, Lapide nimirum Bezoardico, Electuario Alchermes, Speciebus de Gemmis, & similibus, aliquando suffecerit Acetum Rutaceum, Calendulatum, vel Rosatum Camphoratumq́ue, promptè ac illicò parandum, vel Rob Sambucinum Iuniperinum aut Ebulinum cum modico Croco, aut decoctum Cardui, Vincetoxici, Carlinæ, Acetosæ, Taraxaci Scabiosæ, aut alterius similis alicuius herbæ pro re nata, & ægri vel ægritudinis conditione adhibendæ, etenim prout supra

Auxilium multis succus, & herba fuit.

Non hic opus est Contrayerua, sufficit quandoq; Angelica, Tormentilla, aut Bistorta

Pharmaca sunt nobis obuia.

vel Valeriana aut Ostrutij radix. Non hic itidem opus est præsens semper habere Pharmacopolium, cum Pharmaca sub pedibus nostris nascantur. Decet Medicum peritum quamcunq; occasionem arripere, ex stercore gemmas colligere, terræ puluerem, limum, plantas quascunque arripere, ex obuijs fruticetis, & salicibus, imò & abiectissimis quibuslibet rebus medicamenta depromere, nō enim coquuntur hoc loco Syrupi, Acetositatis Citri, vel de Granatis aut Limonibus, Iulapia Rosata, aut Electuaria, sufficit quandoque Posca, quam plurimis grauiter febricitantibus eximiè conduxisse & remedij loco fuisse multoties Medicinam faciens obseruaui, ea namque plerumque vsus sum in pauperibus, quibus res angusta domi & curta supellex pretiosiora remedia non admittebat, idque veterum Romanorum militum vsu & consuetudine didici, qui Poscam in summis caniculæ feruoribus flammante aut saltem æstuante cœlo, abigendi caloris, & leuandæ sitis causa potitarunt. Est autem Posca nil aliud quam aqua aceto mixta, ita vt tres sint partes aquæ, aceti porrò vna, quam si iucundiorem reddere volueris, sacchari parum vel pro libito inijcias ac transuasando simul commisceas vbi vel occasio, vel opes tuæ tantum concesserit, habebisque sic Syrupum Acetosum simplicem omnibus

Posca vsus in febribus perutilis.

Posca Romanorum militum per calores æstiuos potus.

Posca quid?

Syrupus Acetosus simplex.

ibus Diſpenſatorijs deſcriptum ac in cunctis officinis Pharmaceuticis proſtantem cuius vires ſic in Pharmacopœia Auguſtana breuiter deſcribuntur. *Humorûm craſſitiem incidit, & attenuat, obſtructiones leuat, aperit & abſtergit, ſaluberrimus in affectibus calidis, ac biliosis, & ex materia mixta natis. Bilis impetum tenuitate ac aſtu furentem frangit, reprimit, incraſſat, & refrigeratione extinguit. Vrinas mouet, ſudores elicit, ac Peſtilentiæ putredinique reſiſtit.* Quid quæſo caſtramentationibus accommodatius exhiberi poteſt? tam vile, remedium tam facile parabile, ac interim tam ſolenne? Non iam miror Galenum noſtrum de medicamentis facile parabilibus & Eupooriſtis integrum librum ſcripſiſſe, decet enim Medicum ex omni re ſalutis præſidia decerpere, vel colligere, cum omnia quæ videmus & palpamus, Medicinæ & ſeruiant, & ſeruire poſſint, dummodo artifex hæc ritè accommodet.

Gal. de Med. fac. parab.

Non hic ſemper opus eſt magnificis illis Emplaſtris aut Balſamis Vulnerarijs, ſufficit quandoque Oleum Samaritanum, vulneribus obligandis & perſanandis accommodatiſſimũ, id autem facillimo negotio ſic fit. Sume Olei puri partem vnam, vini partes duas, coque ſimul vſque dum vna vini pars abſumpta fuerit, in reſiduo petias, aut duplicata, triplicata,

Oleum Samaritanũ.

vel multiplicata linteamina intinge ac rursu modicè exprime ac vulneri calidè vel tepidè impone, laboremque hunc singulis duabus vel tribus horis reitera, mixturam hanc vini & olei antè vsum in vase semper prius nonnihil concutiendo, sic dira sanabis vulnera. Sanè milites ac Equites Melitæi die Malteser Ritter/nil aliud adhibent ad vulnera persananda remedij, quam hoc ipsum, attamen sæpè sæpius, imò interdum singulis ferè horis, pecias iam dictas sine vllo laboris tædio, in calente hoc Oleo Samaritano, rursus intinctas eoque imbutas, ac recalefactas vt prius vulneribus imponunt. Sortitum est oleum hoc id nomen à Samaritano Lucæ 10. qui vulnera eius qui in latrones inciderat obligans vinum infudit & oleum. Alias coquuntur simul vini partes duæ, & Olei Oliuarum puri pars vna, ad omnimodam vini consumptionem, idque vulneribus glutinandis adhibetur, summo sanè auxilio, immittitur oleum hoc vulneri aut per linia seu linamenta vulneris ciuitati inditur, quod postea Emplastro Citrino aut Basilico vulgari tegi solet. Ratio huius medicamenti hæc est. Oleum licet per se vt pingue & vnctuosum, vulnera non facilè sinat coalescere, cum vino autem sic pręparatum, vel eidem admixtum, aliter operatur, vinum enim mundificat, oleum verò demulcet, & vtrumque sanat.

Malteser Ritter.

Euang. Luc. 10.

Ratio medicamēti.

nat. Sic etiam Erysipelata, quæuis planè pin-
sia respuunt, imò ab ijs offenduntur, magis
nflammantur, ac latiùs sese serpendo exten-
unt, quod si verò Lithargyrium in aceto cō-
nuni in sartagine Aurichalcea coxeris, & vnā
us aceti partem, vel paulò plus, tribus olei
ulgaris partibus agitando simul absque cale
ctione admiscueris, crassescet subitò oleum,
nutatoq; colore lentescet, & in tenue transi-
it linimentum, quod Psoras Serpigines, Li-
henas, Herpetes miliares, Erisypelata ac in-
lammationes Deo dante reprimet sanabitq;
ic ex minimis, communibus, vulgaribusque
ebus, magna persæpè remedia, ac salutis cum
uendæ tum reparandæ præsidia exurgunt.

Vnguentū expertissimum ad Impetigines & similia.

Laudandus Dominus Deus vniuersi con-
ditor, quod is tā pretiosa, nobilia, rara ac cha-
ra pharmaca, in nostram vtilitatem ac salutem
corporalem copiosè procrearit, consimiles
porrò eidem agendæ sunt gratiæ, eæq; infini-
tæ, quod etiam vilioribus herbulis, ac rebus a-
lijs quasi abiectis, quarum nulla ferè apud ho-
mines est existimatio, tales ac tantas vires in-
diderit, easque vbique locorum prostare vo-
luerit, quibus exigente vel vrgente necessitate
vita nostra tuta redderetur, aut à calamitatū
ipsiusque mortis periculis erepta exemptaq;,
in sanitatis incolumitatisque, iucundam ac
suauem libertatem assereretur.

Habe-

Habemus in campis, pratis, syluis, nemoribus, ac retrò sepes præclarissima remedia, quæ nos quotidiè pedibus conculcamus. Prostat ferè vbique Plantago, Veronica, Betonica, Pimpinella, Consolida Sarracenica. Pyrola Sanicula, Fragaria, Cariophyllata, Sanamunda, Agrimonia, Nummularia, Prunella, & consimiles aliæ vel plantæ vel radices ex quibus præstantissimæ potiones vulnerariæ, prout ex Ebulo, Verbasco, Meliloto, Chamomilla, Hedera terrestri, Potentilla, Folijs quercus Centinodio, Anetho, & alijs eiusmodi pro affectuum diuersitate percommodi ac salubres fotus parari queunt. Decet Medicum peritum his contentum esse, quæ patria, tempus, & occasio suppeditat, cum non semper medicamenta ex Indijs, Arabia, Asia, Græcia aut exteris regionibus petere liceat, Ambidexter igitur vt sit Medicus hoc in casu necesse est, vt & exoticis & magno sumptu coemptis & à Magnatibus expetitis, ac interim etiam vilioribus Medicinis, ac vtrisque quidem, ad DEI Omnipotentis laudem, honorem, & gloriam, proximique vtilitatem, cum summi numinis benedictione gratantêr vti valeat, ac noscat.

Herba vulneraria aliqua vulgo Wūdkräuter.

Medicus Ambidexter esse debet.

Atqui vt res hæc exemplo magis patescat, ponamus ob oculos solam Sambucum, arborem sanè vilem habitam imò aliquibus exosam, quæ in compitis ac triuijs passim ac spontè ple-

Sambucus & eius vires medicamentosa.

plerumque, multo cultu naſcitur. Annon
[m]edicus quamplurima ad diſtinctos morbos
[ſ]ilia remedia ex hac ſola arbore depromere
[p]oterit? Imprimis enim folia eius ac germina
[p]ræſertim tenuiora aluum potenter mouent,
[q]uod notauit Dioſcorides lib. 4. cap. 168. ſic
[ſc]ribens. *Folia olerũm more coquuntur, ad pi-
[t]uitam bilemq; detrahendam. Caules teneri in
[pa]tinis cocti eadem efficiunt.*

Succus è radice preſſus dimidij cochlearis [m]enſura ſumptus vomitum valentiſſimè cõ[m]ouet, cuius Doſis ſi paulò excedatur, peri[c]ulum eſt lipothymiæ ac virium exolutionis, & ſudoris frigidi, aquam tamen pellit inter[c]utem. Flores Sambuci recentes, modicè con[t]uſi & aceto reſperſi, ac capiti, fronti, & temporibus applicati, maximos capitis cruciatus demulcent, præſertim verò in febribus malignis ac Lue Hungarica, idem præſtat aqua eorundem florum ſtillatitia modico aceto remixta. Eadem aqua plurimum valet ſi intra corpus aſſumatur ad Epilepticos inſultus abolendos præcauendoſque. Acetum Sambucinum Cor, caputque mirè roborat, ac venenis ex putredine natis reſiſtit, vimq́ue eorundem demolitur. Fungi ad caudicem Sambuci naſcentes quos Auriculas Iudæ vocant, aqua Roſacea macerati, ita vt molleſcant intumeſcantq́ue, oculorum inflammationes reprimunt.

Succus Sambuci.

Flores eiuſdem & aqua ſtillatitia.

Acetum Sambucinum.

Auricula Iudæ.

Rob Sambucinum. munt. Rob Sambucinum ſudores potenter mouet, peſtilentibus febribus ob id accommodum, quin & aluum lenit aquas potiſſimûm deducens, folia ambuſtis & canûm morſibus illita proſunt, vlcera quæ dehiſcunt in fiſtulam agglutinant, prout teſtatur Dioſcor. loco citato, eadem exuſta & in puluerem trita emanantem ê naribus ſanguinem ſiſtunt. Radix in vino decocta Hydropicos adiuuat. Prima ſambuci germina, cum pari pondere radicum Plantaginis, cum auxungia veteri trita ſubactaque, podagricos dolores præſentaneo auxilio mulcent ac ſopiunt, vt refert Matthiolus in Dioſcor. Medianus cortex Sambuci deraſus crurûm inflammationes & incendia Eriſypelatûm ſuperpoſitus reſtinguit. Ex eodem cortice præſtantiſſimum paratur vnguentum ad ambuſta. Sumitor oleum ſæpius aqua florûm Sambuci aut alia aliqua conueniente loti libram vnam, corticis mediani Sambuci recentis libram dimidiam, ferueant ſimul aliquandiu, poſtea colentur & exprimantur, deindè adde, ſucci ſurculorum Sambuci & ceræ nouæ, ſingulorum vncias duas, rurſus ferueſcant & coquantur ad ſucci conſumptionem, poteris ſub finem modicum vernicis liquidæ aut Terebinthinæ cum albumine oui ſubactæ adijcere. Alius, cum Butyro ad eundem modum

Folia Sambuci.

Radix eiuſdem.

Medianus Sambuci cortex.

Vnguenta præſtantiſſima ad ambuſta.

um eiusdem vtilitatis vnguentum paratur quod efficacissimum efficitur, si prius in eo-dem Butyro pisces frigantur, præsertim vero Tincæ, seu Merulæ lacustres vulgo Schlein/ vel Alburni nostro idiomate Weißfisch/Rotaugen/oder Heßling/vnd Haßlen dicti, butyrum id adhuc feruidum in aquam frigidã effunditur ac post horam vbi coaluerit coagulatumque fuerit ab aqua remouetur, posteaq; cum Corticibus & succo Sambuci rursus coquitur vt jam modo dictum est. Atq; hæc obiter de vili Sãbuco, remediisq; ex ea prompte parandis exempli loco hic dicta sint, plura similia in natura prostant vili quandoque tegumento velata, quæ artificem medicaturum inquirere & eruere conuenit. Habes in tectis stillicorũ Semperuiuũ, in maceriebus & ruinis ædificiorũ Rutam murariã, Sedum minus Artemisiã Polytrichon aureũ & similia, in paludibus Ranarũ Sperma quo ad sanguinẽ sistendũ nihil præstantius. Sumito petiam lineam, hanc imbue spermate hoc, eandemq; in aëre desicca, vbi siccata fuerit iterum imbue idque aliquoties, siccatam postea reserua. Vndecunque sanguis fluit, fluxuram hoc linteamine cohibe siue siccum sit linteum siue aqua Spermatis Ranarum aut alia conueniente madefactum, in qua Alumen dissolutum fuerit. Ex Ranis porro ipsis præpara veterũm more

Brand-salben.

Semper-uiuum.

Sperma Ranarũ.

Oleum Ranarũ

more oleum, per quod calidos quoſcunqu articulorum dolores ſi nõ penitus ſopire, ſal tem mitigare poteris. Habes in collibus Hy pericon, Conſolidam Sarracenicam, Aſterem Atticum, in ſtagnis Sium & Lauer, Nym phæam, Naſturtium aquaticum & ſimilia. Habes iuxta ripas Perſicariam cuius virtute integro tractatu vix ſunt comprehenda qua ſi vti noueris, mirandos præſtabis effe ctus. Habes Caltham paluſtrem ex hac oleum paratum inflammationes, ac tumores calido inſignitèr diſſipabis. Et hæc ferè in infinitum omnia enim quæ vides, quæ palpas, quæ pedi bus conculcas tibi ſeruiunt, habeas aquam & polentam & Ioui de prandio, vel cœna con trouerſiam moue, & ad Euporiſta ſeu facil parabilia te accinge.

Perſicaria.

Caltha paluſtris.

Itaque Generoſi Belli Duces, ac Militum Præfecti, de ſuis ſubditis vt ſint ſolliciti neceſ ſe eſt, imò per conſcientiam id facere tenen tur, ne ſanguis deſertorum in cœlum clame ac benedictionem, vel fortunam belli auffe rat. Imitentur Iudam Machabæum qui etiam pro defunctis militibus, allatis pro ſacrificio plurimis donarijs, ita vt etiam præter curam viuorum, mortuorum quoque curam dili gentem habuerit. De quo 2. Machab. 12. ſcri ptura ſacra ſic habet. *Et facta collatione, duo-*

Iudas Machabæus.

decim

decim millia drachmas argenti misit Ierosolymam afferri pro peccatis mortuorum.

Adhibeant autem belli Duces castris suis Medicos Chyrurgosque peritos, non fastu exufflatos Bullatos Doctores, quales sese sæpè obtrudunt, ex quibus quandoque maior pernicies quā salus speranda, qui per experimenta mortes agunt, & populi depopulatores per tot patratas cædes existunt. Accurrunt enim Syntaxistæ, qui institutiones Medicas nedum non legere multò minùs possunt intelligere. Venit stultus iuuenis ad templum Doctoris insignia recepturus, præceptores illum sui sine conscientia celebrant, seu amore, seu errore tumet ille, vulgus stupet, applaudunt affines & amici. Ipse iussus cathedram ascendit, cuncta iam ex alto despiciens, & nescio quid confusum murmurans. Tunc maiores ceu diuina locutum, laudibus ad cœlum tollunt, tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, fumant maltaria, non altaria, volant annuli, figuntur oscula, promuntur balthei, offeruntur libri inaurati quos nondum legit, nec si legeret intelligeret, tandem vertici rotundus ac magistralis Bonetus apponitur, vna cum Epomide humeros tegente. His peractis descendit Sapiens qui Stultus ascenderat. Mira prorsus transformatio nec Ouidio cognita, qui sine dubio hanc metamorphosin inter cętera de-

Actus Doctoralis.

tera deſcripſiſſet. Enatum ex hoc protritum & vulgare prouerbium.

Nos accipimus pecuniam & mittimus Aſinos in Germaniam.

Prouerbiũ de ineruditis Medicis.

non aduertentes illud:

Qui fuit hic Aſinus non erit illic Equus.

pulchra ſanè legatio, ac aurita, ſed dudum agnita, Doctorales titulos auro coemptos, ſecum vehens, ſed enim ego talis Promotor nõ fuerim, quicunque enim in tam graui negotio, vbi de hominum ſalute agitur, indignum promouet, reus eſt omnium eorum errorum, noxarum, ac criminum per inſcitiam indignè promoti Doctoris patratorum, quinimo violator eſt omnium eorum Priuilegiorum à Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus Ducibus, Principibus ac Magnatibus, Academijs ac Comitibus Palatinis conceſſorum, quæ viros ſolum doctos, & eruditos, nõ ex triuialibus ſcholis amethodos nec vllius Philoſophiæ ſibi conſcias, imo penitùs non capaces, in Doctores creari permittunt. Magna eſt hac de re coram Domino DEO reddenda ratio. Laudandi porro veniunt doctiſſimi quidam viri qui ex Aurelijs, Montepeſſulano, Lutetia, Bononia, Padua, Piſa, Louanio, Ingolſtadio, Baſilea, &c. prodeunt, quorum tamen famam ac auctoritatem ſubreptitij ac ſuppoſititij, hi Doctores Bullati, aut per præ-

Academiarum Priuilegia.

Veri ac eruditi Medici Academici.

præmia ad honores euecti plurimum obfu-
cant, quando ſicut Anſeres inter Olores in
publicum prodeunt magno ciuium ac popu-
li detrimento. Hæc igitur Aſinorum proſapia
famam credulis, quibuſdam ſuam fixit, cum
aures prælongæ Philoſophiam pollicerentur:
viuebat autem interim Caper, qui nouacu-
lum metuens impexus manere voluit.

Aſinorum proſapia.

Caſtris porro cumprimis adhibendi ſunt
periti Chirurgi, non Balneatores, Scalptores,
& magnifici ſibi viſi comptores, qui vix Te-
rebinthinam agnoſcunt, ij enim ex caſtris pe-
nitus ſunt exterminandi, tanquam in populi
excidium militibus obtruſi, quibus ea ſunt
inſtrumenta, pauca quidem, ſed valdè venefi-
ca, Turbethum nimirũ Minerale, quod ipſos
deturpat artifices, & ijs ſolùm forſan idoneũ,
qui tali pharmaco torqueri ac excarnificari
iam dudum ſunt meriti. Antimonium ſuum i-
pſi deuorent, oroque omnes militum præfe-
ctos, vt non aliam Agirtis his, & execrabilibus
Chirurgis pœnam irrogent, quam duplica-
tã Antimonij Doſin aſſumendã. Alſo erſparet
der Freymann den Strick/vñ darf ſein Degen
nit wetzẽ laſſen. Quidquid mors & morbus nõ
abſtulit vel aufert, id ipſi diripiunt. Quis enim
quæſo vnicũ hominẽ ex maligno vel Peſtilen-
ti morbo vomitu leuatũ vidit? vel obſeruauit?

Chirurgi periti caſtris adhibendi.

vbi vomitus & Diarrhæa lethalia ſymptomata exiſtunt, non autem Criſes. Tandem ſanguinem miſiſſe inſignis eſt apud illos artificij, vt ſi vitam aliter pellere nequeant, ſanguine (in quo anima ſedem figit) detracto, eandem euocent. Heu infandum ſcelus, committere hominum vitas criſtatis his balneatoribus. Aliud olim fuit, cum Ioſua peritiſſimus chirurgus, & exercitatiſſimi fratres Maienzweigij, mihi dum in Cæſaris aula verſarer familiares, ac pluribus expeditionibus contra Turcam prioribus annis continuè addicti, ſuam caſtris locabant operam. Sed de his alias.

Chirurgi caſtrenſes eximij.

DEVS Opt. Max. nos in his turbulentis temporibus, vbi ipſamet Medicina in ærumnas adigitur benignè conſeruet, & hæc quantulacunque pro ſui ſanctiſſimi nominis laude, honore, & gloria ſcripta clementer ſuſcipiat foueatque, ac in Eccleſiæ Catholicæ incrementum & vtilitatem cedere faciat. Ipſi enim qui Trinus & Vnus eſt, omnis honor & gloria in ſempiterna ſæcula ſæculorum. Is taliter hoc tempore orandus.

Heu ſatis eſt Deus, alme Deus fac bella quieſcant,
Aut ſaltem afflictis ſit Medicina parens.

Atque hæc de Medicina Threnetica iam modo

modo dicta sufficiant, ego enim ad maiora Dei ope præstanda & perficienda, vtpotè Pharmacopæiam Augustanam, quam totum Romanum Regnum desiderat, iterum reformandum & augendum nunc accingor. DEVS his omnibus benè faueat.

OMNIA AD MAIOREM DEI, SANCTISSIMÆQVE VIRGINIS MARIÆ DEIPARÆ ET OMNIVM SANCTORVM HONOREM LAVDEM ET GLORIAM.

Menda Typographica, beneuolus lector sua pro prudentia & candore, facilè & excusabit, & emendabit.

Augustæ Vindelicorum,

Excudebat Andreas Aperger.

Vltimo Decemb. 1619.

ΔΙΑΛΟΓΙΣΜΟΣ

CHRISTOPHORI PIGINEMII,

Ad

Medicinam lugentem.

α *CVr ô Dia sedes tanto confecta dolore?*
β. Me lacerat fœdis vnguibus atra lues.
α Sume animum Virgo, lætamq́ exporrige frontem,
Læto etenim Phœbus lumine te aspiciet?
β Quis feret auxilium? α RAYMVNDVS MINDERER *adstat*
Ingenio & calamo ferre paratus opem.
β. Nunc læta ingredior, tali duce & auspice Phœbo,
Harpyæ fugient horrida monstra stygis.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN HAC THRENODIA MEDICA CONTINENTUR.

A.

B.

C.

Homo

Lecano-

M.

Medica-

Medi-

N.

O.

P.

Saga

T.

V.

Vrina

FINIS.